
PHILIPPI BONAMICII OPERA OMNIA: 3. CASTRUCCII BONAMICII...

Castruccio Buonamici




BIBLIOTECA NAZIONALE
6
9 K
16


R. 8.
Sic propriis consuluit
Anno 17

CASTRUCCII BONAMICII

OPERA OMNIA.

02



QVEM TABVLA ISTA REFERT MAGNVS BONAMICIVS ILLE EST
ORATOR VATES MILES ET HISTORICVS
SED QVI FLAGRANTES OCVLOS EXPRESSIT ET ORA
EXPRIMERE INGENIVM NON POTVISSE DOLET

Ant. Vinc. Bartolomei delin — *Gio. Canocchi Sculps. in L.*

CASTRUCCII BONAMICII
SCRIPTORUM
PARS PRIMA
QUA
DE REBUS AD VELITRAS GESTIS, ET DE BELLO ITALICO COMMENTARII
CONTINENTUR.

ADCEDIT AUCTORIS VITA.







LUCÆ MDCCLXXXIV.

Typis JOSEPHI ROCCHII
CENSORIBUS ADPROBANTIBUS.

JOSEPHI ROCCHII TYPOGRAPHI

PRÆFATIO.

NON ego illorum hominum errorem sequutus videbor, qui patrias res nimio studio consectantur, si optimos nostrorum temporum latinos historicos ab Urbe Luca maximè prodiisse dixero. Nam ut omittam Bartholomæum Beverinium, qui anteacto Sæculo Lucensem Historiam ita latinè conscripsit, ut Livium, quem potissimùm imitabatur, præclarè expresserit; ut omittam Joannem Vincentium Lucchesinium, qui Patrum nostrorum memoriâ Historiam sui temporis conscribens, egregius Taciti exstitit imitator: certè CASTRUCCIUS BONAMICIUS ita omnes superavit, ita ad principes illos antiquitatis Scriptores, præsertim verò ad Cæsaris Commentarios suis Commentariis accessit, ut vix quidquam spatii cæteris reliquisse videatur, quo propius accedere possint. Quoniam itaque hi Commentarii hoc Volumine comprehenduntur, non est cur ipsius Voluminis laudes ego pluribus persequar. Sed antè habetur Commentariolum ipsius CASTRUCCII BONAMICII Vitam exhibens nunquam antehac editum. Sanè descripsit illam, ut alibi diximus, Philippus Frater. Sed, quod maximè ad rem pertinet, libellum, qui nunc primùm in lucem affertur, ipsi CASTRUCCIO magnâ ex parte tribuendum putamus.

Delitescebat enim apud Philippum in arca scriptorum, atque ad certum locum, quem innuendum curavimus, hæc habebat adscripta verba: Hactenus Castruccius. *Reliquorum haud parvam partem referendam censemus Fideli Bonamicio CASTRUCCII Fr. F. quem excellenti ingenio præditum, bonisque artibus egregiè institutum mente jamdiu laborare dolemus. Quæ deerant, ut opus integrum exstaret, addidit Jo. Bapt. Montecatinius, qui hæc dictabat. Jam vero Commentarios sequitur Index tam Populorum, Urbium, Fluviorum, locorumque, quam militarium officiorum, armorum, & machinarum belli, quo nomine latinè olim, hetruscè modò nuncupantur, quammaximè ille quidem hac Editione auctus. Postremò habetur Index Rerum Memorabilium a Viro docto perque diligenti Fabio Cenamio comparatus, ne quid omnino nova hæc Editio Eruditis Viris desiderandum relinquat.*

DE

DE VITA
CASTRUCCII
BONAMICII
COMMENTARIUS.





ETRUS JOSEPHUS BONAMICIUS Lucæ natus est liberâ Hetruriæ Civitate, imprimisquè nobili. Parens ei Franciscus Bonamicius fuit singulari vir morum integritate. Hic filium suum iis disciplinis, ac literis, quibus puerilis imbui ætas solet, in amplissimo Patriæ suæ Seminario diligenter instituendum curavit. Erat autem in puero ferocia quædam aliena a suæ, communisque vitæ conditione. Itaque quum ea, quæ de Arte Grammaticâ ab Præceptoribus tradita minutis adhærere ingeniis solent, ne subauscultando quidem excipere ipse posset sine fastidio, habitus est ad studia durior. Ubi verò per ætatem veteres cognovit Auctores, statim ingenium ejus aspectum, & probatum est. Optima enim quæque celeriter comprehendebat, & nunquam obliviscebatur. Itaque Auctores nisi optimos non probabat, & quos probaverat, facilè imitabatur. Qua de causâ earum ignarus rerum, in

quibus tota pueritia, atque adolescentia vulgò in Scholis consumitur, multò elegantius scribebat, & melius, quam ii faciunt, qui eas percalluerint. Una est enim, eademque compendiaria ad rectè scribendum via, si clarorum Auctorum similes in scribendo conemur esse. Ipse ut erat avidissimus legendi, Scriptores cursim legebat quoscumque; habitabat autem, & pernoctabat cum optimis, qui paucissimi sunt.

Poeticen attigit, multaque exstant ejus hetrusco, latinoque sermone conscripta carmina. In hetruscis puram a Petrarca, cæterisque ejus ætatis Scriptoribus dictionem arripiebat, eamque distinguebat ipse quasi luminibus latinorum. Nam hoc deesse arbitrabatur iis, qui principes numerantur hetruscæ poesis, ut quemadmodum ex Græcià latini, sic ipsi adscitis ex Latio coloribus poemata illustrarent sua. Quod quum illi neglexissent, habuerunt illud quidem, quod erat temporum, ut purè scriberent, quod autem perfectæ eruditionis fuisset, ut

ut variè, copiosè, magnificeque ſcriberent, non potuerunt aſſequi. In latinis faciendis carminibus ſtuduit ipſis ex optimis Poetis, quibus mirificè delectabatur, diligenti imitatione excerpere meliora. Ita Lucretii, Catullique ſuavitatem, Virgilii ſine tumore granditatem, & non furentem Propertii audaciam verſibus expreſſit ſuis, idque adeò concinnè, ut, quum multos & diſſimillimos imitetur, unum fundere videatur, & æquabile genus orationis. Q. etiam Horatii Flacci elegantiſſimam in condendis Sermonibus negligentiam ita ſequutus eſt, ut eſſe videretur aſſecutus; idque perſpici facillimè poteſt ex iis ſermonibus, quos Horatiano more conſcripſit. Ciceronem imprimìs admiratus eſt, atque eſt imitari conatus in ſolutâ oratione. Hunc porrò penitùs ut cognoſceret, adoleſcentulus etiam animo contendebat, ejuſque numquam libros dimittebat è manibus, in quibus omnem verborum, ſententiarum, temporum, atque hominum ineſſe cognitionem arbitrabatur, maximaſque habere ſe,

totamque debere Italiam Midletonio gratias dicebat, qui omnium Italorum ingenio, & eloquentiâ principis non ſolum vitam, & mores, ſed etiam ingenium, & ſcripta diligentiſſimis literis homo Britannus illuſtraverit. Quamquam ex hac unâ Inſulâ, quæ quondam habita eſt domicilium barbariæ, omnium jam ſunt doctrinarum ab Italis exempla petenda. Bonamicius certè Britannorum ſemper hominum virtutem ſuſpexit, quod ingenio eſſent in literis maximo, iidemque fraudis inimici, & fugientis libertatis propè jam ſoli cuſtodes.

Baconii Verulamii de Scientiis librum vocabat aureum, eoque effici poſſe dicebat orbem illum doctrinæ, quem Græci Encyclopædiam appellarunt.

Interim quum annum ageret..... Patris voluntate Piſas ſe contulit, daret ut ibi operam juri civili, & legibus. Erat Academia Piſana tunc plena eorum hominum ſtudiis, qui vetera deſpicientes nova in omnibus doctrinis quærere ſe, atque afferre prædicabant. Neque id

id efficiebant tamen. Tantummodo coacervabant insignia quædam ex nostris plerumque, & Gallis Auctoribus iis, qui novare aliquid in literis sibi persuaserant; atque illi ejusmodi adventitià, & recenti sublati sapientià veteribus bellum indixerant, quorum nunquam scripta fortasse legerant.

His Doctoribus non assentiebatur Bonamicius; neque tamen Scriptores eos, si qui ex recentioribus excellere ingenio, & doctrinà dicebantur, non sibi penitus cognoscendos putabat. Galilæum, Gassendum, Cartesium, Newtonium, & Lockium pervolutavit imprimis, qui humanæ intelligentiæ vim nosse omnem, & plurimum adjuvisse visus est. Tam multis autem in Philosophia, tamque diversis jactatus sententiis, tamquam in aram confugit ad familiam Academicorum, quæ satis in disputando elegantiæ, & nihil habere videtur in judicando temeritatis. Inter illos autem veteres, quorum quidem scripta nobis nota sunt, & hos novos Sapientes hoc maxime interesse Bonami-

micius arbitrabatur, quod quum utrique eodem præſtarent ingenii acumine, non idem tamen ſequerentur ſcribendi genus, atque illi ad illuſtrandas res magnificas, atque graves lumen adhiberent eloquentiæ, hi ad nobiliſſimarum rerum cauſas explicandas linguâ & ratione uterentur quaſi plebejâ. Nam ſimiolos illos, de quibus ſupra diximus, novitatis amatores ineptos, qui neque novorum ſapientiam, neque eloquentiam tenent antiquorum, repudiandos planè, atque irridendos putabat.

Præceptorem habuit juris civilis Olmetam Corſum hominem in docendo ſatis eruditum. Audivit præterea in græcis latiniſque literis Politum, in mathematicis Grandium, qui tum in ſuo quiſque genere princeps numerabatur. Quamquam enim geometricis inſtitutionibus bonam fingi mentem negaret Bonamicius, ſed naturâ effici, conſuetudine adjuvari, atque Auctorum perfici imitatione, qui prudentiùs ſcripſerint & melius; adhibendam tamen Geometriam cenſebat, ad earumque rerum uſum re-

revocandam, quæ utiles ſunt ad vitam hominum, cultumque civilem. Quum igitur juris civilis ſtudio non contentus in omnium ferè doctrinarum meditatione verſaretur Bonamicius, domum revocatur a Patre, ut ad ſcientiam juris civilis conſuetudinem adjungeret Fori Lucenſis. Sed quum ineptias hominum, quæ ſunt Cauſidicis devorandæ, non facilè ferret, ſimulque antiquorum lectione commotus, acerrimà teneretur cupiditate Romam videndi, qua in Urbe claros illos, memoriàque dignos viros acceperat eſſe verſatos, Romam ut contenderet, petiit a Patre, atque impetravit.

Quo tempore ad Urbem Bonamicius acceſſit, erat in Pontificatu Clemens XII. Florentinus, apud quem unus omnia poterat Nereus Corſinius Cardinalis Fratris Filius. Itaque Bonamicius noſci ipſe, colere Nereum non deſtitit, neque tamen ſervili gratari obſequio, ſed ingenii famà, bonarumque artium ſtudio. Latinas inde edidit Orationes duas, de laudibus

bus Pontificis unam, & pro Latii Academiâ nuper Melchiorre Polignachio Auctore institutâ alteram. In iis autem Orationibus impetus licèt esset ingenii, & inchoata quædam a naturâ eloquentiæ imago, non verò perfecta, atque ex multarum rerum cognitione efflorescens; laudabant tamen docti in Urbe homines, atque indolem adolescentis ad magna surgentis excitandam esse arbitrabantur Principis liberalitate *.

Sed quum Romæ progressum in eo expectarent ætatis, ipse ut erat naturâ impatiens, parumque constans, ut de se se in carmine quodam italicè scripto de Inconstantiâ profitetur, relicta Urbe magnaque Italiæ parte peragrata Patavium venit. Ibi quum Dominicum Lazzarinium, qui Patavii sanioris eloquentiæ studium

---

* Hîc in MS. adscripta erant hæc verba: *Hactenus Castruccius.* Atque in iis manus agnosci videtur Fidelis Bonamicii, Castruccii Fr. F., cui reliquorum haud parva pars referenda est.

dium renovaverat, bonasque artes sæculo XVII. depravatas primus restituerat, diem nuper obiisse suum audivisset, incredibilem animo cœpit dolorem, ejusque in morte latinas edidit Elegias duas satis elegantes. Quum verò eà in Urbe permulti florerent omni doctrinà, ac literarum genere præstantissimi homines, in horum amicitiam, familiaritatemque se se insinuavit Bonamicius, quotidieque legendo, commentando, & scribendo quum exerceretur, animum excoluit exquisità rerum cognitione plurimarum.

Lazari ibi Bonamici Gentilis sui famà permotus, fuit qui Leonis X. P. M. ætate scriptor politissimus, publiceque Patavii docuit tantà doctrinæ famà, ut æneam statuam insigni ejus Urbis loco Senatus Venetus decreverit, ejus de moribus, studiisque scripsit Commentarium, quem literarum detrimento interiisse dolendum sanè est.

His Doctoribus, & artibus variis, atque multis ita erat deditus Bonamicius, ut præcipuè

puè tamen verſaretur in veteri, & recentiori cognoſcendà Hiſtorià. Noverat enim magiſtram dici vitæ, & plurimum inde in mores, & ſcientiam civilem adjumenti redundare. Hiſtoriam verò non ut plerique ſtrictim, & leviter, ſed abſolutè penitùſque tenuit, totamque perſpectam habuit, diligenter rerum, & temporum momenta perpendens: unde varia extitit, & minimè vulgaris in Bonamicio eruditio. Qua de re ſacræ, prophanæque Hiſtoriæ facta ita mente, & cogitatione aſſequebatur, ut Romanorum præſertim res geſtas quum legeret, iis videretur quaſi interfuiſſe. Atque hinc factum eſt, ut altè ſemper, & præclarè & cogitaret, & ſentiret, animoque quum eſſet aperto, & ſimplici, & cum virtute, tum etiam Orationis genere liber, mediocris homines ingenii, quorum eſt maxima ubique copia, reſpueret iracundius, ſive moroſè, ut putabatur, ſive ingenuo, liberoque faſtidio. Haud mirum ergo debet videri adversà plerumque uſum fortunà, vario, ac pertumultuoſo vitæ genere plu-

plurimorum in se odium, & invidiam concitasse. Nonnullos tamen amicitià, & consuetudine suâ sibi devinxit, ut iis perpetuò fuerit amicissimus. Imprimìs autem familiaris fuit Cajetano Fortio Præsuli doctissimo, ad quem etiam Sermonem misit de Amicitia, & Orationem pro Guimbardio milite.

Interim frequens Historiæ lectio, quæ plerumque in præliis, pugnisque exponendis versatur, Bonamicium majoris gloriæ cupidine incensum ad bellicas laudes abstraxit. Quum verò per eos fortè dies Regni sui tutandi caussa arma sumpsisset, obviamque esset hostibus profectus Carolus Borbonius Neapolis & Siciliæ Rex, ejus Castra sequutus est Bonamicius, exindèque Castruccius dici voluit, ut tam præclari Ducis, & Civis sui memoriâ vehementius ad laudem, & gloriam incenderetur. Voluntarius primùm equo merere cœpit sub Sanctacrucio Morillii Comite, & in exercitu Neapolitano Tarraconensis Alæ Præfecto. Inde quum probata ejus esset virtus in prælio ad Velitras,

in-

inter Custodes Corporis Regii relatus. Atque hic militaribus licet exercitationibus districtus, permultum tamen tribuit temporis literis. Edidit namque latino sermone Commentarium de Rebus ad Velitras Gestis, qui plurimum statim per universam Europam commendationis habuit non tam genere ipso latinè scribendi nitido, perpolito, vereque aureâ Augusti ætate dignissimo, quam quod multa in eo libro doctrina appareat, multa rei militaris scientia, quam certè diligenter habuisse * cognitam satis etiam declarant Orationes duæ, quas hetrusco sermone habuit Neapoli in Conventu clarissimorum Ducum: Alterâ enim novam quandam bellandi rationem suadendam suscepit; alterâ militarem Academiam recèns institutam collaudavit. In his etiam quantum hetruscam calleret eloquentiam ostendit; quod si qui homi-

* Hic finem habent quæ a Fideli Bonamicio scripta putantur. Quæ sequuntur a Jo. Bapt. Montecatinio scripta sunt.

mini in Hetruria nato, educatove facile factu putat, vehementer is mihi errare videtur; nam ſine multo ſtudio, multoque labore fieri haud poteſt, ut quis copioſe, ornate, ac ſplendide eloqui poſſit ne maternâ quidem linguâ. Eam porro aliâ Oratione uberrimè collaudavit. Quantum verò hetruſcâ polleret eloquentiâ vel maximè demonſtravit Oratione, qua Neapoli Commilitonem ſuum Jo. Bapt. Guimbardium reum Capitis egregiè defendit: quam etiam ad Cajetanum Fortium, uti dictum ſupra eſt, miſſam typis edidit. Pro militibus item Vincentio, & Joanne Avilianiis graviter, & copioſe verba fecit. Sed Guimbardiana Oratio, ſi quid judico, præſtantior haberi debet. Quum autem Commentarium illum de Rebus ad Velitras Geſtis primò editum luculentâ Præfatione dicaſſet Trojano Aquævivæ Cardinali, hujus rogatu a Neapolis & Siciliæ Rege Præfectus Fabrùm extra ordinem atque in Oppido Barolo Quæſtor Perpetuus fuit appellatus. Sed ipſum Commentarium iterùm editurus quum eſſet, fecit

magnum nomen Maximi Pontificis Benedicti XIV. ut illi dicandum ſtatueret Præfatione magnificentiſſimâ, qua ſane nihil eloquentius, nihil ad Ciceronem accommodatius mihi videor legiſſe. Nam quamquam multi ſunt, qui Ciceronem imitandum ſibi propoſuerint, tamen plerique id ita faciunt, ut verborum tantùm imitatores ſint, nervos autem, ſpiritum, ac mentem Ciceronis nec aſſequantur, nec unquam videantur agnoviſſe. Illa autem Bonamicii ad Benedictum XIV. Præfatio plena roboris, plena artificii, plena dignitatis divinam Pontificis majeſtatem, miram Scriptoris eloquentiam quaqua versùs repræſentat. Et quoniam, ut mea fert opinio, tam illa Ciceronem, quam Commentarius de Rebus ad Velitras Geſtis Cæſarem redolet, venit mihi in mentem quod ex nonnullis audivi, Bonamicium quum Res ad Velitras Geſtas conſcribere animum induxiſſet, conſuluiſſe Jacobum Baccium, quo ſtudiorum ſocio uſus fuerat, quem potiſſimùm ex veteribus imitaretur, addidiſſeque, ſe, ſi ſæ-

pius

pius Ciceronis libros in manibus haberet, Ciceronem, si Cæsaris, Cæsarem imitaturum. Quod quidem effatum si magnam sui fiduciam, magnum etiam ingenium, magnum omnino animum in homine ostendit. Sed his peractis quoniam Hispanus Neapolitanusque Exercitus in Galliam Cisalpinam transductus fuerat, ibique Austriacos inter Borboniosque bellum longum, atque atrox exarserat, voluit Carolus Neapolis ac Siciliæ Rex a Bonamicio ea omnia, quæ gesta fuerant, coràm itinere arrepto cognosci, ac perscribi. Ortum inde habuerunt tres Libri de Bello Italico, quod ab Austriacorum a Velitris receptu initium ducens Aquisgranensi Pace finem habuit. Priorem Librum ad Carolum ipsum Regem, cujus jussu historiam conscripserat, alterum ad Philippum Borbonium Caroli Fr. eundemque Parmensium & Placentinorum Ducem, a quo Comes est appellatus, Tertium ad Genuensis Reipublicæ Senatum, a quo magnis præmiis est auctus, misit. Ego quidem historiam, quam quisque in manibus habet, mihi lau-

dandam non cenſeo; unum dicam, nihil hactenus, doctorum hominum judicio, in hoc genere ſcriptum fuiſſe, quod ad antiquitatem propius accedat, niſi ipſius Caſtruccii Commentarius de Rebus ad Velitras Geſtis; ut unus ſibi ipſe palmam præripuiſſe videatur, nemini in poſterum conceſſurus. Quum autem poſt annos non amplius ſex inter Gallos Britannoſque diſcordiarum initium factum, atque ad arma ventum eſſet, Gallique Minorem Balearem, quæ Britannis Inſula tunc parebat, cum claſſe obſediſſent, ac Civitatem Inſulamque ſubegiſſent, Rex Galliæ fertur ab Rege Neapolis petiiſſe, uti ad ſe Bonamicium mitteret, qui bellum illud deſcriberet, idque in difficultates incidiſſe, propterea quod Rex Neapolis in neutram inclinaret partem; Atque ex ea re Bonamicium magnâ moleſtiâ eſſe affectum: Erat enim gloriæ percupidus. Ac mehercules ſi bellum unquam fuit terrâ marique geſtum, quod ob potentiſſimorum Regum infinitas vires, ob exercituum multitudinem innumerabilem, ob præ-

lio-

liorum frequentiam, ob rerum gestarum magnitudinem ab Historico omnium eloquentissimo posteritati transmitti debuisset, illud profectò fuit, quo septem ipsis annis nedum Europa, sed imprimìs America, unde prior eruperat flamma, immò universus terrarum orbis miserrimè conflagravit. Sed sive ea, sive alia fuerit caussa, valetudine Bonamicius incommodâ uti cœpit. Quapropter in Patriam reversus, frustraque Medico cumprimis docto ac diligenti Sebastiano Paulio usus, quem extremo Carmine collaudavit, aquâ intercute oppressus est magnâ literarum jacturâ IV. Calend. Martias anno MDCCLXI. ætatis anno LI. natus enim erat an. MDCCX. Ingravescente morbo piè ac religiosè animum expiandum, ac præsidiis divinitùs constitutis confirmandum curavit, quò decedenti felicis migrationis certissima spes affulgeret. Elatus est ad Vincentii & Anastasii, quo in Templo Philippus Fr. Sacerdotium gerebat, Sepulcroque curata est hæc Inscriptio:

COMITI · CASTRUCCIO · BUONAMICIO

LUCENSI · FRANCISCI · F·

IN · EXERCITU · NEAPOLITANO

PRAEFECTO · FABRUM · EXTR · ORD·

ET · IN · OPPIDO · BAROLO · QUAEST · PERP·

MAGNI · INGENJ · ET · NOMINIS · VIRO

A · CAROLO · BORBONIO

PRIMUM · NEAPOLIS · ET · SICILIAE

MOX · HISPANIARUM · REGE

ET · A · PHILIPPO · FRATRE

PARMENSIUM · ET · PLACENTINORUM

DUCE

NECNON · A · GENUENSIUM · REPUBLICA

QUORUM · RES · ITALICO · BELLO · GESTAS

LATINIS · COMMENTARIIS · INLUSTRAVIT

SINGULARIBUS · BENEFICIIS · ORNATO

QUI · AMISSAM

DIUTURNO · MORBO · VALETUDINEM

IN · PATRIO · SOLO · CURATURUS

SUMMA · CONSTANTIA · ET · RELLIGIONE

DECESSIT

AN· AB· REP· SAL· CIƆ IƆ CCLXI

SEXT·

SEXT' KAL' MART'

VIXIT ' ANN' L'

MENS' IV' DIES ' VI' HOR' II' P' M'

PHILIPPUS ' HUJUS ' TEMPLI ' RECTOR

ET ' RP' LUCENSIS ' NEGOTIORUM

APUD ' PONT' MAX' PROCURATOR

VINCENTIUS ' J' C' ET ' LUCIENSIBUS ' PRAEFECTUS

ANGELIUS ' INTER ' CUSTODES ' CORP'

REG' NEAPOL' ORD' DUCENS

COMITES

FRATRI ' DESIDERATISSIMO

ET ' SIBI ' SUISQUE

POSTERISQUE ' EORUM

MM' PP'

QUI ' JACET ' HOC ' TUMULO ' MAGNUS

CASTRUCCIUS ' ILLE ' EST

ORATOR ' VATES ' MILES ' ET ' HISTORICUS.

Ipse verò Castruccius fertur parasse sibi alteram hanc Inscriptionem:

HIC · JACET

BONAMICIUS · COMES

QUI · DUM · PERSONAM · LUDIT

MILITIS · DUCIS · ET · HISTORICI

INANES · REGUM · AMICITIAS

ET · CASTRA · SEQUUTUS

CASTRUCCIUS · VOCABATUR

DEINDE · GRAVISSIMO · OPPRESSUS · MORBO

VALETUDINEM · QUAERENS

IN · PATRIO · CAELO

MORTEM · ET · VERITATEM · INVENIT

PETRUS · JOSEPHUS · MARIA

DICI · ET · INSCRIBI · VOLUIT

UT · QUEM · VULGUS

LUDUM · FORTUNAE · APPELLABAT

SCIRENT · OMNES · ESSE

DIVINAE · MISERICORDIAE · TROPHAEUM

OBIIT · XXV · FEBR · MDCCLXI ·

Cæterum fuit ille tum animo, tum ſermone liber ac ſimplex apertuſque. Quocirca ſcripſit

psit ipse *, *se a gratia, atque odio multò etiam alieniorem esse, quam hominem oporteat, qui velit fortunæ velificari suæ: Quam quidem fortunam honestatis impendio quæsitam contemnebat.* Sunt enimverò ejusmodi sensus viro gravi, ac philosopho digni. Sed quoniam sæpe in conviviis, cæterisque colloquiis si quæ in sermonem inciderent sententiam aperiebat suam confidentius audaciusque quam oportuisset; idcircò apud potentiores offendebat, ob eamque rem *inclementiore*, ut ipse ** dixit, *utebatur fortunâ.* Inter scribendum, præsertimque in historia *libertatem* sibi videbatur *** *neque immoderate exercuisse, neque fregisse serviliter, idque unum conatus, ut omnia liberè, nihil contumeliosè scriberet.* Romæ, quo frequentiùs convolabat, ut Philippum amantissimum Fratrem, amicosque, ac præsertim Cajetanum Fortium inviseret, uxorem habebat, quæ eo vivo

---

* In Præf. ad Trojanum Aquamvivam.
** Loco citato.
*** In Præf. ad Senatum Genuensem.

vivo delituit, Viro autem demortuo a Philippo pie ac liberaliter dum vixit alebatur. Inter præclara ejus Scripta commemorandæ videntur Inſcriptiones, quas dum Romæ Philippo V. Hiſpaniarum Regi parentaretur, jubente Trojano Aquaviva confecit. Sunt enim ad veram antiquitatis formam exaratæ. Carmen etiam memoratu dignum cenſemus, quod inſcribitur: *L. Sectani Q. F. de Cauſſis ſuperiorum quattuor Sermonum Sermo Primus*. Quod autem ad ejuſmodi carmen attinet, res ita ſe habet. Eruperant paullo ante quattuor illi L. Sectani Q. F. ad Gajum Salmorium Sermones de tota Græculorum illius ætatis literatura. Hi quidem multorum animos graviter offenderant, quod putarent ſeſe iis verſibus denotari. Itaque nonnulli ſcriptâ ſatyrâ vehementer in eos verſus ſe incitaverunt. Eo tempore Bonamicius Carmen ſcripſit, de quo agimus. Simulat ſe eſſe eundem illum L. Sectanum ſuorum Sermonum cauſſas referentem: re autem vera in Sectanum illum, ejuſque ſocios invehitur. Nondum tunc tem-

temporis exierat in lucem L. Sectani Sermo Quintus, qui non adeo pòst in publicum prodiit. Suum Bonamicius Carmen nunquam publicum fecit, sed tantum amicis legendum dedit. Est verò cum propter poeticas laudes, tum propter sales & quendam leporem cum optimorum poetarum scriptis comparandum. Mens erat Bonamicio post ejusmodi Sermonem Primum alios etiam scriptitare: sed caussam nescio, quare nihil aliud ea de re scripserit. Sed quando de Castruccii Bonamicii scriptis agimus, hoc tantùm dicendum videtur, fuisse ab eo Commentarios De Rebus ad Velitras Gestis, ac De Bello Italico conscriptos, quod unum ad laudem famamque hominis sempiternam satis superque putandum est.

CA-

CASTRUCCII BONAMICII

DE REBUS

AD VELITRAS GESTIS

COMMENTARIUS.

AD

TROJANUM AQUAVIVAM

ARAGONIUM

S. R. E. CARDINALEM

MONTIS REGALIS ARCHIEPISCOPUM

ET PHILIPPI PATRIS REGIS HISPANIARUM, ET CAROLI PHILIPPI F. REGIS NEAPOLIS AC SICILIÆ AD PONTIFICEM MAXIMUM, SEDEMQUE APOSTOLICAM LEGATUM

PRÆFATIO

PRIMÆ EDITIONIS.



Ofteaquam, Trojane Aquaviva, ad Neapolitani Regis exercitum, atque in militiæ disciplinam profecti sumus, non bellicis usque adeo corpus, animumque nostrum studiis exercere decrevimus, ut omnino illa optimarum artium pulcherrima, atque ad omnem hominem, omnemque locum accommodata, & nunquam a nobis non exculta studia relinqueremus. Legendo enim acceperamus, clarissi-

rissimos Imperatores, non tam bellorum gloria, quam literarum præstantia enituisse, atque ab his literatos homines eductos esse in castra, quos & laborum, periculorumque socios non insuaves, & magnarum interdum rerum auctores idoneos haberent; experiundoque cognovimus, virtutis, consiliique militaris splendorem, ac vim non infuscari, ac minui, ut nonnulli perperam opinantur, sed illustrari contra hisce artibus, atque augeri plurimum. Nam ut indecorum est, ubi a ferro atque acie discesseris, de iis ipsis rebus, quas fortiter gesseris, aut inepte loqui, aut turpiter obmutescere; sic præclarum debet videri, eruditionis ac scientiarum laude aliena quasi ac peregrina splendescere militem. Multo autem præstabilius est ad alendam animi fortitudinem, militiamque ipsam penitus cognoscendam, post equorum, armorumque exercitationes, tolerare hybernorum otium, ac præsidiorum fastidium nobilissimarum rerum cognitione, Mathematicarum præsertim, atque Historicarum, unde ars omnis militaris efflorescat ac redundet oportet, quam per desidiam, turpissimasque voluptates totum animi corporisque robur corrumpi sinere, ac quodammodo hebescere. Hanc consuetudinem si tenerent honesto saltem loco nati, qui in regum atque imperatorum castra quotidie confluunt, & non prius irent ad arma, quam bonis antea essent artibus instructi; alacriores paulo ad pugnandum milites haberemus, peritiores quidem certe ad imperandum duces: & non vehementer doleremus, obscurari jam sensim,

sim,

sim, atque evanescere splendidam illam, ac grandem belli gerendi rationem, qua veteres Græcos, ac Romanos tanta esse usos commendatione legimus Quamquam ex hoc excellentium ducum, militumque numero & patrum nostrorum ætate fuerunt Eugenius, Turrena, Vobanius, Follardius, aliique nonnulli, & sunt nostra, quorum nos exemplum militiæ rudimenta ponere aggressos sequi neque pudeat unquam, neque pœniteat. Nemo certe jure reprehendat, si, quod tempus vacuum nobis datur a labore militari, consumimus in meditando, in legendo, atque in scribendo etiam aliquid, quod a militari disciplina ipsa non abhorreat. Velut id est quod in hoc Commentario præstare conati sumus, non perficiendi spe adducti, sed experiundi voluntate incitati. Latinis enim literis mandare instituimus eam Italici belli partem, cui Carolus Siciliæ, ac Neapolis Rex non præfuit solum, sed etiam interfuit, & quam ab eo tempore exorsi, quo ille sui Regni tutandi caussa arma sumpsit, obviamque hostibus est profectus, felici faustoque ejusdem victoris Regis reditu, ac Populis optatissimo concludemus. Quum vero hujusce belli partis impetus ac furor ad Velitras diutius consederit, eaque urbs a fortuna delecta fuerit quasi campus, ubi exercitus utriusque vires, atque artes palam ostenderentur, hunc propterea librum de Rebus ad Velitras Gestis inscripsimus. Ut autem latina istud potius, quam alia, persequeremur lingua, eo factum est, quod hoc nostrum, quale tandem cumque est, opus doctis præsertim, atque ele-

gantibus hominibus probari volumus, quibus quidem latina præcipue oratio grata atque accepta esse debet: & quod speramus fore, ut ejusmodi rerum notitia latinis literis illustrata Italiæ fines prætergrediatur fortassis, latiusque propagetur; & quod demum bellorum, præliorumque narrationes, si latino sermone conscribantur, videantur mihi quidem quodammodo altius assurgere, & majorem inde assumere gravitatem, ac decus.

Ac si quis est, qui, quod sub Neapolitano Rege stipendia meruerim, ejusque sim benignitate honestiorem in militia ordinem adeptus, idcirco studio partium infectum sinceram hanc narrationem falsis quibusdam coloribus oblinere me velle suspicetur; hunc ego ad eos reiicio, qui me probe norunt, sciuntque a gratia, odio, atque ab omni præsertim mendacio multo etiam alieniorem esse me, quam hominem oporteat, qui velit ac debeat fortunæ velificari suæ. Quam quidem fortunam, si modo ulla est, honestatis impendio quæsitam, contemnam semper; sin autem ingenuo mihi, & bonis potius quam malis artibus emergere cupienti occurret, amplectar libenter. Sed fortunæ nostræ, qua certe inclementiore usi hactenus sumus, ut melius ominemur imposterum, tua facit humanitas, Cardinalis amplissime. Cujusdam enim singularis felicitatis loco statuo potuisse me recipi in patrocinium ejus viri, quem natura, quem virtus, quem demum fortuna, mirifica certatim consensione decoraverint omni genere laudum, atque ornamentorum. Quæ ampla, illustria, ac singularia omnia habi-

bi-

bitant in omnium oculis, & non modo in totius Italiæ, sed etiam Europæ auribus adeo personant, ut Historiam mihi tractanti, unumque propterea verum profitenti, verenda non esset, aut assentatoris, aut amplificatoris nota, si, quod neque temporis hujus est, neque loci, laudare ea vellem magnificentissime. Verum in communibus laudum, virtutumque tuarum præconiis celebrent alii quidem vetustissimam Aquaviviæ gentis nobilitatem, pluribus domi forisque facinoribus, facinorumque præmiis, plurimarum Orbium atque Oppidorum avita possessione, Regiis denique affinitatibus insignem; alii directam illam tuam, atque expeditam ad summos omnes honores sine ulla aut existimationis, aut dignitatis offensione viam; alii splendorem in publicis, alii moderationem in privatis, comitatem alii, alii gravitatem prædicent: Ego vero cum hæc omnia cum cæteris eximia, ac perpetua commendatione digna judico, tum illam tuam in primis admiror in rebus gerendis magnitudinem animi, ac prudentiæ vim, qua in sortem ipsam, constitutam a quibusdam tamquam rerum humanarum dominam, videris dominari. Qua excellenti, ac pene divina virtute tua allecti duo potentissimi Reges Philippus Pater, & Carolus Filius tot Regnorum, Provinciarum, ac Nationum negocia commendare tibi deliberarunt: eumque tantorum Regum deliberatio exitum habuit optabilem, ut quum omnia in te illi Familiamque tuam summa contulerint, haud sciamus tamen, utrum tu plus illis, an tibi illi debeant. Ne longius abeam; hoc proximo, ac difficillimo bello, de quo scribimus,

mus, quodque Neapolis Siciliæque Regi, Regnisque, & Borbonio fortassis in omni Italia nomini, magnum aliquod malum portendere videbatur; quæ tua fuit auctoritas? quæ mens? Exercitum quidem nostrum tuis literis, tuis opibus, consilio potissimum viguisse tuo omnes sciunt, iique maxime, qui ex nostris, eque hostium copiis eo Romam tempore frequentes propter castrorum vicinitatem veniebant: quum te talem virum intuentes diverso diversarum partium homines sensu afficerentur, & victoriam cupiditate ac spe præoccupatam e suis abs te manibus ereptam esse illi mœrerent, nos lætaremur. Quamobrem multo esse convenientius ducimus in tuo nomine Commentarium apparere, qui jam tuus est, propterea quod eorum factorum narrationem explicat, quorum, Aquaviva nobilissime, tu quamquam absens, maxima pars fuisti: multoque majore nos alacritate, atque etiam voluptate ad eas res scribendas aggredimur, quas ipsi nos vidimus, quibusque non sine vitæ discrimine interfuimus.

CA-

CASTRUCCII BONAMICII

DE REBUS

AD VELITRAS GESTIS

ANNO MDCCXLIV.

COMMENTARII

AD BENEDICTUM XIV.

PONTIFICEM MAXIMUM

PRÆFATIO

SECUNDÆ EDITIONIS.



Agnum ingenium tuum, BENEDICTE *Pontifex Maxime, omnisque in omni scientiarum genere abs te cognita, explicataque doctrina, tum in latine scribendo numerosa quædam gravitas, & facultas admirabilis hortabantur me quidem, ut meum de Rebus ad Velitras Gestis Commentarium latine conscriptum, &, cum primum etiam divulgatus est, non ingratum nonnullis, &, quod a*

multis expeteretur, iterum nunc in lucem prodeuntem Nomini tuo celebratissimo consecrarem: Neque, quominus id facerem, tenuitate operis deterrebar, quum sciant omnes, egoque ipse, & frater meus Philippus, qui Romæ, apudque te vivit, experti sæpe simus, eam esse in tantis opibus, tantaque imperii altitudine humanitatem tuam, ut non solum summa quæque, atque insignia, quæ quodam jam, atque usitato fortunæ, virtutisque tuæ jure deberi tibi omnia videntur, sed etiam mediocria, & humilia benigne, comiterque exciperes; atque in illis perfectionem, conatum in his, perficiendique voluntatem laudares. Sed illud potius verebar interdum, ne ipsius argumentum libri, qui bella, præliaque, & imbutos, ut ita dicam, sanguine gladios afferret, non satis propterea accommodatum homini esset, ad quem liber mitteretur: Qui quidem & mitissimo esset animo, studiaque pacis privatus semper coluisset, & summam Christianæ Reipublicæ adeptus pacis auctor fuerit præcipuus, atque erumpentes jam Principum iras comprimere statim voluerit, multaque, postea-quam itum ad arma est, in eam rem cum scripserit ipse, tum per legatos suos egerit præclara, atque divina: Factumque fortassis esset tuo, Pontifex Piissime, studio, ac diligentia, ut componeretur, nisi Regum, temporumque arbiter Deus ob delictum aliquod nostrum non tam auctoritati tuæ, quam communi saluti viam obstruxisset. At vero intuenti mihi in dignitatem tuam amplissimam, sanctissimamque, & summi in ea Pontificis, & summi etiam Principis videri

deri

deri persona quum videatur, quumque Pontificatus doctrina, regnum autem prudentia illustretur maxime, ac regatur; nonne is liber, qui si non alias, at quia historiam continet, & doctrina esse instructus, & prudentia instruere legentes debet, eum potissimum virum deceat, qui Pontifex doctissimus, idemque Princeps sit, & habeatur prudentissimus? Neque si tantus vir quietem Pontificia lenitate maluit, at a bellorum caussis, atque eventibus cognoscendis refugere debet; quum florentissimam, tamque late in Italia patentem ditionem obtineat, beneque noverit, regnandi artes non pacis semper ac togæ socias, sed interdum etiam belli, atque armorum esse. Ac doctrinum admirari facilius tuam possumus, quam laudare. Quibus enim verbis explicari ejus infinita vis potest? quum nihil illam prætereat, quod quidem sciri, discive oporteat. Nihil est in eloquentia magnificum, nihil in philosophia subtile, nihil in sacra, profanaque historia reconditum, non denique rerum, non verborum, non hominum, non temporum notitia ulla est, quam non Benedictus Decimus Quartus investigarit, scierit, illustrarit. Nam quid ego de jurisprudentia dicam? in qua etsi unus excellis maxime, tamen minus admirandum est, ob eam autem caussam minus admirandum, quod non tua tam est ejusmodi laus, quam familiæ tuæ nobilissimæ Lambertiniæ, cui civilis, ac pontificii juris peritia ingenerata esse videtur. Tantam autem doctrinæ præstantiam illæ potissimum testantur doctorum hominum familiaritates, atque amicitiæ tam nobiles, tam vero frequentes, ut

nul-

nullus ubique sit paullo notior eruditus vir, quin ad te, aut de te scripserit, cuique non tu ipse scripseris. Quo dubito magis, utrum major tibi in hac re laus, an doctis viris gratulatio debeatur; Quum tu in maximarum oppugnatione rerum non intermiseris studia literarum; neque, quod magnum, rarumque est, passus sis, in tanta exaggeratione fortunæ obrepere ad animum tuum humanitatis neglectum, & veterum oblivionem amicorum: Docti autem viri eundem habeant te & patronum, & æstimatorem, gaudeantque, a quo ornantur, labores ab eodem probari suos; quorum mea sententia fructus hic est vel jucundissimus: Ex eoque etiam fieri existimo, ut omnes ad te, ut antea dixi, aut de te scribant; Nempe ut doctissimo Pontifici probati esse videantur. Neque, cum id faciunt, laudare te magis volunt, quam laudi inservire suæ, propriamque ingenii gloriam in aliena prædicatione aucupantur. Quamquam neque laudatore ullo eget, neque teste doctrina tua, quæ scriptis commendata sapientissimis, ipsa de se, vel tacentibus aliis, prædicat, atque testatur: Quibus in scriptis habent præsentes, quod legant, posteri, quod admirentur, omnesque ad institutionem sui suscipiant, Ecclesiaque ipsa afferat ad ornamentum dignitatis, atque ad præsidium stabilitatis suæ. Hoc Pontificem, qui te Cardinalem, hoc Cardinales, qui te Pontificem crearunt, spectasse cum primis arbitror. Ille enim, amplissimum Collegium cohonestari doctissimi hominis honore præclarum duxit; hi putarunt indecorum non præponi omnibus in imperio, qui omnes in doctri-

ctrina antecelleret. Itaque simul atque in illis Comitiis, in quibus ipse es Pontifex renunciatus, quæque dilata satis diu, multumque exagitata fuerant, tuum est nomen auditum, illæ continuo comitiorum undæ resederunt, incredibilis extitit Cardinalium omnium Pontificatum tibi mandantium consensus, eaque tamque perspicua ejusmodi nuncium consequuta est per orbem sine ulla varietate universum approbatio, ut non Cardinalis cujusdam, sed ipsius Doctrinæ, Sapientiæque nomen ad omnium accidisse aures videretur. Ac si tempus fuit ullum, quum accedere ad regnandum Pontifex debuerit ingenti doctrina, ingentique adeo prudentia instructus, tum profecto fuit, cum difficillimi temporis tempestas oborta est, & patrocinium pacis exclusum. Nam quum propter loci opportunitatem, finitimique regis potentiam ipsæ omnes Pontificis provinciæ, quamquam integræ essent a partibus, atque a bello otiosæ, exercituum nihilominus itineribus, & castris attentarentur, non fuit profecto recusandum, quin multa necessario quodam armatorum hominum impetu acciderent, quæ tamen prudentia corrigi, non frangi vi oportebat. Quæ quidem vis vel fuisset inutilis futura quieto, vel periculosa bellanti. Neque, propterea quod arma juste sumpseris, salutariter iccirco uti semper potes; Quum illi ipsi, qui exercitibus imperant, servire temporibus, in multisque connivere cogantur. Erant certe, qui ferociora Pontifici, eique, ut ipsi ajebant, gloriosa suaderent. At ille, quod prudentis maxime principis, & moderati est, non gloriam in dominatu suam, sed eorum, quibus præerat,

rat,

tat, salutem, utilitatemque spectabat. Quibus qui consulere rebus potuisset, si aut otiosas infinita jactura copias alere, aut viribus pugnare cum valentiore voluisset? Quorum erat alterum populorum bonis, alterum vitæ, & totius fortasse imperii incolumitati gravissimum; utrumque certe ab ejus Principis prudentia alienum, qui pacis belli que momenta nosset, sciretque iis sese præesse provinciis, quæ non gladiis, pilisque, sed consilio, atque auctoritate quæsitæ Pontificibus sunt, idemque intelligeret, iisdem regna artibus retineri, quibus parta sunt. Et consilium quidem tuum laudari debet, quod temporibus, quod personæ, quod denique omnium saluti accommodatum fuerit; neque fortuna reprehendi potest, quum asperrimis in rebus tenueris dignitatem, atque auctoritatem tuam: De qua tantum abest ut quicquam deperdideris, ut ipsis ferocissimis legionibus sancta esset, mediisque etiam in tempestatibus extaret, tanquam aliquod saxum, a quo illi armorum fluctus frangerentur. Nam quum uterque inimico animo exercitus sub ipsis Romanis mœnibus constitissent; quumque in eo essent, manus ut consererent, concursu præter opinionem abstinuerunt verentes (uti tum omnes confirmarunt quidem certe) ne victoris vis, aut victi fuga eam violaret urbem, in qua tantus vir, & parti propter insignem prudentiam utrique Princeps admirandus versaretur. Quam etiam ob rem potentissimus Rex Siciliæ, ac Neapolis, summa fortitudinis, ac militaris scientiæ laude hostibus rejectis, ingredi Romam voluit, non tam ut urbem inviseret ad æternæ nomen

ma-

magnitudinis, fato nescio quo, ædificatam, quam ut coram eum adoraret Pontificem, de cujus tam multa virtutibus absens audierat, ab ejusque sapientia regnandi præcepta acciperet, a cujus auctoritate regni ipsius quodammodo nomen haberet. Sed quid ego piissimi Regis Caroli obsequium in te commemoro? Ipse Borussiæ Rex, cujus domi militiæque imperium illius a Xenophonte in Cyro descripti imperii effigies est, ut, quod olim historiæ fidem superare videbatur, fieri nunc posse ipsa in præstantissimo rege res declaret: Atque ipse, inquam, Borussiæ Rex, quamquam majorum suorum superstitione inductus a Sede Apostolica dissentiat, ea de te tamen sentit, ea prædicat, ea legatos tuos observantia coluit, ut hæresis in eo quasi oblitum suæ, tuæ tantum doctrinæ, sapientiæque miraculo vehementer illum commoveri appareret: Tu autem, Pater Beatissime, in peregrini obsequii lætitia illud dolores, regem tam præclarum, tamque nobilem non tecum de religione verissime sentire. Sed ut eo; unde me quasi quidam verissimarum tuarum laudum æstus abripuit, revertar, non certe a prudentissimo principe argumentum historiæ, non ipsa a doctissimo Pontifice historia abhorret: abhorrere illud potius ab amplitudine dignitatis tuæ videbatur posse, quod non, quum primum in lucem prodierit, dicata tibi extemplo fuerit. Prima enim quæque digna principibus, eoque ipsis jucundiora videntur, quod prima sunt. Ego vero, Pontifex Maxime, tibi primos, tibi postremos, tibi omnes labores meos acceptos, dicatosque velim esse. Etenim quid illis honorificentius,

quid

quid mihi potest optatius contingere? Sed quum nondum antea exploratum esset, quale de Commentario meo fuisset doctorum hominum judicium futurum, multaque venirent in mentem, quare timerem potius scriptoris imperitiam, quam legentium sperarem facilitatem, equidem verebar, ut satis tibi placere, tuæque respondere magnitudini posset. Nunc, quum ea de illo opinio fuerit, quam maxime vellem, paullo factus audacior eum ad te si non meliorem, at probatiorem certe mitto: Qui quidem si, ut nomine commendatur tuo, ita judicio probabitur, haud erit profecto, cur omnium, atque ipsius etiam posteritatis incorruptum subire judicium vereatur.

DE

DE REBUS
AD VELITRAS GESTIS
COMMENTARIUS.



ELLUM Italicum a morte Caroli VI. Cæſaris Auſtriaci Borbonios inter, atque Auſtriacos conflatum ancipiti jam pridem marte, variaque, ut fortuna, ita Principum Italiæ ſpe aut metu ducebatur. Quartum jam annum hærebat ad Italiæ portas Philippus Borbonius Philippi Hiſpaniarum Regis F. & licet Gallorum auxiliares copiæ, noviſque ſuæ delectibus auctæ, ſubacti Allobroges, ſuperatæ Alpes, trajectus Varus, expugnatæ Niceæ, Montiſque Albani arces maximam illi in Italiam tandem, Galliamque Ciſalpinam erumpendi ſpem facerent; difficultates ſupererant tamen, plures etiam quam vellet. Obſtabant quippe mari Auſtriacarum partium fautores Britanni, qui totum claſſibus Mediterraneum obſederant; commeatus auxiliaque ab Hiſpaniis demorabantur; ea ſuis omnia ſociis ſubvehebant. Aditum terrâ intercludebat adhuc Sardiniæ Rex Carolus Emmanuel, locis arte, naturaque munitis, & populorum perſpecta jam fide fretus, ſi-

ſimulque Thereſiæ Auſtriacæ Hungariæ Reginæ auxiliis, cujus in Ciſalpina Gallia latum erat Imperium: Qui Sardiniæ Rex, dum ſuum tutari Regnum, Regnique fines amplificare ſtudebat, omnem ſe Italiam tutari prædicabat: eaque de cauſa magnis præmiis inductus cum Britannorum Rege, Hungariæque Regina certis apud Vormaciam conditionibus convenerat. Genuenſium contra erant animi irritati: namque in eo conventu ablatum illis quaſi pro imperio fuerat Finarium, opportuniſſimum ad Liguſticum mare oppidum: quodque ejus nationis hominum animis altius inſederat, videbantur ad injuriam contemptui etiam habiti. Vicinum igitur jam gravem, laterique nimium adhærentem timere, & longinquæ ſocietatis ſpem, atque arma reſpectare cœperant, parati, ubi ſe tempus daret, neque vana ſine viribus vis eſſet, pacificos, & cum cæteris Rebus Italiæ publicis communes ſenſus exuere. At qui pacis conſilia exuerat jam omnino, Mutinenſium Dux is erat Franciſcus Ateſtinus. Huic ab Auſtriacis, (quod majores quam conſueſſet, quamque alere poſſe videretur copias habendo, in rerum novarum ſuſpicionem venerat) denunciatum minaciter erat, uti aut voluntatem nudaret ſuam, aut ab armis diſcederet, & quia recuſaverat utrumque, confeſtim avito Imperio ſpoliatus, domo ejectus, coactuſque ad Borbonios confugere futuros vindices dignitatis, Hiſpanienſi ſeſe liberalitate tuebatur. Hetruria ab utriſque occulte ambita, petebatur a nemine palam, & Lotharin-

ringiæ permutatione potissimum secura quiescebat. Veneti armati ad fines, & nullis tamen partibus impliciti prudentis consilii ratione, veterisque Imperii auctoritate pacem servabant, eque tuto aliorum certamina & motus taciti spectabant; neque vero non vehementer dolebant ardere Italiam bello, propterea quod suæ in tanta propinquitate incendii, & communi etiam libertati metuerent. Pontifex autem Maximus, qui satis se adversus omnes belli impetus Religione tutum arbitrabatur, re omnium gravissima, quæque magnam apud Populos, Regesque auctoritatem habere semper debet, armatorum nihilominus vim sustinebat inermis, & dum neutri parti nocere pro sua erga Christianam Rempublicam benevolentia videri volebat, incommodi ab utraque parte plurimum necessario ipse accipiebat. Jam vero Carolum Neapolis & Siciliæ Regem, Philippi Hispaniarum Regis Filium alterum, multa, diversaque sollicitabant. Exstimulabat enim cum vetus partium odium, tum recens adversus Britannos ira, quod putabatur illorum impulsu domum revocasse, quas paternis copiis legiones ad Scultennam usque flumen subsidio miserat: videbat ab Austriacis retorqueri identidem oculos ad Regnum Neapolitanum, tamquam ad prædam sibi ereptam; consilia eorum, conatusque perspexerat: quid sibi, si (quod in Vormaciensi fœdere sancitum diserte erat) tota Borbonii Italia pellerentur, metuendum esset, cogitabat. Illa etiam cogitanti succurrebant, Regni novitas, non satis dum corrobo-

rata auctoritas, ambitiosæ Principum mentes, incerti Populorum animi, multoque incertior bellorum eventus. Igitur quid Populi, quid Principes molirentur, attente investigabat. Beneficio ut alii, nonnulli metu, omnes justo sibi lenique imperio astringerentur, operam dabat. Præterea Portum Neapolis, eamque totam oram novis propugnaculis, munimentisque succingi, navale instrui, naves refici ædificarique, arma curari, Milites exerceri jubebat: singulas ex singulis Provinciis legiones conscribebat, easque veteranis admiscendo, militiæ artibus, laboribusque assuefaciebat; præfecerat iis ex Neapolitana Nobilitate fortuna, & genere principes. Quo facto res consequebatur duas, ut & milites in suo Regno paratos, instructosque haberet, & Principum sibi animos militaris honoris specie devinciret. Denique etsi nihil se Italicis turbationibus interponere constituerat, quæ tamen ad bellum usui forent, iniqua tempora præmeditatus, enixe parabat.

Hic tum erat Italiæ Principum status, is habitus animorum. Interea bellum, uti dictum supra est, ab Austriacis, Borboniisque gerebatur. Quædam utrinque velitationes, aliquot etiam prælia commissa erant. Celebris illa apud Campum Sanctum pugna tanta concertatione, dubioque adeo exitu pugnata est, ut superiores ex ea utrique sese discessisse gloriarentur. Porro Austriaci, auctis post Camposanctense prælium copiis, & recenti Principis Lobcoviczii Imperio elati (quod novi semper Ducis adventu militum animi excitantur) premere acrius

crius

crius Hispanos, atque audacius insequi cœperunt. Hispanorum autem erat exercitus, & eodem Camposan&tensi prælio, & diutinis laboribus, itineribusque, tum etiam perfugarum frequentia attenuatus, neque celeriter redintegrari novis delectibus poterat; propterea quod & temporis oberat angustia, & mare, unde submitti illis auxilia poterant, a Britannis arctius custodiebatur. Itaque cum & propter militum paucitatem prælio contendere periculosum, & incommodum esset propter inopiam cibariorum iis, quibus jam inveteraverant, locis diutius immorari; simulque periculum illud esset, ne ab Austriacis, qui dimidio jam ferme majores copias haberent, ipsi circumvenirentur, neve objectis (quod hostes conabantur) viis, commeatus, & receptus intercluderetur omnis: tutius Hispani consilium secuti, castris a Pisauro repente motis, quamquam extremum semper agmen carperent hostes, incolumes tamen, paucis in longo, difficilique itinere desideratis, cum omnibus impedimentis in Regnum sese Neapolitanum receperunt: estque in eo receptu collaudata admodum Comitis Gagii Hispanorum Imperatoris virtus, & scientia rei militaris.

Id ubi Neapolim literis, nunciisque perlatum est, & jam jamque adesse hostes, fama omnia semper in pejus augens, falso nunciaret, animi hominum pro cujusque aut ingenio, aut fortuna varie afficiebantur. Erant (quod in omni civitate, atque in magna præsertim multitudine accidere necesse est) qui

odio præſentis ſtatus, inſita quadam naturæ mobilitate, novis rebus ſtuderent: & qui patrimonio naufragi deſperatique ſpem magnam in rerum perturbatione ponerent, communique mallent, quam proprio caſu interire: & qui demum, quod Auſtriacas olim partes arctius, atque apertius, quam privatum hominem deceat, eſſent amplexi, & jacere idcirco ſibi, ac minus in præſentia valere videbantur, illorum propterea Regnum ſumme cuperent reviviſcere, a quibus multa ſibi, & magnifica pollicebantur. At horum omnium furor, partim populi totius mirifice pro Rege conſentientis fide deterritus, partim ſeveriori Magiſtratuum diligentia, & novæ inter eos, qui dubiæ fidei habebantur, inſtitutæ quæſtionis metu compreſſus fractuſque ad inania vota, atque ad incertiſſimam ſpem devolvebatur. Reliqui vero fere omnes, qui aut miniſteriis, amicitiiſque Regiam attingebant; aut optimi Regis moribus ſuaviſſimis illecti, juſtiſſimo ejus imperio delectabantur; aut ab Hiſpanis oriundi pro ſua gente acerrime ſtabant, parati erant quidvis perpeti ac facere potius, quam Germanorum iterum jugum ſubire. Nihilo tamen ſecius metuebant rerum humanarum viciſſitudinem, & nonnulli ex iis rei militaris ignari ad belli nomen ſtrepitumque horreſcebant, & quæ ipſi ſibi temere fingebant pericula, inepte miſerabantur. Pars igitur trepidare, pars gaudere, alii nimium cedere, timere nimium alii, de Rege, ac Republica quidam, omnes de ſe cogitare. At

Rex,

Rex, adhibitis summis viris, quibuscum maximis de rebus communicare consueverat, quid facto opus esset, quærere instituit. Censebat aliquis, Austriacos irritari tam alieno tempore non oportere, Hispanis nimium aperte juvandis; recordabatur ancipitem martis fortunam; naturam populorum infidam, atque mobilem: hinc Siciliam ac Brutios pestis Mamertinæ metu laborare, illinc Vestinos, ac Marucinos hostium imminentium furore urgeri dicebat: certos homines ad defectionem spectare forsitan: quiescere nunc quidem, at commoveri posse ad belli, & fortunæ motum: nihil esse tam minimum, quod negligi in Imperio, atque in bello præsertim possit: magnum ubique, maximum intus periculum. Adversus quos casus tam multos, tam varios, tamque interdum repentinos, quæ spes? ubi belli nervus pecunia? ubi exercitus? auxilia ab Hispaniis aut advenire serius, aut prohiberi facile posse: superum inferumque mare esse clausum: mercaturis fatali hac Regum & Nationum discordia impeditis fidem concidisse: vectigalia deteriora in dies fieri: Ærarium pene exhaustum esse. Quod vero ad exercitum attinet, collectitios esse milites tantum, tyronum turbam, aut deserturos signa, aut etiam aggregaturos sese hostibus, ubi hostes viderint: Hispanos autem Austriacorum multitudine perterritos, tot detrimentis absumptos, tot itineribus defatigatos quietem potius, ac laborum periculorumque levamentum aliquod, quam prælia rursus, & castra spectare: etiam

atque etiam prospiciendum esse, ne temere progressis turpis impendeat exitus, neve dum amicis prodesse volumus, nos pereamus, & ipsi non serventur. Proinde nullam sibi nisi in otio salutem videri, & nisi in eo Rex consilio perseveret, quod constitutum jam cum Britannis habuerit, ut abstinendo armis, neutram hoc bello in partem inclinet: cunctandum, & rationem interim excogitandam esse aliquam, qua & cedentes Hispanos sublevemus, si possumus, & Austriacos insequentes non offendamus. Contra erat, qui Hispanorum exercitum libentissimis animis accipiendum, & cibariis, auxiliisque, omni denique re juvandum esse putaret, nulla Austriacorum habita ratione: non utile Regi, non esse honestum, Philippi Patris milites pro Patris ejusdem Philippi hostibus, & jam suis deserere; Austriacorum conatus omnes eo spectare, ut devictis ejectisque Hispanis, Regem deinde Neapolis, quietis simulatione deceptum, facilius conficiant, Italiaque omni potiantur. Eo Vormaciense fœdus omne, eo intimam illam cum Sardiniæ Rege armorum, consiliorumque omnium conjunctionem, tanto impendio quæsitam, pertinere: eodem etiam illud, quod per Britannos unum, idemque cum ipsis sentientes, ut supersederetur bello, utque Neapolitana ab Hispano exercitu auxilia avocarentur, tantopere contenderint: eodem pertinere, quod dum mediam Rex personam diligenter tuebatur, ipsi interea insidias moliri, Neapolitani populi fidem per literas, improbosque homines convellere nunquam desti-

sti-

stiterint: modò inimico animo cum exercitu in Regni finibus esse: expectandumne etiam, dum cunctantes, & vetera illa ac pervulgata de ancipiti martis fortuna, deque populorum natura mobili perpendentes, opprimamur? Quid tandem, inquit, veremur? aut cur de populi fide, de militum nostrorum virtute, de copiis, de pecunia denique desperamus? An non hic populus ille idem est, qui Proregum avaritiam, superbiamque nuper pertæsus, Regem cupidissime proprium appetiverit, deinde ejus benignitate captus adamaverit, a quo Rege magnis beneficiis ornatus, tantis commodis auctus fuerit? An non hujus ipsius populi constantia explorata tum maxime est, cum littori, portuique nostro Britannorum classis immineret minitabunda, & seditionis occasionem avida aucupari videretur? atque illis turbulentissimis diebus nemo in tanta sese multitudine commovit; quin fuere homines, qui maris cognitione freti audacter sanè, atque animose reciperent Regi, ituros sese ad Britannorum naves, easque incensuros. Quid tu igitur nobis, ut populo credamus, suades? Ego vero non modo non illi credendum, sed summopere ab eo cavendum esse dicam sane, si vultis. Sed utrum diligentior cautio est in ejusmodi periculis pertimescendis, si falsa, an in vindicandis, si vera sunt? nam belli apparatu & quiescunt timidiores, & scelerati, si qui sunt, obstinatoque ad facinus animo, quum non timeri sese videant, timere ipsi incipiunt, neque audaciæ suæ locum ibi esse existimant, ubi

pa-

paratas offenderint ad defendendum vires. At credo de militum nostrorum robore, atque animis dubitamus: quos qui collectitios appellat, ignorare is mihi videtur, illorum militum magnam partem vigesimo jam stipendio functam esse: denique hos esse eosdem, qui in Africa apud Oranum cum ferocissima Maurorum gente, in Italia apud Butuntos cum hisce eisdem Austriacis congressi superiores discesserint; & qui in Siciliam deinde transgressi, Syracusis, & Messana, quæ ab hoc ipso Duce hostium Lobcoviczio præsidio tenebatur, in deditionem acceptis, duo celerrime Regna receperint. Tyrones autem qui sunt, ut in omni exercitu sunt, hi quidem juventutis vi, veteranorum exemplo, Ducum imperio & in officio continebuntur, & si non vetustatis, eamdem certe exercitationis, & roboris opinionem assument; Illum vero exercitum, Gagio Imperatore, & Camposanctensi prælio nobilem, Hispanorum Belgarumque florem, & proximo hoc in Regnum receptu ab hostibus lacessitum, num tandem quærere otium, an congrediendi iterum cum Austriacis occasionem sitire arbitramini? Neque me illa movent, quæ de Mamertina peste, deque utroque mari clauso jactantur. Nam Mamertina pestis Comitis Mahonii Legati diligentia, atque auctoritate, aut extincta jam fere est, aut ipsa diuturnitate ita relanguit, ut infrequentioribus præsidiis comprimi facile possit. Ut mare autem custoditum, & septum adeo esse concedamus, nulla ut omnino auxilia, & commeatus evadere possint,
quid

quid externa requirimus, quum domesticis abundemus? An Siciliam, horreum quondam populi Romani, beatissimas Brutiorum Provincias, Campaniam præterea, Apuliam, Samnium non frumentum, non omnis generis commeatum, non equos, arma, milites subministrare largiter posse censetis? Nam pecuniæ ad stipendium satis, mea quidem sententia, est, ubi vectigalia fide redimantur, fide ac diligentia administrentur, neque auri pondus in non necessarias res effundatur. Hisce igitur copiis opibusque cum hostis ferox avidus impendeat, & nostris prope in faucibus urgeat, sedentes adhuc, bellandum necne sit, otiose consulimus? Bellum, bellum, inquam, gerendum est, vi vis quam maturrime repellenda, ne, quod turpissimum est, sero sapiamus; hostes autem socordiam nostram suam putent occasionem, & ad eorum conatus propulsandos aut animum nobis, aut vires defuisse suspicentur. Hac oratione inducti ad bellum plerique propendebant, utique Hispaniensis exercitus omni aperte re juvaretur, & Neapolitanæ cum eo copiæ quam primum conjungerentur, decernere videbantur. Sed Rex satis in præsentia habens, Hispanos Regno, commeatuque non prohibere, quod salvis cum Britannorum Rege conditionibus facere poterat, nihil sibi ulterius progrediendum esse existimabat. Nam etsi vera esse, quæ dicerentur, videbat, tamen committendum non putabat, ut armis sumptis dici posset, turbandæ quietis initium a se fieri. Dicebatur etiam permotus Ducis Montallegrii consilio, qui apud

eum

eum rerum usu, & ingenio solertissimo plurimum poterat. Is, uti ferebatur, vel quod naturâ prudentior esset, vel quod partam in pace auctoritatem imminui, suamque in bello operam minus probari vereretur, bellicis propterea consiliis adversabatur maxime, iisque Regem, populumque sollicitari nolebat.

Dum hæc Neapoli consuluntur, Princeps Lobcoviczius cum equitatus, & peditatus parte Comitem Brounium Legatum miserat, qui Hispanos ad Truentum usque amnem persequeretur, & vexaret, atque etiam exploraret, si quid ab Austriaci exercitus propinquitate motus in Vestinis, eaque circum loca oriretur. Ipse in agro Piceno iter represserat de summa belli admodum sollicitus, atque incertus, quo progrederetur. Namque a principio cogitaverat, pulsis fugatisque Hispanis, in Lunensem agrum descendere, ibique & Galliam Cisalpinam, Hetruriamque respicere, unde illi commeatus facile, atque abunde supportaretur omnis, & Genuenses continere, qui Vormaciensis fœderis injuria incitati tumescere jam ad bellum videbantur, simulque præsto esse ad occurrendum Hispanis, si forte vacuum nacti a Britannis mare, ad oram portumque aliquem Ligusticum improviso appellerent. Hispanorum enim auxilia mare jamdiu e Barcinonensi littore spectabant, confestim in Italiam, ubi fuisset occasio, avolatura; Britannorum autem classis post navalem ad promontorium Siciense pugnam in Magonis sese portum subduxerat, & diutius ibi morabatur, dum prælio, & longa maris, hyemi-

misque jactatione afflictæ naves, remigesque reficerentur, ac instruerentur. Nunc vero in Neapolitanum Regnum hostibus receptis, Lobcoviczius ex rei commutatione longe aliud sibi capiendum consilium, atque antea cogitaverat, intelligebat; neque adhuc tamen, quænam hoc allato nuncio Hungariæ Reginæ mens esset, quæve deliberatio, satis sciebat; & si Neapolitani belli fortuna tentanda esset, ut satis firmum, satisque magnum ad eam rem exercitum haberet, magnopere verebatur. Incertus itaque, uti diximus, quo se verteret, in Agro Piceno consederat, expectabatque ancipiti cogitatione distractus, quoad sciret, quidnam Regina, audito Hispanorum receptu, decerneret, atque imperaret. At illam Neapolitani Regni invadendi cupiditas invaserat tanta, ut eorum, qui contra in Concilio sentirent, opiniones negligentius audirentur, neque prorsus quidquam adversus proficerent socii atque amici Regis Sardiniæ obtestationes; quum ipse amissis locis plurimis munitissimis, patefacto in Imperii sui viscera aditu, saluti jam suæ diffidere inciperet, debitumque sibi ex Vormaciensi fœdere Austriacorum subsidium maxime necessario tempore imploraret: non distrahendas vires esse vociferabatur, non bella bellis serenda: quum conjunctis copiis vix satis præsidii esset ad præsentes hostes reprimendos, quid ultro alios accerseret? quum sua retinere vix posset, quid alienis inhiaret? sese quidem timere detentis Neapolitano bello Austriacis, & sedentibus ad minorem Balearem Britannis, ne
ipse

ipſe interea unus Hiſpanorum, & Gallorum impetus haurire, neve cogatur, tantis jam detrimentis acceptis fortunæ tandem ſuccumbere: id ſi evenerit, denunciare antea ſeſe, atque prædicere, non ſine maxima ipſius etiam Reginæ pernicie, & forſitan totius Italiæ jactura eventurum. Regina nihilominus in ſua ſententia perſeverat, eorumque libentius conſilio permovetur, qui Neapolim occupandam cenſent, & faciliimi negotii rem eſſe demonſtrant, diſſipatis perterritiſque Hiſpanis, quieto atque adeo imparato Rege, at paratiſſimis (ut ſibi ipſi perſuadebant) ad defectionem populorum animis: Sardiniæ Regem nihil non timendo nimium timere: ſatis in eo virium eſſe ad Italiam ex ea parte tutandam, eoſque repellendos hoſtes, quorum magna pars difficultate itinerum, frigorum vi, crebritate præliorum, locorum expugnatione aut interierit, aut dilapſa jam ſit: reliquis vero longe a domo in hoſtili, & non fructuoſa terra, mari intercluſo, bellantibus præſidii parum, periculi nimium ſupereſſe. Multum in Germania deperiiſſe, pace cum Boruſſiæ Rege neceſſariis magis, quam æquis conditionibus facta; magno in Italia ſtetiſſe Sardiniæ Regis ſocietatem: ea omnia duobus opulentiſſimis Regnis acquiſitis, compenſari facile poſſe. Erat Romæ Comes Tunius, Epiſcopus Gurcenſis, Reginæ ad Pontificem Maximum Legatus. Ipſe & rem a principio per literas propoſuerat, & proclinatam nunc urgebat vehementiſſime. Hominem ſua ſponte officii ductum neceſſitate, quod Reginæ Legatus

eſ-

esset, tum etiam præcipuo adversariorum odio incensum, incendebant etiam magis plurimi, qui Romæ Austriacis partibus ad insaniam usque studebant, & nonnulli, qui ad eum ex Regno confluxerant, exules damnatique. Hi dum a Regina aliquid Legatoque exprimerent egentes, perditi, nihil magnopere pensi habebant assentari, mentiri, fallere, jactare amicitias, & clientelas, comminisci seditiones, magna atque incredibilia polliceri, alere credulitatem. Hæc tamen omnia, atque uberiora etiam, ut suæ plerumque homines opinioni largius indulgent, ad Reginam Episcopus Gurcensis Viennam perscribebat; & Viennæ credebantur, vel quia facile credimus, enixe quæ volumus, vel quia Comes Tunius, cujus prope in conspectu Neapolitanum Regnum erat, melius propterea videbatur posse illius Regni statum perspicere. His de causis, quas commemoravi, magno animo, majoreque spe bellum adversus Neapolis Regem decernitur. Imperatur Lobcoviczio, uti confestim cum exercitu suo in Neapolitanum Regnum irrumpat. Regni per Civitates, ac Provincias Reginæ Hungariæ nomine conscriptæ literæ disseminantur. Solicitantur veteres, atque occulti Austriacarum partium fautores. Hebræorum Mercatorum, qui commercii, atque industriæ causa Neapolim vocati erant, expulsio promittitur. Apparebat id populo dari, apud quem illa natio consuevit invidiâ divitiarum, & Religionis perversitate offendere. Impunitates, immunitates, tabulæ novæ, præmia, honores ostentantur. Omnibus modis omnium homi-

mi-

minum, atque ordinum fides, ingeniaque tentantur. Comes Brounius Legatus, quem a Lobcoviczio missum ad insequendos Hispanos demonstravimus, de bello inferendo certior factus, Truentum celeriter transiicit, quod flumen Neapolitanum a Pontificio Imperio dividit. Tumultuatur longe lateque; circumjacentes agros hostilem in modum devastat; occupat parva quædam in Vestinis loca; eorum Magistratui panem, hordeum, maximeque pecunias imperat: levibus etiam præliis cum Hispanorum equitum stationibus contendit. Quo quidem tempore res accidit non prætereunda silentio, & qua in ipso expeditionis initio periclitari hostes potuerunt, quid Neapolitani milites etiam gregarii possent, atque auderent. Namque Neapolitanus quidam inter Hispanos Dracones merens (genus id equitum est, qui in præliis ex equis interdum desiliunt, & pedibus præliantur) quum ab Hungaricis levis armaturæ equitibus circumventus esset, non sese hostibus dedit, non animo concidit, sed equo admisso, schythicoque ense elato in illos irruit audacissime, septem ex iis interfecit, quosdam vulneravit, reliquos conjecit in fugam: atque interfectorum spolia quum retulisset in castra, atque ad Imperatoris pedes projecisset, admiratus Imperator viri virtutem, ducentos fortissimo militi aureos numerari jussit, quos ille commilitonibus statim suis largitus est, una se facinoris gloria contentum esse dicens, ut non magis invicti, quam magni animi indicium daret. Lobcoviczium interim de bello

jam

jam non dubium illa rursus dubitatio sollicitabat; qua potissimum parte in hostium fines duceret agmen. Erant omnino itinera quatuor, quibus itineribus a Pontificis Provincia in Regnum Neapolitanum perveniri poterat. Tallacotiense, & Rheatinum non admodum frequentia, & qua ire exercitus, hyeme præsertim, nequaquam poterat; propterea quod loca aspera nimium essent, ac montosa. Eorum itaque cogitatio ne suscepta quidem est. Reliqua erant duo, quorum alterum mare superum consectatur, & per Potentiæ fluminis ostia, atque Asculanorum fines in Vestinos ducit, eoque ad insequendos Hispanos Comes Brounius ierat: alterum porro Umbriam attingit, agrumque Romanum discriminat, & per Anagniam, ac Frusinonem in Campaniam illabitur. Hac erumpere in Regnum conabatur Lobcoviczius, & erupisse quondam ajunt Carolum Galliarum Regem illum, qui Ludovici Mauri Mediolanensium Ducis turbulentis, atque ambitiosis consiliis evocatus in Italiam descendit; unde Ludovico exitium, Carolo fuga, Italiæ omni vastitas, & nunquam interitura Transalpinorum bella evenere. Atqui plerique existimant, si adhibita, Lobcoviczius, celeritate, transducto confestim exercitu flumen Truentum, eodem, quo Comitem Brounium præmiserat, itinere in Vestinos venisset, indeque nactus Apuliæ fuisset opima, ac maritima loca, potuisse ab eo bellum majori cum sua utilitate, hostiumque damno administrari. Quæ res tamen plures recipiebat difficultates. Erat anni tempus du-

rissimum altissima nive. Difficillimæ propter viarum ac locorum, a luto atque nive subsidentium, angustias, æneorum tormentorum, cæterarumque rerum subvectiones. Conflictabatur etiam rei frumentariæ, pabulique inopia, quæ ingravescere in dies posse videbatur, si per hostium agros, aut per quos hostis pene vastabundus incesserat, ipse nusquam præparatis commeatibus iter facere cœpisset. Quum vero tota in festinando res consisteret, maximo erat ad conficiendi negotii celeritatem impedimento Aterni arx objecta excurrentibus, quam præsidiis, ac propugnaculis munitam egregie, modò Hispano etiam exercitu succinctam, & tentare, & relinquere post se æque periculosum erat. Dum autem Reginæ mandata expectat, dum rem frumentariam expedit, atque auxilia e Gallia Cisalpina, auxilia e Germania conveniunt, multum effluxerat temporis. Interea accelerabant, ut sese cum Hispaniensibus conjungerent, Neapolitanæ copiæ, & rei e vestigio gerendæ occasio, in bello præsertim occupanda, prætervolaverat. His rebus permotus Lobcoviczius illam superi Maris viam relinquit, & quum vernum jam tempus præcipitaret, revocato Comite Brounio, suisque omnibus in unum tandem coactis copiis via Flaminia per Umbriam, Agrumque Romanum in Campaniam, uti dictum est, constituit irrumpere.

At quibus viribus Neapolitanum Regnum profectus sit oppugnatum, statuere difficile est. Pro studio enim partium alii amplificant, alii ele-

elevant militum numerum; & quum bella plerumque famà, atque opinione conſtent; ejuſmodi rumores, varia in vulgus edendo, adaugere callide ipſi ſolent Imperatores, quo majorem ſuis fiduciam, hoſtibus iniiciant metum. Sed viginti millia peditum fuiſſe, ſex equitum feruntur. Accedebant legionariis collecti ex Tranſilvania, Croatia, Illyricoque omni, & finitimis regionibus velites, quos e ſuis latibulis excitos, ad prædam, bellumque in Italiam Auſtriaci compulerant. Multi etiam capitis damnati, transfugæque convenerant, quos vitæ, veniæque deſperatio, & rapinarum ſpes acrius ad arma concitabat. Ex his conflatæ centuriæ, quod nullo ordine, nullaque diſciplina certa pugnarent, ſolutæ appellabantur. Erant præterea Hungaricorum equitum circiter millia duo, qui libere, atque audacter veteri Parthorum more vagari conſueverunt; itinera habent infeſta, commeatus intercipiunt, loca explorant. Hunc exercitum (quem majorem etiam fama eſſe nunciabat) ad invadendum Regnum trahebat Lobcoviczius inſignis ipſe Dux, & primis apud clariſſimum Imperatorem Eugenium ſtipendiis, & rebus in Boemia geſtis, & quod ad Italicum bellum tantum, atque difficile haud nequidquam miſſus eſſe videbatur. Jamque Macerata moverat IV. Nonas Maii, quatriduique viam progreſſus, ſuperatis ſaltibus, qui Picentes ad Umbris dividunt, atque ad Camertes pertinent, modicis ad Forum Flaminii itineribus pervenerat. Advolat eo continuo Romà Comes Tunius. Omnia, quæ Lob-

coviczio sæpius per literas inculcaverat, coram ipse agit multo vehementius. Excitat, hortatur, docet quantopere ad caussam, Reginæque utilitatem intersit Neapoli confestim potiri: expeditionis gloriam, commodaque amplificat. Id in primis facillimum factu esse dictitat: per omne enim Regnum, atque in sinu urbis Neapolis esse ait summæ potentiæ, magnæque cognationis homines, qui fremant, præsentemque statum ægre patiantur, & sese Austriacis cupiant quamprimum adjungere: auctorem populis, non animum ad defectionem deesse: proinde iret, atque auderet, nullo negotio opprimi posse Regem in ancipiti positum discrimine, quum domestica simul cavere & externa propulsare pericula debeat. Hæc dum in castris cum Lobcoviczio Tunius agit, animadvertit Legatos, & plerosque copiarum Præfectos alieniore esse in Lobcoviczium animo, deque illo asperius loqui. Hominem esse dicere indiligentem, difficilem, & qui omnia revocet ad arbitrium suum, nihil de aliorum sententia agat. Id utrum invidia, ac malevolentia adducti, quod homines de his libenter detrahunt, eminere quos videant altius, an revera, quod ita esset, dicerent, ac quererentur, ambiguum cum valde sit, non videtur pro certo esse ponendum: præsertim cum qui Lobcoviczio usi sunt perquam familiariter, multa nobis, atque egregia de ejus facilitate morum, ingeniique præstantia retulerint. Sed Comes Tunius Romam celeriter reversus statim literas ad Reginam dedit, quæ illi accurate signifi-

fica-

ficarent, quæcumque ipſe de Lobcoviczio, deque aliorum Ducum diſſenſione, & querelis, in caſtris quum eſſet, audierat, atque perſpexerat. Regina, quod Regni repetendi occaſionem corrumpi prolatando, ac diſputando poſſe videret, ſeverius ad Lobcoviczium ſcribit, uti bellum, iterque maturet, ſimulque (ut aliquid Legatis etiam daret) Legatorum in Concilio ſententiarum rationem haberi majorem jubet, neque eorum negligi conſilia, qui Auſtriacas Romæ res curabant; quorum ad bellum Neapolitanum opera, ac diligentia ob loci propinquitatem, & notitiam opportuna admodum eſſe videbatur. Lobcoviczius, hiſce mandatis acceptis, tripartito copias dividit, itaut exercitus pars altera ab altera parte bidui via abeſſet: eo conſilio, ut earum regionum hominibus, per quas tranſire copias oportebat, ſpatium daretur ad expediendos commeatus (erant enim eæ circum regiones frequentibus exercituum itineribus magnopere exhauſtæ, atque attritæ) ac ut ipſæ etiam copiæ ejuſmodi intervallo diſpertitæ facilioribus vecturis, cæteriſque neceſſariis rebus uterentur. Tali modo inſtructo exercitu, & re frumentaria ordinata a Foro Flaminii Lobcoviczius progreſſus per Spoletanorum, Interamnatium, & Narnienſium fines ad Falerios Faliſcorum pervenit. Caſtra ibi locat, Concilium advocat. Adſunt Legati, primique Ordines. Adeſt Alexander Albanus Cardinalis, qui Roma tum forte venerat, & qui, Sardiniæ primum Regis, deinde Hungariæ Reginæ patrocinio ſuſcepto, Auſtriacis



hac de causa partibus inserviebat; adest etiam Comes Tunius Episcopus Gurcensis, & Abbas Franchinius Tavianius Pistoriensis Magni Etruscorum Ducis Legatus, cum militaribus viris de bello togati homines consulturi. Variæ dicuntur sententiæ. Disputatur. Quum Legati, cæterique copiarum Præfecti, qui conventui intererant a Lobcoviczio cupidius dissentirent, quam tempus postularet, atque e Concilio indignantes consurgerent: comprehendit illos Alexander Albanus, & magnopere cohortatus rogat, dissensionum, & controversiarum finem faciant, neu privatis simultatibus publicam caussam perditum eant: eadem agunt, atque orant Tunius atque Franchinius. Discessum tamen a Concilio est, ut tumultuatum potius, quam deliberatum aliquid sit.

Interea dum hæc ab Austriacis geruntur, Rex Neapolis ea spe lapsus, quod Austriacos aut æquitate permotos sua, aut Sardiniæ Regis periculo in alteram Italiæ partem retractos, nihil quidem contra se in præsentia ausuros esse arbitrabatur, consilio omni quietis, & cunctationis abjecto, hostibus quam maturrime occurrere instituit. Itaque, nondum hyeme confecta, duas ex Hetruria sua legiones arcessit, reliquas ex hibernis deduci, armari, suppleri-que, & convenire statim jubet; quasdam continenter præmittit, quæ ipsa sui adventus fama hostem interim demorentur, si per causam insequendi Hispanos eruptionem in Regnum Theatem versus facere contendant; quod collectis, junctisque ratibus ad efficiendos in Truen-

to

to pontes, & præmissis nonnullis Hungaricis equitibus, conari identidem minabantur. Ipse equitatui studet, frumentum, milites, pecuniam imperat. Imperata libentissimis animis Neapolitani faciunt, atque hoc etiam majori diligentia, quod summopere cupiebant removere ab se infidelitatis suspicionem, quam fidelissimæ Civitati, temere multa Austriaci jactando conflaverant. Portum Neapolis, novis jam, ut diximus, extructis propugnaculis, ne quid a mari hostibus pateret, & dispositis præsidiis, tormentisque muralibus communire festinabat. Præterea naves bellicas duas, quinqueremes quatuor, totidemque biremes; & magnum actuariarum numerum expediri jubet, quę pro Cajetæ littore, portuque in statione sint, & auxilia exercitui commeatusque, si opus fuerit, subvehant. Dat prudentissimis hominibus negotium, ut, absente se, Rempublicam suscipiant, atque administrent, idque Michaeli imprimis Retio classis Præfecto commendat; ad quem non tam propter viri dignitatem, quam propter egregiam in moderando populo facilitatem totius urbani Imperii summam respicere Rex voluerat. Quum vero dubiæ fidei insimulati plures in vinculis haberentur, & tali in tempore lenienda potius, quam exagitanda populi vis videretur, solvi eos extemplo, liberosque abire jussit. Quo facto magnam a populo, cæterisque ordinibus gratiam iniit, improbosque ipsos, tantæ mansuetudinis admiratione obstupefactos, repressit ab omni conatu novorum consiliorum. Ipse ad hostem proficisci

constituerat, magnam Regium nomen in bello vim habere existimans, eoque & hostes terreri, & suos incitari, & Ducum usitatas æmulatione imperii minui controversias, intelligebat: simul, si quid durius domi, forisve accidisset, tutiorem multo inter armatos, atque apud suum exercitum fore sibi locum videbat. Accendebatur etiam Philippi Fratris exemplo, qui iisdem temporibus in Taurinis magno, fortique animo cum Rege exercitatissimo gerebat bellum; & dicebatur per eosdem dies a Philippo Patre, militarium facinorum cupidissimo Rege, incitatus per literas ad bellicam fortunam, propriamque Borbonii generis laudem. Igitur domi rebus optime constitutis atque omnibus ad profectionem comparatis, Civitatis Primoribus convocatis, Rex sese ad hostem iturum, & Reginam interea cum liberis Cajetæ quietiori in loco futuram pronunciat. Tum vero hoc audito procumbunt Regi ad pedes Neapolitanæ civitatis Principes, & multis precibus orant, atque obsecrant; si ipse abesse cogitur Reipublicæ caussa, Reginam quoque discedere ab ipsis ne patiatur: maximo hanc rem Neapolitanis hominibus non dolori tantum, sed etiam dedecori fore, quum videri possit aliquid Neapoli subesse, quod cavendum Reginæ, vitandumque fuerit. Enimvero Rex negat Conjugis suæ, quæ gravida sit, valetudinem pati, ut gravius etiam fatigetur Imperii occupationibus, iisque rerum incertis, quæ, turbata pace, in magna facilius multitudine accidere possint: bono essent animo, neve ad in-

injuriam interpretarentur facta, quæ alia omnino, justaque de causa fierent. De eorum autem fide eo se minus dubitare dicit, quo magis perspicuam ipsorum erga se voluntatem videat; & videre ipsi possint, nullum sese pro eorum incolumitate periculum recusare. Hortatur denique, quando de ipsis non male meruerit, suum ut honorem ab hostibus defendant, & necessaria conferre ne graventur ad justissimum bellum, quod non intulerit ipse, sed propulset illatum. Equidem quo mea me dignitas, & vestra salus vocat, abeo, inquit: at quæcumque acciderit fortuna, utinam, Cives, saluti vestræ consulere possim, dignitati meæ certe consulam. Ad hunc orationis exitum flentibus omnibus, qui aderant, cum Conjuge, & liberis discedit Rex. Discedentem lacrymis, votisque prosequitur infinita hominum multitudo, quæ subitæ profectionis nuncio commota (emergebat enim tum maxime dubiis in rebus erga mitissimum Regem populi amor) jam ad Regiæ domus fores convenerat, & longo perpetuoque agmine suburbium usque, fora, viasque omnes oppleverat, Regis discessum, suam mœrens solitudinem. At Regni Principes, quibus major a dignitate metus erat, aut spes, eamdem plerique cum Rege fortunam adire parati, in belli illum labores, ac pericula comitati sunt.

Neapoli VIII. Kal. April. profectus Capuam eodem die venit. Postridie Regina Legionis Italicæ, & Legionis Helveticæ Prætorianorum parte, & quinquaginta Custodibus

Cor-

Corporis ſtipata Cajetam cum liberis concedit. Rex Vulturnum amnem non longe a Venafro ponte tranſgreſſus, quem ipſe pontem jampridem e lapide extrui ad ornatum commodumque regionis juſſerat, Venafrum altero a Capua die pervenit. Apenninum inde ſuperare inſtituit, qua id jugum, cujus dorſo tota Italia dividitur, a Campaniæ finibus in Veſtinos excurrit, & cum Apulia continens eſt ab ea parte, quæ ſpectat in orientem Solem. Loca erant ardua, aſpera, præruptis rupibus confragoſa, ipſoque anni tempore horridiora, & vere incipiente, plurimæ Cælo nives deciderant, quæ veteribus cumulatæ iter impediebant uſque adeo, ut quamvis diſcuſſa nive glacieque, incedere tamen ſine caſu, aut prolapſione aliqua miles non poſſet, & per præcipites ſæpe, lubricaſque altitudines provolverentur jumenta cum oneribus, intolerandaque frigorum vi vexarentur homines, & exanimarentur etiam aliquot. Tantis in difficultatibus nihil tam militibus faciebat animum, quam Regis exemplum, quem eadem a Cælo, locique aſperitate perpeti, eoſdemque alacri vultu excipere videbant labores, ad quorum patientiam aſſiduo ipſe venatu obduruerat, & regio animo pericula omnia minora ducebat. Maxime igitur difficili via per Rivi nigri, Montiſque Vallonii ſaltus ad caſtellum Sangri proficiſcitur. Oppidum eſt opportuno loco ſitum, nomenque a flumine habet, quod prope oppidum labitur; cui quidem oppido Rex non ita pridem Civitatis nomen, & jura dedit, ut Dominæ loci

Fa-

Familiæ vetustissimæ Caracciolæ gratificaretur: utque perpetuo constaret, non invitum ipsum ibi Regem mansisse. Sed Rex partem jam copiarum præmiserat per latissimam, ut in montibus, planiciem (quinque enim millia passuum in longitudinem patens, a mensura nomen accepit) iisque imperat, ut, adventante hoste, Hispanis celeriter subsidio irent: ipse quum reliquis copiis, modico intervallo, suis Hispanisque auxilio futurus subsequebatur. Sed quum hostium impetus languescere videretur, atque ejusmodi languoris causa ignoraretur adhuc, Rex ad castellum Sangri subsistere interea constituit, hæc spectans; Si Austriaci a Piceno sese in Vestinos effunderent, ipse ut Hispanorum exercitu statim conjuncto validior hostibus occurreret, ibique decertaret, ubi facilius coercere ipsos propter locorum iniquitatem posset, eademque ratione equitatum ipsorum, quo multum valebant, ad rem gerendam inutilem efficeret: sin regionis natura, oppositaque Aterni arce, & duorum exercituum conjunctione deterriti tenerent sese, neque progredi auderent, tum ipse quoque sedens, itinera hostium circumspectaret, quæque apud ipsos gererentur, cognosceret, & consilium pro tempore & pro re caperet. Interim certos homines circum finitima loca miserat, qui de re frumentaria providerent, vecturasque civitatibus describerent, curarentque, uti facile, & continenter necessaria ad exercitum comportarentur. Quidquid etiam Truentum, Lyrimque amnes interjacet, atque Asculanorum, &

Fre-

Fregellanorum fines attingit, id omne præsidiis occupaverat, & maxime quacumque penetraturus hostis videbatur; atque ita militum manus per præsidia dispofuerat, ut colligi, & signo dato convenire in unum extemplo possent. Hæc apud Regem belli ratio erat. At Romæ Trojanus Aquaviva Cardinalis, Hispaniarum, Neapolisque Regum ad Pontificem Maximum Legatus, quum bellum in vicinia arderet, & plurima, ad bellum quæ pertinerent, inter Austriacarum partium fautores in Urbe agitarentur, impigre omnia prudenterque attendebat. Tantum autem poterat consilio, gratia, auctoritate, diligentia, opibus, nihil ut Austriaci Duces in castris, nihil Romæ Legati molirentur, quod ipsi lateret in tempore. Per hujus igitur viri literas Regi renunciatur, Lobcoviczio esse in animo, deposito his de causis, quæ supra demonstratæ sunt, invadendorum Vestinorum consilio, bellum in Cassinatem transferre, indeque commodiore itinere Neapolim petere maxima cum spe, quam vani etiam rumores alant, fore ut per occasionem, & propinquitatem exercitus sui Campania omnis, ipsaque arx, & caput Regni Neapolis ad rebellandum consurgat; qua in rerum perturbatione, inclinantibus nonnullis ad Austriacum nomen, novasque res, valde illum confidere probam sibi potiundi Regni occasionem dari posse. Hisce Rex cognitis rebus, copias omnes suas a Vestinis iter avertere, atque in Cassinate contrahi, eoque Hispanorum etiam exercitum per Celanensem, Soranumque agrum con-

contendere jubet: ipse a castello Sangri Idibus Aprilis profectus in Campaniam regreditur, & quum Venafri propter rationem belli aliquot dies esset commoratus, eodem fere tempore, quo sese a Piceno Lobcoviczius commoverat, & jam per Umbriam suas copias transducere cœperat, ipse ad Sangermanum Cassinatis oppidum, & Marci quondam Varronis doctissimi hominis villam, pervenit. Quo quum in oppido Rex esset, Hispaniensis, ac Neapolitani exercitus Ductores primos, qui eodem venerant, consulere de bello cœpit, eique consilio interfuit etiam Mutinensium Dux constanti erga Borbonios fide clarus; neque abfuit Montallegrius, quem auctoritatem apud Regem habere diximus, & qui ex gravi morbo in itinere susceptо, tum primum convaluerat. Erant nonnullorum sententiæ, qui Regem ad Regni fines opperiri Austriacos arbitrabantur: nam Cassinatem saltum custodiri ob loci angustias facilius posse ajebant, & melius domesticis copiis rei frumentariæ ali exercitum, quam aut in aliena terra quæsitis, aut longe comportatis: populares autem, si quid intestini motus timeatur, vel nihil moturos Regis præsentia coercitos, vel acrius etiam pugnaturos pro patria in conspectu suorum. At Gagius, de quo supra diximus, Hispanorum Imperator, non expectandum esse dicebat, dum hostium irruptione domestica quies obturbaretur, & populares, quocumque animo essent, irritarentur agrorum populatione, cæterisque belli cladibus: quam longissime a finibus submovendum esse hostem,

tur-

turbarum, & seditionum spe appropinquantem: neque de commeatibus desperandum, quorum eo majorem in dies copiam affuturam, quo magis integræ a belli vastitate Provinciarum opes fuerint: hostes ipsos multum animorum, atque audaciæ demissuros, quum videant exercitum nostrum non modo non cedere eorum adventu, sed etiam propius accedere; fortiores enim videri semper qui provocant. Tantum esse militum, tantum in militibus virtutis, ut non quærendis latebris, saltibusque, sed apertis viribus, atque acie dimicari possit. Postremo Regis dignitati consulendum, cui quidem magis ad gloriam conducere videatur obviam hostibus ire, quam domi sedendo eorum impetus excipere. Gagii oratio momenti habuit plurimum ad persuadendum & propter auctoritatem viri militari favore, longoque tot bellorum usu partam, & quia utilior Regi, atque honorificentior visa est; plerisque etiam, ut in bello, ferociora placebant. His agitatis rebus, continuo Rex a Sangermano discedit, justoque itinere Arpinum, atque inde Verulas, mox Anagniam pervenit. Anagnia Ernicorum in Latio oppidum est editiore in colle positum. Subjecta oppido planicies est satis magna, quam undique montes cingunt. Castra ibi Rex facit pulcherrimo, aptissimoque ad copias explicandas loco; atque ibi primum cum Neapolitano exercitu Hispaniensis conjungitur, unaque bellum administrari cœptum est. Erant Hispaniensis exercitus Legiones peditum undecim, equitum alæ tres, magis robore, quam numero præstan-

ſtantes, quippe quas admodum extenuaverant itinera, prœliaque, & perfugarum frequentia. Erant præterea quingenti ferme excellenti virtute equites Regii, hiſque adjecti erant tercentum, quos cuſtodiæ ſuæ cauſa Mutinenſium Dux habere inſtituerat, & lecta Hungaricorum equitum turma, qui ad Hiſpanos ſuperioribus annis transfugerant. Hiſpanienſi equitatui præerat Atriſci Dux, qui manu promptus, feroxque habebatur. Præcedebant agmen Montani pedites ferentarii, audax ad procurſiones genus, & nihil minus, quam hoſtem mortemque metuens. Neapolitanum exercitum duodeviginti peditum legiones, equitum alæ quinque conficiebant; ſi Provinciales legiones quinque modo conſcriptas excipias, veteranæ omnes, expeditionibus, atque altero jam Italico bello ad Scultennam exercitatæ, earumque pleraſque omnes Regi Filio Hiſpaniarum Rex conceſſerat. Hujus exercitus imperium permiſſum erat Caſtropiniani Duci, quem e Gallica legatione accerſitum propter bellicam laudem ſuis Rex copiis jampridem præfecerat. Erant etiam machinæ caſtrenſes, tormentaque omnis generis, quorum magnam partem ſumma adhibita celeritate adduxerat in caſtra Comes Gazola Præfectus Fabrum Regis Neapolis, & qui inter arma, ſtudiaque verſatus, ſingularis erat propter Mathematices notitiam in re militari præſtantiæ. Conjunctis copiis, luſtrato exercitu, donativoque militibus dato, tanta exarſit alacritas, ſtudiumque pugnandi, ut quum Rex equo circumveheretur caſtra læti omnes ad

aſpe-

aſpectum Regis conclamarent, expectari diutius non oportere, quin ad hoſtes iretur, utque ad hoſtes ducerentur magnis crebriſque vocibus peterent. Rex poſtquam ſuos tam egregie animatos cognovit, poſtridie ejus diei Anagnia profectus in Labicanum agrum venit, caſtraque ad Valmontonium, veteris Labici veſtigiis inſigne oppidum, locat. Quatriduum ibi moratur, dum cibaria ad exercitum ſubvehuntur, quibus non ſatis proviſum eſſe dicebatur. Interea jubet, neceſſariis tantum retentis, reliqua impedimenta dimitti, quo milites ad prœliandum expeditiores occurrant hoſtibus. Statuerat enim hoſtes adoriri & militum alacritate incitatus, & quod illos impari numero etiam negligentius agere ſciret. Id ſi ea eſſet celeritate factum, quæ multum in bellis poteſt, opinio fuit, mari Auſtriacos excluſos, omnibus circa regionibus partim exinanitis, partim ab Hiſpanienſi, & Neapolitano exercitu præoccupatis, frumenti, pabulique inopia compulſos aut iniquo & tempore, & loco decertaturos fuiſſe, aut ſeſe, unde venerant, recepturos. Cujus tantæ rei occaſio pulcherrima corrupta eſt paucorum dierum morà, quibus diebus ad Valmontonium moratur Rex cibariorum cauſa. Tam parvo ſæpe tempore tantæ in bello commutationes fiunt. At Lobcoviczius, quem ad Falerios Faliſcorum Concilium advocaſſe ſupra oſtendimus, de Regis conſilio conjecturâ judicans, & de itinere certior factus, omiſſa omni diſputatione, maturandum ſibi exiſtimavit, & maritimis Romaniſque commea-

mea-

meatibus timens, magnis Romam versus itineribus contendere cœpit. Iisdem diebus præmiserat Rex cum parte copiarum Atrisci Ducem, qui Tyberim cæteraque ad Urbem loca exploraret, frumentum, pabulumque omne, ne cui hostibus usui esset, aut aveheret, aut corrumperet, atque omnem alendi exercitus, & longius progrediendi, quantum posset, facultatem hostibus eriperet. Præmittit etiam explorandi caussa Præneste Morillii Comitem Sanctacrucium Draconum Tarraconensis alæ Præfectum, omni virum & virtutis, & nobilitatis laude præstantem. Hoc vero magis Lobcoviczius properare, ut cum exercitu quamprimum ad Urbem esset, ne Roma, unde illi omnium rerum spes, marique, ac flumine Tyberi prohiberetur; neve horrea, quæ ad Eretum constituerat, occuparet hostis, aut perderet. Itaque Vogthernium Instructorem exercitus cum expedita Illyricorum peditum, atque equitum Hungaricorum manu misit, qui frumento, pabuloque, atque horreis consuleret, Antecursores hostium reprimeret, pontem ad transducendas copias in Tyberi efficeret; ipse cum exercitu statim subsequitur. Qua re cognita Atrisci Dux paulatim ad Regem sese recipere cœpit, quum plus Austriacis terroris, quam damni intulisset. Lobcoviczius, omnibus copiis Tyberim transductis, ad Eretum pervenit, castraque ibi idoneo loco ponit. Ereti paucos dies dum Lobcoviczius moratur allevandorum militum caussa, quos continens iter defatigaverat, plures Roma omnis generis, atque ordinis homines confluxe-

rant in castra, propinquitate exercitus, & novitate rei invitati. Alii studio partium, alii bellorum inscitia depravati, communi etiam vitio naturæ, cui nova quæque potissimum arrident, in maximam cujuscumque rei admirationem rapiebantur. Nonnulli ex barbaricis vestibus, immanique verborum sono militum vires, atque animum æstimabant. Omnes deniquè numerum copiarum, ordinem, robur mirari, laudare, nullum esse, dicere, nedum Neapolitanum exercitum, qui tantæ, tamque invictæ multitudinis aspectum modo ferre possit. Horum admiratione, atque vocibus mirifica accessit militibus, Centurionibusque, & cæteris copiarum Præfectis opinio victoriæ, & nostrorum contemptus, sic ut paucis diebus sese Neapoli futuros jactarent; atque Austriacarum partium aliqui Romæ, quasi debellatum jam foret, de belli præmiis cogitarent. Ipse Lobcoviczius, qui spei magis causam, quam spem ipsam attenderet, confirmatior tamen in dies, atque alacrior videbatur, vel præsentium adulatione sublatus, vel ne aliquid militum fiduciæ non ita lætus Imperatoris vultus detraheret. Instructo igitur, & confirmato exercitu; recensitoque copiarum numero ab Ereto progressus, trajectoque Aniene binis castris ad oppidum venit, quod C. Marii septies Consulis suburbanum fuisse ajunt. Rex, comparata tandem re frumentaria, a Valmontonio cum omni exercitu profectus est eo, quo diximus, animo, ut suburbana præoccuparet, atque hostes, si ferret occasio, adoriretur; quumque millia pas-

suum

ſuum quatuor fere proceſſiſſet, nuntiatum eſt ei, non longe Auſtriacos abeſſe, fierique poſſe, ut in itinere dimicaretur. Id ne accideret, magnopere ſibi præcavendum eſſe Rex exiſtimabat; namque periculoſum ducebat inter ſilvas atque interciſos vallibus colles, obiicere prælio milites itinere, jejunio, imbre confectos. Acciderat enim repentinum imbris incommodum. Tormenta etiam ad prælium neceſſaria neque facile convectari, deterrima & lutulenta via, neque recte adminiſtrari per impeditos, ſepibuſque obſeptos campos poterant. Ergo ſubitum pro tempore & loco conſilium capit; retorqueri agmen a Tuſculano, quo iter direxerat, Velitraſque occupari jubet. Velitris occupatis tumultuoſe conſidet exercitus magis, ut temporis anguſtia, quam ut rei militaris ratio poſtulabat. Erat enim perſuaſum non manendi animo caſtra ibi fieri, ſed ut aliqua militibus quies daretur; omneſque profectionis poſtridie ſignum expectabant; neque de Tuſculano ſpem, cogitationemque abjecerant. Interim Lobcoviczius ad Urbem quum eſſet, ſalutandi Pontificis cauſſa, compluribus Tribunis militum, primiſque ordinibus comitatus Romam ingreditur, tota undique ad adventum ejus effuſa Civitate. Certe multitudinis favore, & cupiditate viſendi Imperatorem fama jam, & præſenti expeditione clarum, celebratus adeo fuit ejus in Urbem introitus, ut nihil ei ad triumphum illo die, præter victoriam, defuiſſe videretur. At ille nihil rerum vanis occupatus ad exercitum eodem die rediit, mo-

tisque a Mariano castris, omnique hostibus suburbano exclusis ad Aricinum nemus processit, & validam manum ante misit, quæ loci naturam propter interjecti nemoris latebras difficilem cognosceret, & qua in regione hostes versarentur, quodve iter cogitarent, exploraret. Eadem qui cognosceret, atque exploraret, præmissus ab Rege fuerat, cum peditum atque equitum parte Joannes Ferreria Castrorum Præfectus. Hic quum hostium exploratores in ipso nemore, atque itinere offendisset, levi commissa pugna, & nonnullis utrinque vulneratis, interfectisque, maturius sese ad Regem in castra recepit; eodem omnino tempore, quo jam Pyrochitrophorum Centuriæ, stationesque exercitus omnes accelerabant, ut cedentibus auxilio succurrerent. Postero die Rex Draconum equitum, delectorumque peditum manum expeditam esse in armis jubet ad Tusculanum (& Tusculanum jam occupaverant Austriaci) eamque regionem omnem explorandam. Ecce autem dum hæc ab Rege administrantur, repente in supercilio montis, qui Velitris, castrisque Regis imminebat, apparere hostes incipiunt, horribilemque e superioribus locis speciem præbebant, longe lateque armis a Sole collucentibus, atque instructo agmine descendentes. Rex improviso hostium adventu nihil permotus, productis omnibus copiis, equitatu, & peditatu idoneis locis collocato, militibus, Ducibusque ad virtutem, & fidem incitatis, quid hostes consilii caperent, forti magnoque expectabat animo.

Lob-

Lobcoviczius propius summo e monte conspicatus Regis copias, inviasque convalles, quæ inter suum, atque exercitum Regis intererant, perterritus tum demum difficultate rei, nihil existimabat committendum temere. Itaque tenebat sese. Quumque uterque utrique fuisset exercitus in conspectu sub armis continenter a prima luce prope ad meridiem; primi Austriaci abjecto, ut videbatur, rem prælio decernendi consilio, montem, quem insederant, præsidio, aggeribus, tormentisque munire cœperunt; qui mons inter duorum exercituum castra medio fere spatio eminebat. Rex ubi videt per Lobcoviczium stare, quominus pugna decertetur, castra & ipse communire instituit, quæ aberant a castris hostium circiter millia passuum quatuor. Castra autem hostium a lævo latere negligenter posita videbantur, dissipato potius, quam descripto per Aricini nemoris saltus exercitu. In dextro oppidum Lanuvinum versus majorem equitatus partem Lobcoviczius collocaverat, quo facilius in agros excursiones faceret, pabulatores interciperet, & commeatibus, si posset, a mari Neapolique Regios intercluderet; ipse in oppido Nemorensi Prætorium constituerat.

Erant interea Italiæ totius animi, atque oculi in utrumque intenti exercitum: neque enim majoribus umquam copiis, majorique partium studio Neapolitanum Regnum oppugnatum, defensumque esse constabat: aliique alio trahebantur homines, ut cogitarent quid Carolo Regi, quid Austriacis, quid Neapoli-

tanis, quid porro Italiæ omni accideret. Verum tanto discrimini, quod exercituum propinquitate admaturari videbatur, repugnabat natura loci, & eorum consilium, qui summæ rei præerant; innataque etiam mortalibus trepidatio, qui quo propius ad supremum rerum suarum certamen accesserint, eo longius a tanto fortunæ periculo abhorrere animo videntur. Namque Rex, ne hostium castris succederet, impediebatur editioribus locis a Lobcoviczio præoccupatis, Aricinique nemoris angustiâ: ne autem Lobcoviczius in Regis castra irrumperet, prohibebatur vallium altitudine, majoreque Regis exercitu, quem etiam a machinis castrensibus, tormentisque omnibus multo esse paratiorem explorando cognoverat. Et locus, ut ad prælium committendum difficilis, ita erat opportunus utrique ad commeatus parandos, atque a copia cibariorum dimicandi irrepserat negligentia. Roma Lobcoviczio, & mare omnia subministrabant; nihil Regi deerat, quum Neapolim post se & Campaniæ haberet uberrimam illam oram. Regem præterea domestica aliqua seditione revocatum propediem iri confidebat Lobcoviczius, Regios item milites, ut Provinciales, & modo conscriptos, periculorum metu & militaris disciplinæ tedio dilapsuros. Neque meliora Lobcoviczio futura esse sperabat Rex, quum apud ipsos Austriacarum partium homines ille ostenderet cunctatione, seditiosis consiliis adversaria maxime; quum de Sardiniæ Rege, deque Austriacis trans alpes, & in Gallia Cisalpina duriora in dies

nun-

nuntiarentur; quum pestilens in palustribus agri Romani locis Sextilis mensis instaret, qui Austriacum potissimum exercitum e saluberrimis Germaniæ regionibus valetudine tentaret, atque consumeret. Iis uterque de caussis, commutata belli ratione, prælio abstinere velle videbatur, atque expectare beneficium temporis, quo alter ad alterum opprimendum uteretur.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum videtur notitiam afferre aliquam Veliterni oppidi, atque agri, in quo & sua Rex castra habebat, & eas uterque exercitus res gessit, quas conscribendas suscepimus. Ipsum est oppidum in colle præcelso atque edito; utrinque convalles sunt difficiles, vitibus tamen, atque oleis convestitæ omnes pulcherrime. Summam occupat oppidi partem conversam ad Aquilonem Curia, pauloque infra Curiam Minoritarum Cœnobium est, quod ipso semirutorum murorum oppidi ambitu cingitur ab ea parte, quæ spectat inter occasum Solis, & Septemtriones. Totum autem oppidum multis transversis distinguitur viis, sed una præsertim paulo latiore, ac perpetua, quæ a porta incipit, quæ Neapolitana appellatur, in eamque desinit, quam Romanam vocant. Propter hanc viam quatuor sunt plateæ, earumque maxima non longe a Romana porta distat. In ea & fons est ornatissimus, qui, aqua ab Aricino usque nemore ducta, ubertim sane fluit, & domus est Ginettiæ gentis, in qua ipse diversabatur Rex. Additi domui horti sunt, per

quos patet ab una parte aditus ad viam Syrmonetam versus, isque aditus, interjecta convalle diremptus, lapideo rursus ponte hortis adjungitur; pontique erat militum præsidium impositum. In altera hortorum parte, quæ item alteri, qua Valmontonium itur, viæ, ponte adjungebatur tignis, atque aggere extemplo constrato, cohortes erant duæ Prætorianorum legionis Belgicæ. Ipsorum autem e regione hortorum, Romanæque portæ, sub tumulo, cui Capuccinorum insidet Cœnobium, constituti erant equites Regii, & Custodes Corporis Mutinensium Ducis; tormentorum præterea, machinarumque omnium bellicarum sedes. Dextrum Regis castrorum cornu, quod Artemisio (sic enim nominant) monti succedebat, legiones obtinebant prætorianorum, Hispaniensis, atque Italica, validissimum Regiæ militiæ robur; sinistrum autem Neapolitanæ portæ, muro, ipsique oppido conjunctum equitatus ferme omnis tenebat, & veterana, Hybernicorum manus, Belgarumque prætorianorum cohortes quatuor, quæ in prima fronte constitutæ erant. Cæteræ copiæ dextro, sinistroque lateri, medioque agmini opportune interjectæ omnem undique locum ita compleverant, ut Regiis castris oppidum contineretur; oppidi autem situ castra munirentur. Quæ ad Velitras regio est inæqualis, atque intercisa foveis, ea non equitatui quidem, sed peditatui maxime idonea erat.

Non multo longius a Capuccinorum Cœnobio Septemtrionem versus continuatio est

quæ-

quædam montium, quorum alter altero editior assurgit, eorumque editissimus, qui ipse est Artemisius, cum Aricino nemore continens est; pulcherrimumque habet, & late patentem in omnem circa regionem prospectum. Qua vero ab Velitris longe millia passuum duo ejusmodi montium series assurgere incipit, duo sunt, quantum jaculum adiici potest, ad dexteram viæ, quæ Romana dicitur, paulo depressiores montes, quorum alter vergit in castra hostium, & appellatur Spina, alter vero propius Velitras est, eumque hostes primo insedisse diximus.

Hoc igitur Austriaci monte occupato, quem occupare nostri neglexerant vel propter loci distantiam, vel propter subitam, quam cogitabant, profectionem, aliasve ob causas, quas commemorari non est necesse, illum illi e vestigio una fronte contra Regis castra communivere, dispositis aliquot tormentis, præsidioque hominum mille imposito. Huic præsidio, munitionique præerat Pistaluccius. Austriaci, ut erat e monte despectus in castra Regis, atque oppidum, quum facile copiarum nostrarum motus omnes, conatusque observarent, nihil in tanta propinquitate apud illos inexploratum, nihil apud nos tutum erat. Atque etiam frequentes fiebant excursiones, in quibus erat illis, uti loco superioribus, melior semper pugnandi conditio; stationes autem, excubiæque nostræ quotidie peragitabantur ictu telorum, quæ illi de munitione e tormentis identidem coniiciebant. Simul nostris magis,

ac

ac magis in dies castris appropinquabant, & domum quamdam propter viam Romanam quingentos non longe a Velitris passus, tumulumque occupaverant, stationeque inde Montanorum levis armaturæ peditum dejecta, ingentem jam in spem venerant, ita posse nos paulatim coarctari, ut vel loco excedere cogeremur magno cum periculo tam propinquis hostibus, tamque subito instantibus; vel si perstaremus, & affectarentur milites aquæ in maximis caloribus inopia, quod fontem, quem supra memoravimus, illi averterant, & perpetuis vigiliis misere conficerentur, quod esset nostris propter imminentem jam hostem continuo fere sub armis excubandum, quæ res & perfugas vulgo augeret, & morbos: ipsi autem ulterius semper progrederentur, haberentque maximas a loco superiore ad exercitum Regium aut fatigandum, aut etiam pellendum opportunitates: idque futurum glorians apud suos Lobcoviczius dixerat, Romamque perscripserat. Quibus in difficultatibus quum versaretur Rex, consilia inibat, quemadmodum illos loco tam opportuno depelleret, ac ne ulteriora tentarent, reprimeret. Hæc deliberanti accidere visa est facultas rei bene gerendæ. Namque animadversum est, eam montium seriem, de qua paulo ante diximus, monti, qui a Pisialuccio tenebatur, impendentem, esse nudatam omni præsidio; vel quod situm valde utilem minime cognoverint hostes, vel quod male parati ab omni genere tormentorum tantum loci opere complecti non potuerint.

rint. Illud etiam per exploratores cognitum est, montem ipsum a reliquo Lobcoviczii exercitu abesse nimium; adeo ut invadi prius posset, quam Lobcoviczius auxilium submitteret, aut etiam sentiret. His cognitis, datum totius rei negotium Gagio est, cujus etiam fuisse consilium fertur. Gagius, exquisito per venatores quosdam itinere, & delectis ad hominum millibus quatuor, quorum pars omnibus hostes viis circumveniret, eorumque munitioni succederet; pars montium seriem illam peteret, quæ hostium præsidio impendebat: multa nocte silentio e castris egressus est, quum omnem interim exercitum ad omnes casus sub armis vigilare jussisset. At hostes, occupata, uti supra demonstratum est, propter viam Romanam domo, direptaque, hoc successu feroces lætique nostros contemnebant, atque obruti vino, cujus magnam ibi copiam nacti fuerant, cujusque est gens avidissima, excubias obibant negligentius. Nostri autem quum, albente jam Cœlo, in summum jugum, locaque iniqua virtute summâ enixi essent, tam subito a fronte, a tergo, atque ab omnibus partibus eminus, cominusque provolaverunt, ut hostibus ad arma capienda, telaque e tormentis explodenda tempus defuerit. Plures primo concursu in ipsis tentoriis ita, uti erant, jacentes, ac semisomnes interfecti, aut capti sunt: reliqui, dum præcipiti fuga densiores sylvas petunt, aut ad suos se recipere conantur, a Regiis circumventi, qui omnibus occurrebant itineribus, projectis armis, dediderunt sese.

U-

Unus etiam, qui fortissime resistebat, Tripsius tribunus militum legionis Pallavicinæ, debilitato tamen vulneribus, & contrucidato corpore captus est, quem paucis post diebus apud nos mortuum honorifice efferri curavimus, admirati virtutem, cui necessario irascebamur. Ipse Pistaluccius subitò in domo oppressus, quam pridie expugnaverat, non se ex manibus irrumpentium militum eripere potuit. Omni Gagius hostium capto deletoque præsidio, quinque ablatis æneis tormentis, potitus & monte, pro quo certatum erat, & omnibus, qui monti impendebant, jugis; tum deinde stationes exercitus promoveri, equitesque a parte oppidi Lanuvini circumfundere sese, & procedere jussit; atque ea fuit nostrorum celeritas, ut antequam fere duo, tresve e prælio elapsi rem Lobcoviczio gestam renuntiarent, Lobcoviczius ipse omnia superiora loca nostrorum armatorum multitudine completa respiceret. Quare incertus & perturbatus, quo occurreret, auxiliumque ferret, quidque in quaque parte opus esset, vix cognoscere subito aut constituere dicitur potuisse. Jamque Regii, ingenti ubique illato terrore, Austriacorum castris appropinquare videbantur; & Comes Marianus Præfectus Fabrûm Regis Hispaniarum, quippe qui montem occupaverat, quem appellari Spinam, inque hostium castra propius vergere diximus, tamquam e loco editiore impressionem jam facturus cernebatur. Tum vero turbatis Austriaci ordinibus totis trepidare castris, & concursare cœperunt. Calo-

lones autem, lixæ, puerique diverſi, diſſipatique in omnes partes fugiebant, & mulieres, quarum erat in caſtris ex conſuetudine Germanorum magnus numerus, loca omnia lamentatione, & fletu complebant. Nonnulli etiam cum impedimentis ad urbem uſque Romam continenti impetu procurrerunt; & Romæ quidem trepidatum, occluſæque ſubitæ irruptionis metu portæ ſunt: quum motis ſemel nimium in terrorem animis, & famà rem, ut ſolet, augente, jam fugientium, jam inſequentium pulverem videre ſibi aliqui viderentur. Atqui potuiſſe eo die totum Lobcoviczii exercitum tum deleri, ne ipſi quidem Auſtriaci negant, ſi Hiſpani, Neapolitanique inſtitiſſent perterritis, atque ad fugam ſpectantibus, oblatâque ejus diei occaſione uſi fuiſſent. Sed noſtri Duces, ſive ipſi inſidias veriti, locorumque anguſtias, quod ſaltus, valleſque intercedebant, ſive quod fixum jam apud Regem & conſtitutum erat, ſummam rerum in nullum dari diſcrimen, conſecuti id, quod animo potiſſimum propoſuerant, receptui repente cani juſſerunt. At milites præter opinionem revocati ægrius recipiebant ſeſe, quum ad invadendos hoſtes, tantulo ſpatio interjecto, exardeſcerent, ipſumque Ducum imperium carpebant in colloquiis, quo imperio celerem, præſentemque victoriam interpellari dicebant. Hoſtes porro inopinato noſtrorum receptu facultatem nacti colligendi ſeſe Spinam ſubito, unde profugerant, montem recuperarunt, atque operoſa munitione circumvallarunt.

runt.

runt. Hunc nostri montem a Comite Mariano occupatum jam, nescio qua de causa, jussi erant deserere; tametsi teneri is propter loci opportunitatem omnium maxime oportere videretur. Neque enim hoc etiam a nostris obsesso monte, qui hostium castris tam ex propinquo imminebat, consistendi spatium illis fuisset. Postero die quum excelsiora etiam, cæteraque amissa loca recuperare, eruptione facta, tentassent, magno a nostris cum detrimento repulsi sunt. Lobcovicius hac spe dejectus, & periculo coactus, ne suus exercitus nostris munitionibus, præsidiisque subjectus, tormentorum vi vexaretur, castra paululum a lævo latere reduxit, ac contraxit, ipsumque prætorium longius ab oppido Nemorensi in Cynthianum post Triviæ lacum removit. Rex montem, qui a Pistaluccio tenebatur, atque occupata etiam Artemisii montis juga, tribus insideri stationibus, & munitionibus firmari jussit, advectisque deinceps a Cajeta majoribus tormentis, ollisque incendiariis ostentari hostium castra, munitionemque Spinæ monti impositam labefactari imperavit, eique negotio Comitem Gazolam præfecit, qui adhibitis quingentis operariis, atque ipse ad opus excubans, celeriter, quod imperatum erat, facere instituit. Imperavit præterea Rex, Syrmonetam oppidum, quo in oppido saucii deponerentur, tormentis atque opere communiri, & Privernatem tractum continuis observari custodiis, ne infesto excursionibus itinere Neapolitano durior esset commeatuum subvectio. Et sane omnium

mnium rerum copia terrâ, marique a Neapoli, atque a portu Antiate in caſtra ad Velitras comportabatur. Aquæ autem inopiæ, qua nos illi, interrupto fonte, in extremas compelli anguſtias crediderant, occurrebatur, puteis ſubfoſſis, atque aquæ venis ubique diligenter exquiſitis. Ita noſtri ſatis tuto, ut videbatur, loco, atque ad omnia opportuno conſederant.

Per idem fere tempus ſcripſerat Lobcoviczius ad Præfectum Britannicæ claſſis, quæ ad Inſulas Stoecades, quæ ſunt contra Olbiam in Gallia Narbonenſi, ſtationem obtinere conſueverat, aliquot a claſſe naves abductas, circumagi Cajetam ac Neapolim verſus juberet. Item Comitem Soroum in Veſtinos, ac Marrucinos miſerat, qui partem, quam illi attribuerat copiarum, in eorum fines introduceret, eo conſilio, ut tentato pluribus locis Regno, Regiæ vires diſtinerentur; ſimul ſperans, populos navium, atque copiarum adventu vel perterritos, vel incitatos labi ad ſeditionem facilius poſſe. Quæ ſeditionis ſpes, toties licet irrita, Auſtriacorum tamen animos detinebat adhuc. Et viſæ quidem ex continenti naves, quæ Cumanum littus legebant, inanem potius terroris ſpeciem, quam tumultus cauſſam præbuere. Erant enim a militibus, quos in terram ad turbandum eiicere oporteret, imparatæ omnino, atque omnem illam oram præſidiis diligenter adſervatam, egregieque propugnaculis munitam oſtenderant. Magdonelius præterea Legatus, miſſus eo ab Rege hac de cauſſa, omnes earum motus ſpeculabatur, atten-

te-

teque videbat, nequid ab ea parte Regnum detrimenti caperet. Neapoli vero quieta omnia & tranquilla erant. Neque enim ullus unquam populo acceptior Rex, neque Regi obſequentior populus, qui quo cupidius ad defectionem ſolicitari videbatur, eo impenſius ſuam Regi fidem præſtare, omnibuſque illum domi foriſque rebus juvare ſtudebat. Tanta eſt moderati, leniſque imperii vis. Interim Comes Sorous, in Veſtinos, ac Marrucinos progreſſus, Theatem occupare conatus erat, atque Amiternum, Interamniumque, & quoſdam ignobiliores vicos Reginæ Hungariæ Imperio minis, pollicitationibuſque adjunxerat, ipſamque Amiterni arcem ad deditionem pellicere properabat, volitans in tota Provincia lætus, ac prædabundus. Sed ne hæc illi diutina eſſet lætatio, primum quidem Montani pedites effecerant non amplius quinquaginta, iique valetudinarii, qui præclare illum ab Theate rejecerant: & deinde Varga caſtrorum Præfectus, qui cum ducentis equitibus, & militibus aliquot Aterni præſidio deductis impetum ejus retardaverat; & poſtremo Dux Vievillæus Legatus militaris animi vir, qui Neapolitano equitatui præerat, & qui cum ſatis valida equitum, peditumque manu juſſu Regis eo ab Veliternis caſtris venerat, ne illius Provinciæ malum, neglectum ſi videretur, longius facili ſemper ad pejora exemplo manaret. Atque hic omnem ſubito adveniens Provinciam pacavit, compluribus interfectis, reliquis pulſis, fugatiſque hoſtibus, & nonnullis popularibus in

vin-

vincula conjectis, qui in Reginæ Hungariæ verba celerius juraverant, quam ut coacti viderentur. Aliqui, dum sibi ex conscientia timent, aufugerant, in hisque Episcopus Interamnensis, qui fatuo quodam, atque alieno a sanctitate muneris animo liberius adversus Regias partes locutus esse dicebatur.

Lobcoviczius erat interim vehementer perturbatus, quod multa, ac diversa quum esset expertus, nulla res successerat, & de concitandis populis, deque commeatibus intercludendis, & prohibenda omnino aquatione spem se fefellisse cognoverat. Profligato etiam Pistaluccii præsidio, & locis amissis editioribus, tantam esse rerum factam conversionem videbat, ut qui premere nostros arctius de loco superiore cœperant, ipsi modo nostrorum tormentorum telis misere premerentur. Ipse autem Lobcoviczius insolens male audiendi valde angebatur, quod sua culpa, & negligentia damnum illud Austriacis illatum esse nonnulli dicerent; propterea quod & non satis firmo præsidio locum illum a Pistaluccio teneri jussisset, & laboranti auxilium non submisisset in tempore, & juga summa Artemisii montis indefensa reliquisset; suam insuper cunctationem omnibus jam irrisui esse ex ipsius rei judicio suspicabatur. Qui enim magno nostrorum contemptu, magnaque celerrime potiundi Regni expectatione venerat, is triginta millium ab urbe Roma itinere vix confecto circa unum modo montem tamdiu, tamque longe a Regno hærebat. His de causis, & quod de Rege

Sardiniæ, deque Gallia Cisalpina gravior in dies metus instabat, multaque trans alpes accidisse Austriacis incommoda audierat, conandum sibi aliquid Lobcoviczius existimavit, quo & detrimentum sarciret acceptum, & sibi tandem in Regnum aditum patefaceret, & denique expeditionis suæ jam senescentis famam vindicaret.

Erat, si vera tacere nolumus, nostrorum castrorum lævum latus neque ita diligenter positum, neque munitum satis, neque etiam custoditum, ut rei militaris ratio, & tam propinquus hostis postulabat. Nam equitatus, qui explicare se tam intercisis, & angustis in locis non poterat; quique aliqua peditum manu contineri debuerat, continebat ipse Hibernicorum manum. Quæ quidem manus inter oppidi muros, atque equitum alas collocata ad rem gerendam efficiebatur inutilis. Fanum autem Mariæ, quam Hortensem appellant, quod unum esse poterat sinistro lateri propugnaculum ante ipsa castra substructum, sepire nostri munitionibus neglexerant. Accessuros enim hostes ad hanc partem non putabant, tam longo ab eorum castris, tamque difficili itinere, & impedito, si accessissent, receptu: atque ita sane videbatur. Omnis igitur illius exercitus partis salus in paucorum militum custodia requiescebat, qui noctu ad ipsum sese Fanum recipiebant, ibique excubabant, ut his oppressis facilis esse hostibus posset, brevis, atque inopinatus ad castra aditus, ut accidit. Ipse erat locus opportunus insidiis propter convalles,

quæ

quæ vitibus, uti demonstratum est, frondosisque arboribus convestitæ quamlibet militum manum occultare poterant. Atque hoc sinistri lateris vitium in omnium oculos incurrebat, & ut deprehendi etiam posset, hæc forte acciderant. Primum quod per eos dies Comiti Sevio Legato per indicem falso nunciatum erat, bifariam partitis copiis, adesse hostem, ut sinistrum nostri exercitus latus invaderet, quo inani licet rumore admoniti non defuerunt, qui, quod non contigerat, facile tamen contingere posse animadverterent, & dicerent; tum etiam quod Hungaricorum equitum Vexillarius quidam non ita pridem captus ab nostris quum esset, palam dixerat, se esse cum undequadraginta equitibus missum protegendi Comitis Brounii Legati causa, qui castra Regis ab ea parte exploratum una cum militari Architecto venerat. Quæ res etsi non levem nostris suspicionem inferre debuerint, & sermonibus omnium ferebantur, vicit tamen aut fortuna, quæ vel apertissimis in rebus prudentissimorum interdum hominum mentes obcœcat, ut dominetur ipsa; aut eorum sententia, qui eam castrorum partem, tanto ab hostibus intervallo disjuncta quod erat, satis munitam, atque illis inaccessam arbitrabantur. Itaque quidquid illic munitionis desiderabatur, neglectum fuit. Accesserat huc, quod explorandi diligentia imminuta quodammodo videbatur, & diuturnitate ipsa, quæ plerumque remittit animos, & perpetua militum defatigatione, qui laborem aquandi ad quotidiana opera adde-

 bant;

bant; neque ejusmodi diligentia necessaria admodum existimabatur, quum item propter aquæ inopiam a prima luce ad occasum usque Solis ducenti ferme Dracones ad fontem excubarent, qui Paganica dicitur, quique a lævo castrorum nostrorum latere tria circiter millia passuum aberat, atque unde observari facile poterant viæ, per quas Cynthianum itur. Hæc omnia plane nota erant Lobcoviczio, delata per exploratores, perque transfugas, & per quosdam sui exercitus minores Duces, qui captivi quum aliquot apud nos dies habiti essent indiligentius, data fide dimissi erant, & fortasse etiam per nonnullos oppidanos, qui sive odii, sive quæstus gratia omnia illi nostra indicabant. Lobcoviczius, his cognitis rebus, & consilio cum paucis primorum Ducum, ne res efferretur, communicato, lævam Regis castrorum partem, oppidum, atque ipsam propterea, in qua Rex diversatur, domum patere docet insidiis, & repentinæ incursioni. Quæ ipse certis nunciis, atque auctoribus compererit, ostendit. Tentanda etiam ab dextera Regis parte Artemisii montis juga, atque uno eodemque tempore in nostras munitiones irrumpendum esse demonstrat, quo facilius incauti, duplicique terrore distracti opprimamur. Audendum esse; omnia fore audentibus proclivia. Unum sese pro Imperatoris persona monere, orare eos pro gravitate negotii, ut quod fortuna consilium comprobare videatur, ipsi fide, ac diligentia adjuvent, sciantque in ejus diei eventu omnium laborum finem, victoriæque

que

que spem positam esse. Probatur res; tametsi primo dissenserit Comes Brounius, cujus supra mentionem fecimus, summi homo ingenii, & bellicas omnes a pueritia artes edoctus, qui neque satis virium ad tanta molienda suppetere, neque occultissime ad Regis castra iri, neque illinc receptum esse, præsentientibus Regiis, sine maximo detrimento posse dicebat, multoque commodius occupari posse arbitrabatur munitiones Regis, & montium culmina, si omnes in id unum copiæ incumberent. Post ipse quoque dedit Brounius manus aut obsequio erga reliquos, aut quod in asperis audacissimum quodque consilium optimum videretur. Igitur omnium, qui aderant, consensu totius rei ratio, & tempus constituitur.

Pridie illius diei, qui fuit dies ad III. Idus Sextiles, tam audacis incœpti memoriâ celeberrimus, animadversum est a nostris speculatoribus partem quandam hostium copiarum ab dextero ipsorum cornu paulatim se movere, & progredi mare versus. Quod fieri ab iis commeatus causa nostri suspicabantur. Jamdudum enim ad ostia Tyberina aliquot Britannicæ classis naves constiterant, ut hanc forte suspicionem augerent. Sed Lobcoviczius longe alio spectans latissimam pluribus, atque inter se connexis stationibus regionem complexus erat, ne quis ad nos index erumperet, neu Brounii Comitis iter dignosceretur. Qui una cum Novato Marchione consilii participe, silentio, prima nocte progressus est, militibus ipsis, quo ducerentur, ignaris, quorum delectorum equi-

tum, ac peditum erat numerus millium sex. Quum omni circa prospectu tenebris, ac vineis adempto clam pervenisset ad fontem, qui juxta Mariæ Hortensis Fanum in ima convalle est, necessario agmen subsistere jussit, dum equitatum expectat, qui aliam, ut eo perveniret, ingressus viam, ignorantia loci, longiore circuitu deflexerat; quod accidit incommode. Lux enim jam appetens opportunitatem illis, tumultum nostris deminuebat. Nunciatur etiam Brounio aufugisse militem. Quo ille nuncio vehementer permotus Novatum, nonnullosque adhibet militum tribunos, & quid agendum sit celeriter consulit; nam verisimile erat, tametsi non accidit (neque enim hic uspiam transfuga apparuit) comperto nostros per transfugam adventu hostium, in armis e vestigio futuros, insignemque ipsis illaturos cladem, quam imparatis nostris inferre illi cogitabant. Quum Novatus pedem referri, aliique alia censerent, neque satis quicquam, ut in subito casu, expedirent; tum Brounius, qui tantum incœptum tam parvo momento everti nollet, atque ardore quodam militari incitatus: Pergamus, inquit, jacta alea est: simul omnem militibus rem aperuit, eosque præmiis, ac pollicitationibus cohortatus, quum jam advenisset equitatus, & luceret jam fere, signum dat irruptionis. Accessere hostes illico trifariam divisis copiis: facile vigiles, castrorumque custodes obtruncant, quod eos adorti essent occupatos in equis contra militarem disciplinam inexplorato curandis. Statim in-

inde in nostrum lævum latus ab omni parte impetum faciunt. Nostri, vix cognita vigilum cæde, continenti hostium impetu & rei novitate, ac magnitudine perterriti, perturbatique passim cæduntur, passim fugantur. At Grimaus Barcinonensis, qui Reginæ Neapolitanæ Draconum alæ præerat, non amplius quinquaginta ex terrore, & fuga Dracones colligit. His imperat ut ad pedes desiliant, tentent extrema: excurrat interim aliquis, qui Hibernicorum manui denunciet, ut celeriter subsidio advolet. Sed quum a fronte subire Austriaci non intermitterent, atque ab omnibus partibus circumfunderentur, & jacula acciderent creberrima; non imperio in tumultu, non virtuti in multitudine hostium locus esset, illi ipsi quinquaginta, qui amplius semihora, compluribus illorum vulneratis, atque interfectis audacissime repugnassent, pelluntur tandem; quum præsertim nullum aliud subsidium Hibernicorum manus submisisset, quam militum Provincialium centuriam, quæ neque paucos illos Dracones laborantes suo adventu confirmare potuit, neque ipsa hostium impetum tulit. Hac interim a quinquaginta Draconibus interjecta mora, equitum quidem turmæ recipere se ad lævam Romanæ viæ festinanter adeo cœperunt, ut plures, equis relictis, pedibus profugerent. Unus omnium ab hostibus circumdatus restitit Marsilius Senensis, Hierosolymitani Ordinis Eques; qui quadam occupata casa cum quadraginta equitibus, qui & ipsi, amissis equis, pedibus præliabantur,

tantum animi fortitudine profecit, ut alæ suæ pecuniam publicam, Præfectique impedimentum omne servaret. Hibernicorum autem manus adversus hostes constitit pro oppidi porta Neapolitana, quam qui in statione ibi erant, inconsulto occluserant. Eodem tempore cohortes quatuor Belgarum prætorianorum, quæ in prima lævi lateris fronte castra habebant, quum tumultuario equitatus receptu, flexuoxisque tramitibus impeditæ ad Hibernicorum subsidium adniti non potuissent, in oppidum per dirutos muros ab ea se parte insinuarunt, in qua paulo infra Curiam Minoritarum esse Cœnobium demonstravimus. Ita Hibernicorum manus omni auxilio destituta, quum neque in oppidum intrare occlusà portà, neque per latera se recipere, circumventa, atque oppressa a multitudine hostium, posset, ferme omnis fortissime pugnans interfecta est. Ibi Magdonelius tribunus militum, atque ejusdem manus Centuriones undecim, aliique complures minores Duces occiduntur, qui partam Camposanctensi prælio, & vetustate militiæ bellicam laudem hoc honestissimo mortis genere cumularunt. Dum vero nostri Neapolitanam portam defendere, conferto illi agmine irrumpere conantur, eodem vestigio temporis Rex a Marchione primum Villafuertio castrorum Præfecto de repentina hostium incursione certior factus est. Nam Decurio Custodum corporis aut periculum non præsenserat, aut in tanta re Regem, credo, interpellare verebatur. Rex confestim gladio succinctus, prosequenti-

bus

bus Purpuratis nonnullis, & Cuſtodibus corporis ſtipatus, qui ad cubiculum ejus excubabant, poſtico egreditur domo. Quumque ab ea parte, qua Valmontorium itur per adjacentes domui hortos, quinquaginta vix paſſus pedibus progreſſus eſſet, equum nactus, primum equites Regios prætervehitur, iiſque ad ſui defenſionem jam exardeſcentibus clare, ut nemo non exaudiret: Recordamini, inquit, veſtri Regis, veſtræque priſtinæ virtutis, & ne quid durius accidat, diligenter providete. Mox ad Capuccinorum tumulum evadit. Illum Dux etiam Mutinenſium, & Marchio Hoſpitalius Galliarum Regis Legatus, & in exercitu Regis Neapolis voluntarius caſtrorum Præfectus proſequebantur. Qui quidem de quarta vigilia ad Artemiſium montem una profecti, audita hoſtium irruptione, in oppidum properantes redierant de Rege ſolliciti, ad eumque ſeſe in itinere aggregaverant, omni jam militari inſtrumento, quod apud ſe in oppido habebant, adempto ab Auſtriacis velitibus, diſtractoque. Utriuſque eo die & in adeundis periculis, & in ſuarum jactura rerum fortis, conſtanſque animus apparuit. Sed Rex ad dextrum cornu profectus, atque in media Hiſpanienſium prætorianorum legione conſiſtens, quid ubique opus ſit, forti; atque erecto animo circumſpicit, atque imperat, nullum eo die ſcientiſſimi Imperatoris officium prætermittens. At hoſtes, Hibernicorum manu deleta, diſſipato equitatu, equis ſuffoſſis, & captis plurimis, ſiniſtrique cornu tentoriis omnibus direptis,

at-

atque incensis, impetu facto, portam effringunt, custodibus nequidquam obnitentibus, & Nicolao in primis Sanseverinate Bisiniani Principis fratre nobilissimo, qui dum fugientes milites alios increpat, alios manu prehendit, & consistere jubet, plurimis ipse vulneribus concisus jacuit, & pro occiso relictus est. Illi, effracta porta, captisque militaribus signis novem, quæ ibi congesta raptim in unum repererant, tripartito iterum copias dividunt, quarum dextera pars in illam se viam immisit, quæ ad Ginnettiæ gentis domum pertinet; sinistra ad Curiam Septentrionem versus contendere cœpit; per latiorem autem, ac perpetuam illam viam, qua totum oppidum distingui diximus, media acies processit. Tali instructo agmine, & malleolis, quos secum ad Velitras incendendas tulerant, in proxima quaque versum tecta conjectis, magna strage, majore tumultu oppidum invadunt. Oppidanorum multitudo insolens belli, abdita in penetralibus, aut ingenti terrore perculsa obstupescit, aut quem esse illum putat ultimum Patriæ, suarumque fortunarum diem misera detestatur. Discurrunt illi ubique cum ferro, & facibus, obvios omnes armatos, atque inermes occidunt. Scrutantur domos, nulloque discrimine nostrorum, atque oppidanorum bona diripiunt. Qui ex nostris forte in domibus erant, & prius intra parietes versari hostes viderant, quam venisse cognoverant, ad unum omnes aut trucidantur, aut capiuntur. Ardens podagræ doloribus Comes Marianus consurgere de
le-

lecto statim jubetur, atque in equum illatus abducitur. Atrisci Dux ex semiustulata, ac diruta domo vix elapsus ad equites Regios, quorum erat Præfectus, equo citato contendit. Et jam majorem oppidi partem ignis, atque hostis, cætera omnia tumultus, ac terror compleverat, adeo ut nemo esset tam fortis, quin tanta rerum perturbatione moveretur; quum præsertim, qui timorem plerumque consequitur, vanus deleti exercitus rumor percrebesceret. His tantis malis hæc fuere subsidio, quominus extrema acciderent: quod nostri tametsi a fortuna deseri videbantur, animum omnino tamen non demittebant; illi autem effusi in rapinas magis de præda, quam de reliqua victoria cogitabant.

Gagius quum primo mane vigilias circumiret, & tum forte ad Virtzianam manum, quæ in medio exercitu collocata erat, pervenisset, cognito lævi lateris tumultu, conclamari primo ad arma, deinde Virtzianam ipsam manum illuc celeriter subsidio jubet accurrere. Ipse fore id, quod accidit, suspicatus, ut ab dextero etiam latere Artemisii montis juga, munitionesque hostes tentarent, eo properat, satis in Castropiniani Duce præsidii esse existimans ad defensionem oppidi. Austriaci ubi jam suos in nostrorum castrorum lævum latus, ipsumque oppidum irrupisse ex incendiorum fumis cognoverunt, quod tempus inter eos irrumpendi etiam ab altera parte convenerat, statim cum audacissimorum peditum millibus III. bifariam distributis montem oc-

cu-

cupant editiſſimum illum, quem cum Aricino nemore continentem eſſe ſupra docuimus, & qui in ſtatione ibi erant, Montanos pedites facile inopinantes deturbant. His deturbatis, eadem vi alteram, atque inde tertiam ſtationem adoriuntur; quarum milites, communicato viciſſim terrore, & disjectis ordinibus, regredi cœperunt. Quum jam haud multum abeſſet, quin noſtris illi munitionibus potirentur, reſque hoc etiam in loco ad extremum deducta caſum videretur; Gagius veteranam legionem, quæ a Corona nomen accepit, & Campanam legionem Provincialem, cohorteſque alias nonnullas eo ſtatim occurrere, & auxilium ferre juſſit. Tum vero atrox oritur prælium. Fit magna utrinque cædes. Ipſe, qui toti negotio præerat, ejuſque auctor præcipuus fuiſſe creditur, Dux hoſtium Andreaſius vulneratur: aliqui ex noſtris, aliqui ex hoſtibus comprehenduntur, ſuos quiſque milites hortatur, atque excitat: unum illud eſſe tempus, quo maxime contendi oporteat: noſtri, niſi rem obtinuerint, de omni ſalute deſperant: illi, ſi noſtras occupaverint munitiones, ſe omnino viciſſe exiſtimant. Hic cognoſci potuit, quantum ad incitandos milites, eorum, qui præſunt, valeat exemplum. Nam Campanæ legionis milites modo conſcripti, primum quidem deterriti hoſtium multitudine, qui acrius de ſuperiore loco inſtabant, ipſiuſque loci iniquitate, quæ maxima erat, & quo eniti vix quiſquam ſine armis, ſineque ulla dimicatione poſſet, paulum ceſſere, parumque abfuit, quin

or-

ordines perturbarentur. Postea quum ad tribunum militum Ariciæ Principem, & Centuriones, suosque alios Duces ora convertissent, qui omnes, gravibus licet debilitati vulneribus, acerrime pugnabant; horum ipsi exemplo erecti jacula exceperunt, immiseruntque fortissime. Idem quum veterana legio tribuno militum Alphonso Savallio & ipso vulnerato faceret, ne a tyronibus virtute vinceretur, hostium paulisper impetus tardatus est. At Rex, qui singula ex propinquo attendebat diligenter, quum suos premi animadvertisset, Joannem Paciæcum opportunissime misit, qui cum legionis, quæ Regina Hispaniensis appellatur, cohortibus duabus inclinantes restitueret; eodemque tempore Gagius una ex parte Macedonicam legionem, quæ veterem eo die Macedonum gloriam æmulata est, unaque Parmensis manus centurias aliquot procurrere: Ex altera vero Castellanam manum, quam Hispaniensium prætorianorum cohortes sequebantur, signa inferre jussit. Quo facto tantus hostibus terror injectus est, quod circumveniri sibi videbantur, ut complures, armis projectis, sese per rupes præcipitarent, atque ita allisis ad saxa membris interirent: reliqui vero omnes pedem, qua possent ratione, referrent; desperatis præsertim subsidiis, quæ submittere illis Lobcoviczius nequaquam e re judicaverat. Nostri autem, Macedonica potissimum legio, & Parmensis manus Pyrochitrophorum centuriæ, plus tertia hostium parte interfecta, tam audacter insecuti sunt fugientes,

tes, ut omnia juga Artemisii montis citissime recuperaverint, quæ illi suorum passim constrata cadaveribus reliquerant.

Quæ dum illic geruntur, Castropiniani Dux, qui oppido defendendo præerat, comperto Regem, cujus magnopere periculo commovebatur, exiisse jam ad dextrum cornu, ut quæ ibi opus essent, administraret cum Gagio: Ipse cohortes Belgarum prætorianorum quatuor, quas a Minoritarum cœnobii parte sese in oppidum insinuasse antea diximus, adversus hostes eodem subeuntes ire jubet. Huc evocat Virtzianam manum a Gagio jam submissam initio tumultus, atque Helvetiorum prætorianorum partem. Reliquas Belgarum prætorianorum cohortes duas Flacido Sangrio Legato imperat, uti a Ginettiæ domus hortis in oppidum deductas mediæ ingruentium hostium aciei opponat. Harum partem, atque una Flandrorum manum, quæ in proximo erat, & castrenses machinas duas Facardo castrorum Præfecto adtribuit. Cum his mandat, uti eam teneat viam, quæ ad Ginettiam pertinet domum, & qua etiam hostes progrediebantur. Regiorum equitum turmam subsidiariam in maxima oppidi platea instruit. Sic nostris quoque copiis tripartito divisis, tribus locis concurritur. Minoritarum Cœnobium, Curiam, omnemque illam oppidi partem summam ad Aquilonem conversam, obtinere hostes conabantur, & succedebant insolenter. Attamen a nostris, qui catervatim per compita, ut a viris fortibus in extrema spe salutis pugnari debet, acriter pugna-

grabant, loco tandem pelluntur; & multis utrinque interfectis, ex iis autem captis centuriis integris duabus, pedem coguntur referre. Eamdem ab altera parte fortunam ii tulere, quos Ginettiam petentes domum urgebat Facardus, & consistere nusquam patiebatur. Sed longe vehementissime in latiore oppidi via ad mediam aciem laborabatur. Namque hostium pars domos ingressa e fenestris, ac tectis jacula in nostros coniiciebat, suosque reliquos per viam audacter progredientes, & cædem facientes maximam protegebat; quumque nostris nocerent plurimum, quod nullum e fenestris jaculum frustra mitteretur, noceri autem ipsis, qui a muris ædificiorum defendebantur, vix posset, eo jam ventum erat, ut triginta non amplius passus a maxima oppidi platea hostes abessent. Quorum audacia, præliique angustiis permoti ipsi Belgæ prætoriani, etsi nullam dabant fugæ suspicionem, lente procedebant tamen. Eo tum advenit Comes Bofortius Legatus, qui in eadem Belgarum prætorianorum legione ordinem ducebat, singularis animi vir. Hic videns imminere hostem, suosque ægre procedere: quid cunctamini, inquit, commilitones, aut quod tempus probandæ virtutis vestræ expectatis? hic dies maxime nostrum nomen illustrabit. Hæc eloquutus, districto gladio, præcurrit ante omnes. Sequuntur hunc redintegratis animis milites, centurionesque. Ipse adhortans, & pugnans Bofortius graviter in adversum pectus jaculo vulneratur. Non tamen desistit, quoad jam semiani-

nimis per manus tractus extra aciem refertur. Tum vero tanti viri casu irritati Belgæ prætoriani in hostes ardentissime irrumpunt; nonnulli, allatis securibus, domorum portas exscindunt, atque omnes ibi repugnantes interficiunt.

Mutatur belli fortuna. Illi, qui in spem potiundi oppidi certissimam venerant, fugantur a nostris, qui cessisse videbantur. Capitur Novatus, antea oppressus, quam nihil tale suspicari posset, & qui diutius dum moratur in domo, quæ Mutinensium Duci habitandi caussa erat attributa, fugam non sentit suorum. At Brounius, qui agmen cogebat, neque in oppidum intraverat adhuc, ubi captum Novatum, cedentes suos, nostros insequentes videt, receptui confestim cecinit, maxime, ut dicebatur, timens ne a latere circumveniretur; quum præsertim Lobcoviczius, qui idoneum nactus locum omnia speculabatur, non sibi submittendis subsidiis nudanda castra, atque exercitus fortunas omnes devocandas in dubium existimaverit. Simul videbantur subsidia, quæ ille, inclinata jam re, submisisset, implicata præcipiti suorum receptu tumultum potius, quam præsidium allatura cedentibus.

Receptis Velitris, Castropiriani Dux ad custodiendam in præsentia oppidi portam Neapolitanam cum iis copiis, quæ in eam partem ex tribus viis, repulsis hostibus, confluxerant, & cum machinis castrensibus duabus, & præterea nostris Hungaricis equitibus circiter centum Lessium castrorum Præfectum reliquit: ipse ad dextrum cornu profectus de rebus ge-

stis

stis certiorem facit Regem. Rex, qui uno eodemque tempore & a montanis munitionibus, & ab oppido fugatos hostes cognoverat, imperat Castropiniani Duci, si recte atque exercitus commodo fieri possit, recipientem se Brounium adoriatur: descendat interim Gagius ab Artemisio monte, atque irrumpat in castra hostium, quæ imparata fere a militibus esse constabat. Sed controversia illata de itinere, quo maxime hostem, sicuti Rex imperaverat, persequi placeret, & nostros ad insequendum tardavit, & quietiorem illis receptum dedit. Neque enim satis erant nota nostris loca tam multis transversisque tramitibus divisa, neque oppidanorum ad eà commonstranda fidelis opera videbatur: & multa in utramque partem disputabantur, quum alius vestigiis hostium insistendum, alius breviore itinere occurrendum putaret. At Vallishermosæ Comes, qui omnia eo die ducis, ac militis officia præstiterat, & mirifica tum ulciscendi hostes cupiditate flagrabat; fidenter sane, ac libere, quid, inquit, consultando tempus conterimus? Hostes impune in conspectu nostro elabi non est ferendum; manu opus est, & celeritate. Simul se itineris ducem profitetur: (omnem enim circa regionem, adjutore usus Ambrosio Hurlierio præstantis ingenii homine, & Borboniæ Draconum alæ Propræfecto, quod est in administrando bello præcipuum, accurate cognoverat) sese ait ab ea parte, qua pons est, qui appellatur Mela, prope oppidum Lanuvium copias adducturum, ubi & equites no-

ſtri manus poſſint conſerere, & hoſtes circumventi a latere, atque omni ad Cynthianum intercluſo itinere, præſentes inſignis audaciæ pœnas luant. Hæc vicit ſententia. Sed ipſa jam diſputatio multum extraxerat temporis, atque aliquid etiam moræ addiderant Helvetiorum prætorianorum cohortes, dum accerſuntur, dum veniunt; eo quidem conſilio accerſitæ, ut majori peditum numero ſeptus equitatus ex anguſtiis tutius emergeret, atque in agro Lanuvino locum nanciſceretur æquum atque apertum. Tandem procedere noſtri incipiunt eodem itineris Duce, qui fuerat auctor ſententiæ. Sed jam effugerant hoſtes; quod ubi reſcivit Rex, intercludi illos receptu poſſe deſperans, & militum labori parcendum exiſtimans, quod valde eo die defatigati fuerant, Caſtropiniani Ducem, Gagiumque ulterius progredi vetat, & copias reducere jubet in caſtra. Sic quum prima luce prælium cœpiſſet, hora fere nona reſederant omnia ab tumultu, & in ſua ſe utrique caſtra receperant: Regii quidem feroces, atque alacres, quod quum omnium judicio oppreſſi, ac deleti pene viderentur, animum tamen non deſpondiſſent, & collectis viribus terga hoſtes ſubito vertere coegiſſent, magnâque eorum cæde novem militarium ſignorum jacturam compenſaſſent. Auſtriaci autem magis præda onuſti, quam laude inſignes ferebantur; nam latrocinandi aviditate corruperant gloriam facinoris, quod laudari poterat, ſi peractum fuiſſet.

Po-

Postero die Rex, collaudatis nominatim Comite Gagio, & Castropiniani Duce, quorum in repellendis hostibus opera fuerat usus forti, ac diligenti, omnibus generatim gratias agit; Hispanis, quod tantis subito objectis difficultatibus, tamen a consueta virtute non discessissent; Neapolitanis, quod veteranorum virtutem fide atque amore erga suum Regem adæquassent. Atque incitandæ honestandæque virtutis causa, militaribus nonnullos præmiis auget, cum primis Nicolaum Sanseverinatem, atque Ariciæ Principem, qui periculose ex vulneribus decumbebant; quorum alterum ab inferiori gradu ad tribunum militum se traducere pronunciat, alterum in amplissimum Divi Januarii equitum ordinem cooptat. Totum denique exercitum bona spe complet, hortaturque, ne, quæ fortunæ quodam jure acciderint, graviter ferant; & quoniam in bello omnia cedere secunda non possint, lætentur potius, quod hostes pene victores tanta fuerint cum eorum cæde a castris rejecti, quam doleant, quod ad castra accesserint, & partem aliquam abduxerint impedimentorum. Cogitur etiam in unius oppidani supplicium contra suam naturam Rex jure belli, & maximo militum concursu, quod multa oppidanorum perfidiæ detrimenta accepta referebantur, uti tamen magis fama, quam re compertum videbatur. Conversus deinde ad reliquas belli cogitationes, proximi diei casu admonitus, firmari castra diligentius, & custodiri vigilantius jubet. Porta oppidi Neapolitana, & Mariæ

Hortensis Fanum, atque omnis castrorum læva pars, imposito Virtzianæ manus præsidio, collocatis æneis aliquot tormentis, opposito Ericio, extructo aggere, fossa & vallo communiuntur; omnia opere tam properato, ut diebus duobus quidquid a peritioribus rei militaris desiderabatur, celerrime perfectum fuerit. Armantur, ac vestiuntur, qui, amissis equis atque armis, a repentina hostium irruptione refugerant. Certus Provinciis militum numerus, singuli singulis Regni Principibus equi imperantur. Prolixe in eo populi, ac Principes respondent. Neapolitana civitas pecuniam ad usum belli ultro etiam non imperatam confert. Revocatur a Vestinis Dux Viavillæus Legatus, qui, represso jam ac remoto Comite Soroo, adducat statim ad Velitras in castra, quam secum habeat, peditum atque equitum partem. Adducit. Etiam fortuna ipsa per eos dies facere quodammodo cum Rege visa est. Nam quæ ne expectabantur quidem ab Hispaniis auxilia, de repente opportunissimo tempore inter medias Britannorum classes Cajetam, ac Neapolim appulerunt. His rebus celeriter id, quod ad III. Idus Sextilis in nostris castris ad Velitras deperierat, expletur, resque ad pristinam belli rationem redigitur.

Lobcoviczius eo consilio depulsus, quod extremo veluti conatu susceperat, & cui grandi licet accepto detrimento, speciem victoriæ ostentationis, uti videbatur, causa imponebat, receptui aliquandó tandem consulere cœpit. Communitis enim nostris castris, atque amisso sua-

suarum copiarum robore, nullum jam insidiis, nullum prælio relinqui locum videbat. Milites autem, quos belli casus fecerat reliquos, partim vulneribus ac cæli vitio conflictati, partim diuturno labore, atque infelici expeditione intabescentes ægre vix necessariis militiæ muneribus fungebantur. Diffidebant inter se Duces, quod plerumque accidit in adversis, summumque Lobcoviczii imperium carpere videbantur atque abnuere. Erat equitatus omnis macie prope enectus. Erat omnis circa regio defessa, & consumpta commoratione exercitus tam longa. Adventabat etiam Autumnus, grave maritimis commeatibus tempus. Pecunia deerat. Lobcoviczius ipse, qui valde subsidiis indigebat, subsidia compellebatur submittere Sardiniæ Regi tum laboranti, & quiritanti maxime. Erat denique in summis angustiis res, & secundum ea multa Lobcoviczium hortabantur, quare sibi loco excedendum putaret. Nihilo tamen secius menses ipsos duos castris Regiis castra collata habuit, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur; sive ille erat pudor abiiciendi incœpti, sive spes, quæ ultima solet homines deserere. Quo quidem tempore nostro exercitui carissimum atque invictum bellis virum Atrisci Ducem morbus extinxit: Hungarici autem equites circiter centum impetum in Valmontonium oppidum improviso fecerunt, & quæ ibi indiligentius versabatur, nostrorum centuriam una cum Portocarrero Duce conciderunt omnem, atque ipsum deinde oppidum habuerunt prædæ loco. Neque postea

quidquam magnopere accidit, quod memoria dignum prætermittendum non videatur.

Interim Regi Sardiniæ qui auxiliarentur, ad mille Illyricorum misit, & legionem Pallavicinam mutilatam admodum superiore prælio; atque eadem Lobcoviczius de profectione cogitans, quæ jam antesenserat, ægrorum, atque impedimentorum partem dat Andreasio, mari transducendam in Hetruriam, partem itinere terrestri ad Falerios Faliscorum præmittere incipit, quo expeditius, in ipso receptu rapiat agmen. Mittit etiam ad hominum centum, qui junctis ratibus pontem in Tyberi ad traiiciendum exercitum juxta pontem Milvium faciant, præsidioque ibi sint. His explicatis rebus, quum equitum alam pridie Kal. Novembris mane misisset, qui ad lævam nostrorum castrorum adequitarent, & quasi munitiones explorare vellent, nostros prælio etiam, si opus esset, commisso detinerent: Ipse noctu silenti agmine subsequutus, quas interdiu præmiserat sensim legiones, celeriter e conspectu Velitrarum discessit. Neque vero hoc audito moram ullam ad insequendum intulit Rex, antea jam suspicatus, huc necessario descensurum Lobcoviczium; & præmisso equitatu, qui novissimum hostium agmen male haberet, & receptum demoraretur, ipse cum universo exercitu instabat, atque imminebat. Illi unam noctem ad locum, qui mediæ viæ Turris appellatur, commorati, qua nocte nostri in Albana valle consederant, expedito itinere antecesserunt: quumque ante ipsa Urbis mœnia iter fa-

ce-

cerent, Romanorum oculis mutabilis fortunæ exemplum objecerunt, non eodem certe vultu, neque iisdem animis recedentes, quibus venerant. Extremum hostium agmen vix præcesserat, quum subito apparere nostri, & se ostendere cœperunt: assequi vero illos, aut non potuerunt, quod major illorum fuerit in fugiendo, quam nostrorum in persequendo celeritas; aut noluerunt, uti tum vulgo jactatum est, quo vires magis integras afferrent ad earum copiarum conjunctionem, quæ percusso jam cum Genuensibus fœdere, in Galliam Cisalpinam, Philippo Regis Fratre Duce, influebant. Parva tamen inter nostri exercitus antecursores, & novissimos eorum dimicatio facta est ad pontem Milvium, dum pontes illi rescindunt, quo nostrorum incursum reprimant. Nonnulli utrinque vulnerantur, atque interficiuntur. Sed rescissis pontibus Lobcoviczius celerem sibi fugam per difficiliora itinera, atque Eugubinos montes quæsitum ivit, sibi non omnino displicens, quod expeditionis exitum fœdissimum multo ante præsenserat, alieno autem judicio vexatus, & eorum potissimum, qui fortunam convertunt in culpam, & quod male cecidit, male consultum putant. At Rex quum in Suburbano Patricio pernoctaret, ibi eum ex Romana nobilitate Principes, & Cardinales multi convenerunt, quos ille omnes perbenigne excepit, maxime vero Aquavivam Cardinalem, quem ut vidit complexus, & gratulans salutem se Regni videre dixit. Postridie mane equo Romam invectus Pon-

tificem Maximum BENEDICTUM hujus nominis XIV. salutatum venit, præstantem doctrina, prudentiaque virum, cujus consilio, atque auctoritate tum maxime Romana Respublica stetit. At Sanctiss. Pater tantum Regem, maximi ipsum Regis Filium, genibus advolutum suis quum videret, tanta est voluptate perfusus, ut difficillimi temporis acerbitatem ingenti consolatione leniret. Lustrat deinde Rex celeberrima Urbis loca, circumfluente omnium ordinum multitudine, quæ tum primum soluta propinqui belli metu, alacrior prosequebatur Regem, incredibili plausu, atque acclamatione. Statim inde a convivio, quo magnifico, ac splendido acceptus in Vaticano fuit, Roma proficiscitur, quum partem Neapolitani exercitus Gagio ad insequendos hostes attribuisset, partem se subsequi jussisset in Regnum. Ipse, receptis Liberis, & Conjuge præstantissima, quæ illi ad Regni usque fines obviam processerat, Cajetam primum, mox Neapolim pervenit. Advenienti tota obviam Neapolitana civitas longissime prodiit Regem suum, Liberatorem suum videre gestiens, & præteriti periculi recordatione lætior. At victor Rex dignum victoriæ, ac virtutis suæ fructum tulit, benevolentiam populorum, quos ille admodum a bello revertens exhilaravit: hostes autem docuit, non leve negocium esse Regnum invadere, non tam militum armis, quam optimi Regis præsentia communitum.

COM-

COMMENTARIORUM
DE BELLO ITALICO
LIBER I.

CASTRUCCII BONAMICI


COMMENTARIORUM DE BELLO ITALICO

LIBRI PRIMI

AD CAROLUM BORBONIUM

NEAPOLIS ET SICILIÆ REGEM

PRÆFATIO.



IFFICILE *profecto est, atque arduum,* CAROLE BORBONI REX, *eorum, quæ ætate contigerunt sua, scribere historiam; propterea quod non ingenii solum ea scribenti, sed etiam capitis interdum, atque, id quod ego plurimi facio, existimationis discrimen adeundum sit. Etenim quum illud maxime propositum historico esse debeat, ut nihil non audeat veri dicere, periculum sane est, ne certarum explicatio rerum necessaria potentiorum possit animos offendere, qui assentatorum depravati blanditiis, si quid male gesserunt, non redargui memoriâ scriptorum, sed defendi volunt oblivione, & silentio: adeo ut vel*

fides

fides in historico, si tempori obsequatur, vel prudentia desiderari possit, si veritati serviat. Quamobrem melius sibi, suisque prospexisse monumentis mihi videntur ii, qui res a temporibus suis longe remotas perscribendas susceperunt. Nam qui dominabantur, extinctis, rebusque commutatis, nulla scriptori mentiendi, nulla est cuiquam causa succensendi, licetque spe, ac metu vetustate sublatis mortuorum facta & laudare sine invidia, & vituperare sine periculo. Quod item nobis facillimum factu fuisset, magnaque liberati cura videremur, nisi gravis jam causa impulisset nos, ut res ad Velitras gestas conscriberemus, & tua nunc auctoritas, CAROLE REX, *accessisset, qua mandatum nobis etiam atque etiam esse voluisti, ut eam Italici belli partem, quæ res consequitur illas, commentariis nostris persequeremur, iterque in Cisalpinam usque Galliam susciperemus, ut & locorum, ubi majore ex parte bellum illud gestum est, & hominum, qui aut eidem interfuerunt bello, aut præfuerunt, explorata cognitione, naturaque perspecta, historiæ nostræ non minus diligentiæ, quam veritati consuleremus.*

Ac veritatis quidem præferendæ eo vel maxime difficultas extenuatur, quod ad REGEM *scribimus, qui præclara sustentatus virtutum suarum conscientia historiam non horret, actionum indicem humanarum, quique eadem animi magnitudine, qua mendaciis repugnare adulantium solet, vera scribentem tutabitur; neque patietur unquam necessariam historico eri-*

pi libertatem, qua, ipso regnante, fruuntur omnes: quum piissimo, justissimoque Regi servire nihil aliud sit, quam gratissima, omnibusque bonis cumulata libertas.

Quamquam præsentis temporis conscribendæ historiæ ita posse rationem temperari arbitror, ut neque fides, neque prudentia in scribendo desideretur. Magna est enim orationis vis in utramque partem, ut neque assentatio placeat sine quodam artificio dicendi, neque sit odiosa veritas, quæ lenitate sermonis aspersa in animos illabatur; nisi quis est aut natura ita asper, ut nullam ab acerbitate sejunctam veritatem probet, aut ingenio ita delicatus, ut ne honestam quidem, & quasi legitimam historici libertatem ferre possit. Quorum ego hominum fastidium atque insulsitatem adeo non moror, ut prudentis contra, & gravis esse historici putem ejusmodi opinionibus a recta scribendi ratione non deterreri.

Sed neque mihi audiendum est aliud genus hominum, qui militari institutioni contrariam esse dicunt scientiam rerum pulcherrimarum, negantque tantum in scribendo operæ, ac temporis ponere militem oportere. Nam quid hos requirimus leves & ineruditos, quum veteres illos Romanos auctores habeamus præclarissimos? qui ab humanioribus disciplinis adeo non abhorruerunt, quum bellicis florerent laudibus, ut iidem res agerent scriptione dignissimas, iidem scriberent. Romanorum ego industriam imitari præ me fero: utinam assequi virtutem possem! Tunc enim non obtrectatio-

nem deprecarer, sed præmium postularem: atque a Te postularem, CAROLE REX, *qui nunquam profecto sobolem militum, nova instituta Academia, meque ipsum insigni beneficio ad optimas artes excitasses, nisi armorum hanc, literarumque conjunctionem valde probares, maximeque regale duceres, iis potissimum Patrocinii Tui quasi lucem porrigere, quorum armis Regnum defendi, illustrari literis potest. Neque vero existimare aliter potes, quum & quibus hominibus imperes, & a quibus ortus sis, & quos denique in lucem edideris ipse Tecum sæpissime cogites. In totius enim Italiæ parte beatissima collocatus a Deo, ut regnares, versari Te profecto vides in eorum hominum vestigiis, qui magni semper in omni ætate fuerunt scriptores, actoresque rerum; Tuque ipse,* CAROLE REX, *difficillimo tempore expertus es, non domi fidem, & consilium, non fortitudinem foris, atque armorum vim Siculis, Neapolitanisque deesse. Quorum quidem hominum regiones amœnitate cœli, bonitate agrorum, civium nobilitate, nostris, vetustisque temporibus celebratæ ideo mihi Græciam quodammodo respexisse, ideo Latium videntur attigisse, ut eo, in unam veluti sedem, & Græcorum elegantia, & virtus immigrasse Romanorum videatur. Quare mirandum non est si Græcorum, Romanorumque artibus excultæ, & nativo quodam sensu, atque insita felicitate Reges semper bello, paceque insignes aut acceperint, aut ipsæ fecerint: minusque etiam mirandum est, si Tu, Optime Maximeque* REX

ad

ad eos imitandos Reges, & ſuperandos etiam commoveris. Quæ enim poſſederunt ipſi, regna obtines eadem, eodemque ſanguine ortus. Abavum præterea habes Magnum LUDOVICUM *Galliæ Regem, & Patrem* PHILIPPUM *Hiſpaniæ Regem præſtantiſſimum. Quod igitur a* LUDOVICO *Gallia, Hiſpania a* PHILIPPO *habuit, ut bonarum artium Parentes, atque illuſtrium virorum Patroni haberentur, & eſſent, id a Te Italia Tuis, Tuorumque Majorum peragrata victoriis, atque ornata legibus, & Tua inprimis poſtulare Neapolis jure optimo videbatur, ſeque aſſequutam eſſe ſummopere gaudet. Teſtantur id cum moles illæ objectæ fluctibus, atque hoſtibus, portuſque manufacti, tum omnium diſciplinarum domicilium magnifico abs Te opere exornatum: quæ duo, ut omittam cætera, quoties Neapolitani vident, toties ſecuritatem ii ſuam, & beneficium neceſſe eſt Tuum videant, lætenturque nihil eſſe abs Te prætermiſſum, quod ad pacis, bellique artes in civitate excolendas pertineat.*

Quanta vero gaudii acceſſio ex eo facta eſt, quod gloriari poſſunt editos eſſe apud ſe Regios Liberos Tuos, qui mihi jam ab incunabulis ſalutem innuere videntur Italiæ, & gentium fugam barbararum. Quo autem in majorem Imperiorum, magnorumque facinorum ſpem nati ſunt, eo diligentius ſolidæ virtutis præceptis, & veterum Romanorum exemplis imbuendi ſunt, ut ad maximas res conficiendas accedant paratiores. Atque haud ſcio, an hoc ideo fortuna tulerit, ut eo potiſſimum tempore na-

ſce-

ſcerentur Liberi Tui, quo plurima, ac vetuſtiſſima illorum hominum monumenta in eodem littore e tenebris eruuntur, ubi in lucem ipſi ſuſcepti ſunt. Nam eorum facta ſummo ſibi ſtudio imitanda eſſe ſtatuent, quorum leviſſima quæque a doctis viris tanta cura conquiri, explicarique videant. Et ſane ejuſmodi antiquitatis ſtudia niſi ad hiſtoriam cognoſcendam, clarorumque adeo virorum imitationem perſequendam referantur, curioſitatis cujuſdam pleniſſima, ſapientiæ autem inaniſſima reperientur. Quanquam non magnopere illi quidem vetera requirent, quum domi habeant ante oculos omnium exempla virtutum. Parentes enim habent eos, qui quum regiis abundent virtutibus, juſtitia, beneficentia, magnitudine animi, privatis non carent, continentia, probitate, ſuavitate morum, quæ licet reconditæ, atque interiores ſint, emanant tamen, multaque de iis narrantes egomet audivi homines nobiliſſimos, qui propter generis præſtantiam verſari familiarius cum Regibus conſueverunt, propter familiaritatem autem eas facilius noſſe virtutes, & quaſi reducto majeſtatis velo perſpicere poſſunt. At illæ alteræ, quæ appellantur regiæ, propterea quod in publica utilitate, & luce verſantur, majoribus, ut ita dicam, theatris propoſitæ non egent teſtificatione cujuſquam. Quominus vereor, ne quis gratiæ me cauſa quicquam in ſcribendo mentiri putet, quum eo mandante Rege ſcribam, qui laudibus cumulatus veriſſimis nullis falſis deliniri poteſt. Ad alienam vero gratiam, quid ego reſpiciam, qui Tibi,

CA-

CAROLE REX, *debeam uni omnia? ſin autem moveri gratia non poſſumus, metu certe non debemus. Ejuſmodi enim ingreſſi ſumus vitæ rationem, ut quæ vere, atque honeſte dici poſſunt, fortiter, ac libere dicere ne vereamur, nihilque præter dedecus metuendum nobis eſſe ſtatuerimus. Quapropter omni metu, & cupiditate vacui; eaque libertate, quæ militem decet, atque hiſtoricum, qui nihil temere ſcribat, nihil aſtute prætereat, Tuaque ſit,* CAROLE REX, *tectus auctoritate, eam Italici belli partem latinis mandare literis aggredimur; quæ ab Auſtriacorum a Velitris receptu initium ducens Aquiſgranenſi pace, & Nicæenſi in Italia conventu terminatur.*

Opus ſane memorandum, & fortunæ varietate adeo inſigne, ut victores interdum deſperaverint, ſperare victi nunquam deſierint, ferociſſimique extiterint, qui imbelles videbantur, omniaque fortia paſſi pro libertate, atque auſi ſint. Fugati, cæſique exercitus, Duceſque nobiles, expugnatæ urbes, direptæ Provinciæ leguntur etiam alibi, & exitus ſunt communes bellorum omnium. Illud hujuſce belli, de quo ſcribimus, præcipuum eſt, quod tot præliis, tot cladibus tantorumque Regum viribus nihil fere perfectum eſt, quod rerum geſtarum magnitudini reſponderit, non Principum ambitio ſedata, non Populorum conſtabilita felicitas: bellum denique vehemens, atque atrox pax repente concluſerit otioſis magis optanda, & defatigatis neceſſaria, quam cuiquam opportuna, aut glorioſa bellantium.

Totum autem opus tribus Libris complectemur, quorum hic primus in Tuo, REX, nomine apparet. Scriptionis enim nostræ fructus aliquis ad neminem prius, quam ad eum pertinere debet, a quo accepimus, ut scriberemus.

COM-

COMMENTARIORUM
DE BELLO ITALICO
LIBER PRIMUS.



Epulsis Austriacis, CAROLUS quidem Rex, ita uti in Commentario de rebus ad Velitras gestis diximus, Neapolim victor revertebatur. At Mutinensium Dux, Gagiusque cum Hispanorum copiis, & auxiliaribus, quas e suo delectas exercitu illis Rex attribuerat, se se recipientem Lobcoviczium insequuntur, effectisque ea de caussa duobus in Tyberi pontibus, exercitum IV. Non. Nov. traducunt. Lobcoviczius, missis jam antea, qui idoneum prope Viterbium castris locum deligerent, in ea se castra septimo a Velitris die contulit, quæ quidem egregie loci natura, objecto monte satis edito, nemoreque denso, atque aspero muniebantur. Hæc Gagius animadvertens, qui hostes Roncilionem erat usque persequutus, ad Falerios Faliscorum, Spoletumque subito se convertit, atque ex iis locis in Umbriam erumpere meditabatur, sperans si prior Perusiam occupasset, Lobcoviczium receptu, & commeatu posse omni intercludi. Sed Lobcoviczius, cognito consilio ejus, motis extemplo a Viterbio castris, per Urbevetanum agrum iter

arripiens, & silvas inter, ac saltus properans antecesserat tam opportuno tempore, ut simul ipse Perusiam attingeret, & Hispani, Neapolitanique in Assisiensi agro cernerentur. Erat enim ex oppido Perusia propinquus despectus in pulcherrimam Umbriæ vallem.

Gagius in ea planicie, quæ inter Assisium, Forumque Flaminii interest, castra facit: cohortes aliquanto latius porrigi, simul plures noctu ignes accendi jubet; quo ex tam late productis ordinibus, dispersisque ignibus amplioris speciem exercitus hostibus ostentaret. Suæ enim copiæ, quanquam e Neapolitanis, ut diximus, auxiliis, atque his, qui ex Hispaniis per eos dies ad oram Romanam, Centumque cellas appulerant, refectæ; infrequentiores tamen adhuc, vixque IIXX. millia numero erant. Lobcoviczii autem ne XIII. quidem millium numerum explebant, insigni morborum, & perfugarum frequentia, quod in omni fere receptu accidere consuevit: multis etiam ad Aricinum nemus absumptis, & nonnullis cohortibus, quæ Regi Sardiniæ auxiliarentur, in Galliam Cisalpinam summissis. Quapropter quum suorum paucitatem videret, hostium numerum multo etiam majorem ex castrorum amplitudine arbitraretur, profectionem fugæ similem circumspectabat vehementer timens, ne intercluderetur. Itaque ne celeritati quidem satis confisus suæ, Comiti Soroo, qui suis, exercitusque impedimentis præsidio ibat, magnopere mandat, uti aliquam insequenti Gagio moram inferat; dum ipse per Eugubi-

nos

nos montes, ſuperato Apennino, ſecundum Adriaticum mare in Flaminiam deſcenderet, inque ejus regionis oppida exercitum in hiberna deduceret. Hiſçe mandatis acceptis, Comes Sorous, converſo itinere, Nuceriam occupat, ibique conſiſtit. Erant cum eo nongenti ferme projecta audacia milites ad omne facinus, atque diſcrimen impunitate diuturna, crebriſque certaminibus obdurati, perfugæ omnes, eoque acriores, ne, ſi in poteſtatem Hiſpanorum venirent, ad ultimum ſupplicium progredi cogerentur. Et jam Hiſpanorum, ac Neapolitanorum primum agmen a Foro Flaminii profectum inſtabat, & occupatis circa Nuceriam collibus imminebat univerſum. Neque ob id Sorous a propoſito deterrebatur. Inſanire hominem oppidani dicere, qui ab omnibus rebus flagitioſe imparatus tam parvulis copiis, nullis munitionibus, adverſariorum exercitui obſiſtere velit; monere, ut ſibi, ſuiſque, ſubito diſceſſu, conſulat. Enimvero ille animo feroci, minacique vultu negat, univerſum adverſariorum exercitum tanti eſſe, ut ipſe fugiat; & memor eorum, quæ paulo ante Lobcoviczio Imperatori ſuo confirmaverat, milites cohortatus, ut nullam niſi in armis ſalutis ſpem ponerent, urbem, ſuburbiumque, pro loco, ac tempore communit, portas obſtruit, tranſverſas trabes viis inducit, denique nihil reliqui ad defenſionem audaciſſime facit. At Hiſpani, Neapolitanique primo impetu in ſuburbium irrumpunt, portamque oppidi unam incendunt, neque tamen ulterius progredi au-

dent loci difficultate, ſuorum cæde, hoſtium furore deterriti. Quibus rebus factum eſt, ut, in foro, ubi mercatum habere oppidani ſolent, aggere extructo, & tormentis quatuor, quæ a Foro Flaminii advexerant, collocatis, quatere oppidum, ac diruere inſtituerint. Tum vero atrocitate rei oppidani commoti Soroum circumſiſtunt, unum univerſi orant, atque obſecrant, ne ſua pertinacia ipſorum fortunas omnes deleri funditus patiatur. Ille omni re deſperata, quum jam nec jacula militibus, nec vires ſuppeterent, ſimul Lobcoviczium effugiſſe jam ſciret, colloquium petit, paratumque ſe dedere ait, ſi modo incolumitatem transfugis, veniamque impetret. Non impetratâ, tamen ad deditionem compellitur. Deditione facta, ipſa e veſtigio ab Gagianis militibus Nuceria diripitur, Pontificis Maximi oppidum; adeo nihil in bello ſanctum, nihilque tam opportunum injuriæ, quam medium, & quietum ſine armis imperium. Gagius, conſervato Comite Soroo, in cæteros, uti in tranſfugas, lege agi jubet. Injecta continuo omnibus vincula unum querentibus, quod vitam, quam proiicere in prælio per virtutem poterant, ſupplicio, atque ignominiæ reſervaſſent. Statim inde in caſtra ad Forum Flaminii abripiuntur, ibique in eos, toto inſpectante exercitu, paulo ſeverius animadverſum eſſe videbatur, propterea quod non ſorte decimus quiſque, uti militari conſuetudine receptum eſt, ſed quintus quiſque lectus ad ſupplicium ſit, illique ipſi milites, qui ſortium beneficio ſup-

pli-

plicium vitaverant, tamen illuvie obsiti, catenatique longo, ac miserabili agmine Cajetam usque perducti fuerint, ubi qui honestioris in militia ordinis erant, compingerentur in carceres, reliqui ad opus, atque ad triremes damnarentur. At ii, quos extremum sequi supplicium damnatos oportebat, pars arboribus suspensi, pars jaculis confossi fœdissime perierunt. Perhorruere milites, populique præsertim lenissimo Pontificis imperio assueti tantam subito stragem, non reputantes ea severitate militarem disciplinam contineri, & reipublicæ interesse vehementer punire transfugas. Justissimo igitur supplicio affectis transfugis, Gagius assequendi hostis spe dejectus, cum summa jam hiems instaret, distributis circum agri Romani municipia legionibus, ipse Viterbii hiemare constituit. Quo in oppido quum cæteri copiarum Præfecti otiosum ab hoste tempus ludis, scœnisque contererent, ille tacitus plerumque totius Italici belli molem animo agitabat. Itaque maturius paulo, quam tempus postulabat, deducto ex hibernis exercitu, quasi incertus qua progrederetur, ut sua hostibus consilia occultaret, modo se Flaminiæ viæ dare, interdum Hetruriæ ostendere se veluti minitabundus, atque in eam partem impressionem facturus videbatur. Quæ quidem fama erat edita in vulgus, adeoque percrebuerat, ut qui ei provinciæ præerant, trepidarent, atque aliquot in fines Aretinorum cohortes præsidii causa mitterent. Quanquam enim Viennensi fœdere diligentissime cautum de He-

truria non turbanda fuerat; quo fœdere Hiſpaniarum Regis ſocius, atque amicus Galliarum Rex accepta a Franciſco Duce, quam Regi Stanislao ſocero attribueret, Lotharingia, Hetruriam Franciſco in perpetuum addicendam, Hiſpano conſentiente, curaverat, reque ipſa addixerat: interdum tamen illa ſuberat cogitatio, quam faciles eſſent hominum, & cum primis Regum ad fallendum mentes; neque tam, qui Hetruriæ præerant, Hiſpanos timebant, qui adventare dicebantur, quam populares, quorum ipſi adversà, Hiſpani ſecundà voluntate utebantur. Nam Florentinos Borboniarum partium ſtudio omnium in Italia maxime flagrare opinio erat, vel quia Caroli Hiſpaniarum Regis F. adventum, ejuſque benignitatis memoriam nova nondum dominatione expulerant, vel quia Medicæorum exſtincta apud ipſos familia in Tranſalpinorum poteſtatem redacti ſervitute premi inclementiore videbantur. Vitio etiam gentis humanæ, quæ longinqua expetere, faſtidire præſentia conſuevit. Sed Gagius, qui in Hetruriam cogitaverat nunquam, ſuperum mare verſus iter facere, ad hoſtemque contendere cœpit.

Quadringenti ferme vicum quendam in Flaminia, qui Catholica appellatur, inſederant Ungarici equites, ibique erant ab Lobcoviczio collocati, ut Hiſpani exercitus conatus, atque itinera ſpecularentur. Quem exercitum ubi appropinquare cognoverunt, eo ſtatim loco exceſſere. Quo facto, qui Arimini, quique Cæſenæ Auſtriaci milites præſidii cauſa erant,

Un-

Ungaricis ſe ſe equitibus adjunxerunt, unaque omnes ad Cornelii Forum perrexerunt. Hiemabat ibi Lobcoviczius. Hic de Hiſpanorum adventu certior factus, quum quæ per literas, nunciosque ab Rege Sardiniæ flagitaverat, nuſquam adhuc apparerent auxilia, atque ipſe, attritis jam viribus, multo omnibus rebus eſſet Hiſpanis inferior, educere ex hibernis exercitum, ſeſeque properans recipere cœpit: neque prius properandi finem fecit, quam ad Mutinam perveniret, caſtraque ad eam urbem opportuno, & munito loco poneret.

Ipſius enim caſtrorum dextrum latus ita urbi adhærefcebat, ut adactis ex arce Mutinenſi telis protegi poſſet. Siniſtrum foſsâ ſepiebatur, quæ derivandi fluminis cauſa prope Mutinam erat non mediocrem in altitudinem depreſſa. A fronte munitiones Lobcoviczius inſtituerat optimas, eaſque tormentis, perpetuiſque ſtationibus inſtruxerat. A tergo autem caſtrorum amnis erat Gabellus, eoque in amne pontes effecerat tres, quo facilior eſſet in Mantuanum agrum receptus, ex eove commodior, ſi nemo premeret, commeatus. His rationibus Lobcoviczius ad utrumque paratus, ſeu pontibus effectis ſe ſe ulterius recipere, ſeu communitis caſtris remanere mallet, auxilia certe expectare, & bellum ducere velle videbatur. Jam vero eo magis feſtinare Gagius, atque in maximam conficiendi negotii ſpem adduci ſi Lobcoviczium aſſequeretur, cumque eo confligeret, priuſquam ille ſe ſe Tranſalpinis, & Sardinienſibus auxiliis confirmaret. Itaque

que ad Forum Cornelii, eodem, quo hoſtis, itinere properans in fines Bononienſium celerius opinione omnium pervenit, continuatoque itinere Scultennam cum omni exercitu flumen vado tranſit, ita ut humeri tantum, ſummaque militum pectora extarent, eademque uſus celeritate, quum hoſtium manum, quæ Spilinbergium (in Mutinenſi agro ad Scultennam vicus eſt) tenebat, in fugam conjeciſſet, ad locum pervenit, qui appellatur Montalus, atque abeſt a Mutina paſſuum iii. millia. Caſtra ibi Hiſpani, Neapolitanique faciunt. Poſtero die Gagius decurionem exercitus cum ſatis valida peditatus, atque equitatus parte præmittit, qui caſtra exploret Auſtriacorum, & loci naturam cognoſcat. Quibus cognitis rebus, exercitum confeſtim in eam partem adducere, ubi item eſt in agro Mutinenſi vicus, quem Bonumportum appellant, atque inde in hoſtium caſtra, triplici inſtructo agmine, irrumpere, eodemque tempore, ſummiſſis militibus, atque operis, quæ cum iis ratibus, quas carris devehebat, pontem in flumine Gabello extemplo perficerent, hoſtes ab tergo adoriri Gagius meditabatur, ancipiti ipſos prælio diſtractos facilius opprimi poſſe ſperans. Hæc quum ille cogitaret, atque ageret maxime; ecce ſubito ab Hiſpaniarum Rege nuncius apparet cum literis: debere Philippum Regis F. in Genuenſium fines quamprimum ſe conferre, properaret cum illius exercitu ſuum Gagius conjungere, omniaque poſthaberet. Quibus literis acceptis, aggrediendi hoſtis conſilium depoſitum eſt, ſuſceptaque
de

de itinere, concilio statim advocato, deliberatio.

Dux Mutinensium concilio, summæque rerum imperatorio nomine præerat. Is recta eundum Novas esse arbitrabatur, Genuensium oppidum in Gallia Cisalpina plenum, atque opulentum, & Philippici exercitus propinquitate opportunum: assuetum se se iis circum Mutinam locis; non viam se certe nosse ullam aliam, qua exercitus ire, impedimentaque supportari possint: sibi quidem persuaderi magni animi rem esse, magnæ difficultatis propter asperitatem viarum, hostis propinquitatem, occultandi consilii desperationem: sed nihil esse virtuti arduum; quumque Regi parendum necessario sit, enitendum esse ajebat, etsi aliquo accepto detrimento, ut eo, quo Rex jusserit, mature cum exercitu perveniatur. Porro erant, qui Bononiam statim, atque in Pontificis provinciam regredi censerent, quod facilem ibi commeatum, iter denique non incommodum ad inferum mare, Cosarumque oram esse arbitrarentur, & salvum inde exercitum cum omnibus impedimentis una in Liguriam navigatione posse transmitti demonstrabant. Gagius utramque improbabat sententiam, quantum alteri deesse consilii, tantum alteri superesse animi dicebat. Qua enim fiducia, aut quibus copiis Novas perveniendum? lxx. circiter millia passuum intercedere itineris asperi, atque difficilis: ipsum a Placentia Apenninum transcendendum; subesse rivos, amnes, nobilitatum Gallorum fuga, victoriaque Tarum, Romanorum clade Trebiam; tempus adversum,

ma-

maximas aquas, longum iter, & corruptum; impeditum agmen: inſtare ab uno latere hoſtes, qui agmen aſſidue noſtrum peragitent, ab altero montes aſſurgere gelu pruinaque oppletos: vix quinque dierum cibaria ſupereſſe: in tantis anguſtiis ecquam eſſe militibus ſpem poſſe inopià & laſſitudine confectis, montibus atque hoſte circumcluſis? magnopere ſe quidem Mutinenſium Ducis perſpectam jam in maximis rebus laudare virtutem, cui nihil arduum videatur: ſed eſſe in bello non minus conſilio, quam virtuti locum, eaque propter cavendum eſſe, ne temere progreſſis aut certum exitium, aut turpis impendeat exitus. Reditum vero in Pontificis provinciam quid habere, niſi inopiam cibariorum, & militum fugam, & diſcrimen omnium rerum? Ecquam enim fore copiam, ſi loca repetantur noſtrorum, hoſtiumque inveteratis jam caſtris exinanita, atque exauſta? Milites autem, qui, cum ad hoſtes itur, alacres, atque erecti vadunt, demittere, quum recedatur, animum, & facta receptus mentione, ſtatim de fuga, victoriæ, prædæque deſperatione incitatos, cogitare. At illud, cujus tandem conſilii eſſe? Neapolitani Regni robur; Hiſpanorum florem, totius belli ſpem, atque eventum mari, & fluctibus committere? præſertim quum omnia littora, portuſque tanta diligentia a Britannicis claſſibus aſſerventur. Poſtremo afferre ſe, quod tutius, atque explicitius conſilium videatur. Præmiſſurum enim ſtatim Bononiam Pincaronium Præfectum Fabium firmo cum præſidio,

qui

qui ea via celeriter tormenta omnia, & quidquid in exercitu gravis, atque infirmi est, in Hetruriæ maritima adducat, indeque idoneam nactus tempestatem, & Ligusticam oram legens neque ad unum locum appellat, neque uno commeatu; quo fallere melius Britannos, atque effugere possit. Ipsum interim, qua proximum est iter, cum expedito, ac delecto agmine per Apenninum, Lucensemque agrum in Genuensium fines perventurum: neque defuturos exercitui commeatus, quum, trinis viæ castris superato Apennino, Lucensium campi occurrant integri & fertiles, qui pabulo, frumento, pecore, & omni rerum copia juvare exercitum queant. Hæc vicit in concilio sententia, cujus sententiæ hæ erant certæ opportunitates, quod præmissa tormenta ab omni hostium impetu, Pincaronii celerrima profectione defendebantur, quem assequi quum unius diei iter antecederet, illi profecto non poterant; & quod oppositus obstabat Apenninus, quominus reliquum insequerentur exercitum. Neque præterea verisimile erat, Lobcoviczium a Gallia Cisalpina, atque ab Rege Sardiniæ longius abduci velle, animis Genuensium tum incertis, atque Philippi, Gallorumque copiis ingruentibus.

Gagius quum omnem in celeritate positam rem videret, concilio vix dimisso, tormenta, atque impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Bononiam confestim præmisit, ac conquiescere ante iter confectum vetuit. His Pincaronius Præfectus Fabium cum equitum, peditumque millibus v. mitius præsidio

fidio eft. At ille quum ad Scultennam amnem perveniffet, qui eà nocte ex maximo imbre admodum creverat, fimul iis temere credens, qui vado amnem tranfiri poffe negabant, iter fupprimit. Quod ubi Gagius cognovit, decurionem ftatim exercitus mifit, qui hominem feverius commonefaceret, uti accelerarct. Quo facto vadum in flumine repertum eft. Periculum erat, ne, fi tam fubitam Lobcoviczius profectionem fentiret, multo breviore itinere Pincaronium affequeretur, eumque interciperet. Ita unius hominis focordia parum abfuit, quin tormenta omnia, atque exercitus impedimenta in hoftium poteftatem venirent, totiufque rei confilium deperiret. Interea Gagius cum expedito agmine e confpectu Auftriacorum evolavit. Lobcoviczius Pincaronii profectionem non fenferat, Gagium vero ne profectum quidem effe exiftimabat, fed eo tantum exceffiffe arbitrabatur, ut paulo ultra eum locum caftra transferret. Qua de caufa, primi diei mora illata, deinceps, reliquum fruftra laborem fufcipi intelligebat, quum jam neque Pincaronii iter demorari, neque Gagium confequi, neque etiam extremum ejus agmen carpere poffet. Dicitur eo tempore Lobcoviczius tantam effe celeritatem, reique militaris fcientiam in ipfo hofte admiratus. Ea eft magnorum facinorum vis, atque fpecies.

Apennino, qui ab alpibus maritimis, fupraque Genuam initium ducens, omnem Italiam difcriminat, ii quoque montes annectun-

tur,

tur, qui Mutinensem agrum meridiem versus a Lucensi dividunt, Balista quondam, & Letus apud Romanos appellati, nunc a peregrino quodam, quem summo apud Scotos loco natum austere, & solum plures ibi annos vixisse ajunt, D. Peregrini montes dicuntur. Ferebatur eo Gagius triplici instructa acie. Facile a principio iter, atque amœnum. Colles assurgebant leniter acclives. Ubi ad aspera, ac montosa ventum est, sarcinaria omnia jumenta defecere adeo, ut cibaria ipsi sibi milites supportaverint. Accidisse id satis constat eorum improbitate, qui vecturas de Regibus redimunt; propterea quod, ut suo privatim compendio servirent, jumenta coemerant macie corrupta, neque ad superandos montes idonea. Atqui ejusmodi ærarii depopulatores, posteaquam ex egestate, ac sordibus permisso jam latrocinio emerserint, ad opes, atque ad honores obrepunt non sine Regum pernicie, & justissima populorum querela. Quum, uti dictum est, in tres partes distributus Gagianus Apenninum superaret exercitus, dextera quidem sinistraque pars, quod molliore itinere montem circuibat, facile progrediebatur. At media acies, in qua Dux ipse Mutinensium, & Gagius erant, loci iniquitate, misere admodum divexata est. Nam quod duces itineris nacta esset imperitos, per devia, atque asperiora incedebat, nullumque neque ordinem, neque imperium servare poterat, & quod recta montem adversus peteret, ægrius necessario ingrediebatur, quaque difficilior erat aditus,

tus,

tus, atque præruptior. Tum iii. ferme millium passuum via adeo gelu constrata erat, ut, nisi discussa glacie iv. in altitudinem pedum, insistere miles non posset, & complures nihilo secius prolaberentur, præcipitesque agerentur per lubricas illas montium altitudines. Ipsi ante primos ordines ibant Imperatores, Dux quidem Mutinensium pedes, Gagius vero, quum podagræ doloribus ureretur, equo insidens, & cohortabantur suos, ne labori succumberent, neve animum tot præliis, atque hostibus invictum in tantulo non facillimi itineris spatio desponderent. Imperatorum vocibus, atque exemplo tantum militibus incessit itineris conficiendi studium, ut in summum jugum incredibili labore, ac perseverantia conniterentur: ex eoque properantes descenderent, atque, ad Castrum novum, qui non ignobilis in illis montibus vicus, & totius Capheroniæ provinciæ caput est, subito pervenirent; adeo ut qui Montis Alphonsi arci, quæ vico imminet, præsidio erant Austriaci milites, quum nihil tale suspicarentur, & incuriose obversarentur in foro, prius captam arcem, seque captivos senserint, quam appropinquare hostes cognoverint; quorum indiligentia Gagianis admodum profuit. Nam parva licet arcis oppugnandæ mora maximo fuisset ipsis detrimento, quum necessariis omnibus rebus egerent, atque extrema jam fame laborarent.

Tam improvisum, tamque difficile per Apenninum Gagii iter quum late fama vulgasset, magna apud otiosos rerum æstimato-

res controverſia, extitit, quum alii temeritatem hominis carperent, qui ſuas eo copias conjeciſſet, ubi eſſet ipſis & fame, & frigore pereundum; alii virtutem, atque immerſabilem difficultatibus animum extollerent, Annibalique alpes perrumpenti adæquarent. Ita, variantibus hominum ſtudiis, ſententiæ quoque variantur, deque rebus nemo confidentius judicat, quam qui eas ignorat. Ego ſicut non parum virtuti tribuerim Imperatoris, ita non multum conſilio detraxerim, quod præſertim fortuna comprobarit. Fœda enim tempeſtas, quæ per eos ferme dies cooriri conſtanter in iis locis, atque ingentem decidentium nivium vim circumferens, deprehenſos in itinere homines opprimere ſolet, quum vix milites ab Apennino deſcendiſſent, ſubito, vehementiſſimeque inſurgere cœpit ita, ut exiguo tempore magno caſu totius exercitus ſalus conſtiterit.

Capta Montis Alphonſi arce, Lucenſium finibus appropinquabat exercitus, quod ubi eſt auditum, inſolentes homines belli, & quorſum tam repentinum, atque ab hoſte, ut videbatur, diverſum iter evaderet, ignari (id quod in ejuſmodi rebus neceſſe erat) perturbati vehementer ſunt. Nam quanquam uſitato jam a principio belli inſtituto Reipublicæ prudentiſſimo parem Lucenſes Auſtriacis, Borboniiſque voluntatem oſtenderant, nihilque fecerant, dixerantve, quod alteros contra alteros juvaret; tamen prudentiæ non ſemper fortuna comes per idem ferme tempus tule-

rat, ut homines a potente quodam Roma summissi, Hispaniensem in agro Massensi tabellarium deprehenderent, ac dispoliarent, & publicas potissimum literas interciperent. Quo facto in fines se se Lucensium receperant; atque eos qui Montignosii oppido præerat, quum apud illum de injuria, quam sibi factam esse a latronibus putabat, vehementer esset tabellarius conquestus, comprehenderat, præfectoque arcis custodiendos tradiderat, Senatumque ea de re certiorem fecerat. Senatus, quod eos latrocinii insimulatos, latrones esse existimaret, literas quidem tabellario confestim reddi, ipsos in vinculis habendos videri censuit. Postea vero quam illi diplomata ostenderant, quibus eos esse milites compertum est, Senatus quum omnia ubique hostibus in hostes licere jure belli intelligeret, quumque non in sua provincia facinus admissum esse constaret, & literis redditis, satis Borboniis factum esse arbitraretur, Austriacos milites solvi extemplo, liberosque abire jussit. Erat æquitatis, & prudentiæ consilium plenissimum. Non defuerunt tamen, qui literis, nunciisque Senatum apud Reges populari inducti rumore criminarentur. Adeo nihil est a calumnia intactum, multoque plures sunt, qui reprehendant, quam qui laudent.

At ne in animis Regum utriusque partis suspicio hæreret falso injecta, ad Reginam Ungariæ Carolus Mansius, ad Regem Sardiniæ Joannes Sardinius, Neapolim Laurentius Deodatus, atque in Hispaniam usque Andreas

Sbar-

Sbarra ex S. C. missi sunt, eisque mandatum, ut Reipublicæ causam Regibus probarent. Harum vero legationum exitus adhuc erat incertus, quum, uti diximus, Lucensium finibus appropinquaret exercitus, civitasque suspensa metu, ac solicita esset. Quum autem in timore multa fingantur impunius omnia credantur facilius, eo factum est, ut nonnulla temere vulgata timere Lucenses cogerentur, quæ quidem non timuissent, si conscientiæ potius suæ, quam temporum rationem habuissent: ne videlicet Reipublicæ vis aliqua inferretur, neu milites in eorum agris maximo cum detrimento diutius versarentur, neu denique multa necessario quodam armatorum hominum impetu acciderent, quæ ne prudentià quidem corrigi possent. Augebat timorem, quod nullæ Ducum essent literæ, quæ de ipsorum adventu certiorem Senatum facerent, itaque inimico animo adventare magis, magisque dicebantur.

At Lucenses, ut aliquam in repentino tumultu dignitatis, ac salutis rationem habere viderentur, Montanos, qui in eorum ditione sunt, genus hominum militiæ aptum maxime, summaque erga Rempublicam fide cognitum ad se vocaverant, eos armaverant, custodiendæque urbis sexviros creaverant. Interea Imperatorum literæ venere adventum nunciantes. Itaque paulo quietior Senatus Franciscum Bernardinium ad Borbonii exercitus Imperatores, & Ducem imprimis Mutinensium misit, qui eos ad Castrum usque novum in ca-

ſtris conveniret, diceretque: egregium ſemper fuiſſe, & eſſe erga Borbonios Reges Senatus Populique Lucenſis animum: minus ob eam rem ſe ſe ab eorum adventu timere, quos optima fide dilexerint: eſſe potius, cur gaudeant, veniſſe tempus, quo ſuam Lucenſes erga Borbonios voluntatem verbis toties, legationibuſque teſtatam, re tandem ipſa declarent: nihil ea propter eſſe, quod in eorum poteſtate ſit, quod non ipſe fortiſſimis Imperatoribus ex auctoritate Senatus polliceri & repræſentare etiam poſſit. Illi tam liberali oratione, promiſſorumque ſpe deliniti, quum exercitum haberent frigore, fameque fere enectum: non ſibi, non Regibus ſuis in animo eſſe, reſponderunt, quicquam adverſus Rempublicam moliri: militarem tuliſſe rationem, ut neceſſario per eorum fines iter facerent: curarent ipſi, ne commeatus deeſſent: ſe ſe daturos operam, ut milites ſine maleficio, & injuria tranſeant. Quibus rebus cognitis, omnis Senatus cura eo converſa eſt, ut commeatibus extemplo conſuleretur, utque Cives eligerentur idonei, qui ea diligenter curarent, quæ ex uſu Borbonii exercitus eſſe cognoſcerent. Quo facto ex omni agro, & vico, pabulum, & cibaria in Borboniorum caſtra comportabantur, omniumque rerum copia portabatur undique, atque agebatur pleniſſimis viis. Idque eo erat mirabilius, quod Lucenſes anguſtis agris, minimeque frumentariis utantur; tempus autem eſſet anni difficillimum, quo neque frumenta in horreis ſunt, neque multum

a ma-

a maturitate abſunt; & milites, qui in florentiſſimis provinciis in maximis ſeſe fuiſſe difficultatibus recordabantur, non ſine ſumma admiratione videbant diligentià, ac fide parvas augeri res poſſe, magnas contra dilabi, ſi prave adminiſtrentur. Quum Hiſpanus, Neapolitanuſque exercitus ad ſextum ab oppido Luca lapidem perveniſſet, Senatus eo ſtatim Cæſarem Santinium proficiſci juſſit, qui cum Duce imprimis Mutinenſium, cæteriſque Imperatoribus ageret, quemadmodum ex officio ac dignitate Reipublicæ eſſe intelligeret. Quibus rebus confectis, ita a Lucenſium finibus diſceſſum eſt, ut militibus Lucenſes, Lucenſibus milites accepti eſſent; Reipublicæ in adminiſtrandis rebus ſolertia ab omnibus collaudaretur; Neapoli autem, atque in Hiſpania Legati ejus comiter ab Regibus acciperentur: & qui jam veritate rei commoti, Legatorumque officiis ſecundum Rempublicam judicaverant, tum vero his auditis, omnem de tabellario ſuſpicionem ex animis delerunt ſuis.

At Gagius nihil in itinere moratus per Lunenſem Agrum Sergianum pervenit, primum quod eſt ab ea parte venientibus Genuenſium oppidum. Quatriduum ibi ſubſiſtere placuit, dum in flumine Macrà pons efficeretur, & allevarentur milites, quos longum ex Mutina, atque arduum inter Apennini tramites, infeſtumque nivibus, & pluviis iter divexaverat. At magna Gagius ſolicitudine afficiebatur, novis ſubinde difficultatibus objectis.

Macra vicinis montibus rapidum flumen, tuncque etiam ex nivibus, imbribusque maximum erat; & pons in eo confieri difficilius propterea videbatur posse: loca excipiebant horrida, & saltuosa, latebrisque, & silvestribus tramitibus prærupta, quo certe ex militari progrediendi consuetudine, atque ordine adiri non poterat, idque erat incommodum, & periculosum maxime, quum præsertim Austriaci, si ab Apuanis montibus descenderent, paucis immissis equitibus, omnem male habere exercitum, & facile etiam possent errantem, & defatigatum opprimere. Ac jam ut nullus ab hoste metus esset, non pabulum in vastis locis, atque inanissimis, non frumentum erat: non denique certus tam incerti itineris dux. Una omnium erat in Genuensibus rerum spes, quorum obscura adhuc voluntas, & conscripto nuper exercitu suspecta videbatur. Infirmæ erant Hispanis, Neapolitanisque copiæ, v. millibus cum Pincaronio distractis, compluribus labore confectis, nonnullis fuga dilapsis. Philippus vero Hispaniarum Regis F. sociique Galli, quibuscum se se conjungere Gagius properabat, adeo non properabant ipsi, ut incredibili torpescere mora viderentur. Erat ipse præterea Gagius sive ætate, sive natura, sive etiam consiliorum, quæ omnia semper ab Hispania usque afferebantur, expectatione cunctator, magisque timens adversa, quam sperans secunda, adeoque omnia consilio tribuens, nihil ut fortunæ relinquere videretur velle, quæ tamen in bello plurimum potest.

Sed

Sed quum esset Gagius, in quibus demonstravi, curis atque angustiis, multaque hominem solicitum haberent, atque anxium: commodùm ad eum, & Ducem imprimis Mutinensium Genuà venit missus ab Senatu Josephus Auria, qui bono illos esse animo juberet, & pacata omnia ab Genuensibus, benignaque ipsis, militibusque eorum ex auctoritate renunciaret. Missus una cum Josepho Auria Vinsonius fuerat Trib. Mil. in exercitu Genuensi, illarumque peritissimus homo regionum, qui Hispanos, Neapolitanosque faciliore per montes, saltusque duceret via. Hoc primum in illo itinere Gagii animum erexit, ex eoque primum fieri quædam ad meliorem spem inclinatio visa est. Simul omnibus locis commeatus imperabantur, describebantur vecturæ, frumentumque, & pabulum (quod erat tamen perexiguum) comportabatur, nihil denique reliqui ad opus, patientiamque Ligures faciebant: Qui industrii homines, ac diligentes, quod plerumque in sterili agro evenit, multa duritie, improboque labore naturam vincere velle locorum videbantur. Nunciatur etiam Gagio discessisse a Mutina Lobcoviczius, cujus discessu futuros Austriacos ad insequendum tardiores videbat. Jamque tandem Philippus, & Galli parare iter dicebantur, & pons, qui demissis in flumine trabibus bipedalibus, & conjunctis inter se lintribus properabatur, pene erat perfectus. Itaque quum de hostibus, deque sociis ea, quæ optabat, audiret, & Genuensium copiis exercitum sublevari suum pos-

ſe non nequicquam ſperaret, exquiſito per Vinſonium itinere, non diu commorandum ſibi eſſe Gagius exiſtimavit.

Interim Lobcoviczius, quem ſupra demonſtravimus deluſum a Gagio fuiſſe, hoc incenſus ludibrio, quum bellum etiam faſtidiret, quod inopia ſupplementi, ac pecuniæ haud quaquam adminiſtrari ex ſententia poſſe videbat, relictis ad Mutinam caſtris, Mediolanum contendit. Et palam quidem evocari ſe illo Mediolanenſis provinciæ, cui præerat, procuratione neceſſaria dictitabat; clam vero cum Luca Pallavicino colloqui, eumque ſibi omnibus conciliare modis meditabatur. Hunc jam inde a principio belli Veliterni iratum ſibi æmulatione imperii, & opinionum diſſimilitudine, & quem Viennam tunc cogitare acceperat, exulcerato diſcedere animo nolebat. Ipſum eſſe cupidum rerum novarum, magni ingenii, magnæ etiam apud Reginam propter libertatem quandam ingenuam ſentiendi, & Taroccæ Comitis Luſitani gratiam auctoritatis cognoverat. Itaque diſſimulans quam poterat humaniſſime appellabat, eumque facilitate, obſequioque illicere ad benevolentiam conabatur. Non tamen facere potuit, quin Viennam ipſi proficiſceretur infenſus, ibique Italici belli incommoda omnia in unum conferri Lobcoviczium oportere diceret, cujus in imperio ſocordiam contemnerent hoſtes, acerbitatem horreſcerent milites. Quæ quum Pallavicinus vociferaretur, amici autem Lobcoviczii, ut plerumque fit in calamitate, ſilerent, quumque

ipſius

ipsius in bello infelicitas, non levissimum in Imperatore peccatum, admodum vulgo carperetur, Regina de successore deliberare instituit. Qua ille re cognita, provinciam bellumque reliquo deinceps tempore administravit ita, uti solent ii, qui successorem expectant.

Principe Lictestenio, qui Lobcoviczio succederet, delecto, exercitus, quoad ille veniret in castra, traditus Comiti Sculemburgio est.

Statim Sculemburgius per Apuanos montes equitum, ac peditum levis armaturæ partem mittit, qui Gagii iter cognoscant, infestumque excursionibus habeant: ipse cum omnibus copiis, quæ Germanicis nuper, & Sardiniensibus adauctæ subsidiis esse ad hominum millia xx. dicebantur, per agrum Parmensem, ac Placentinum iter fecit, castraque ad Novas, quod esse oppidum Genuensium diximus in Gallia Cisalpina, locavit: ut Genuenses quocunque animo essent, scirent Reginæ Ungariæ exercitum versari in finibus suis, & Sardiniæ Regem socium, atque amicum maxime conjunctum haberet, cujus consilio, atque opibus adjuvari se posse arbitrabatur: castra autem opportuno loco essent ad commeatus parandos, omnemque Cisalpinam late Galliam tuendam.

Properabat Gagius, ut quamprimum Macram traiiceret, ne in ipso trajectu occuparetur ab hostibus, quos Mutina profectos magnis Parmam versus itineribus contendere audierat. Itaque, ponte perfecto, signum datur profectionis. Quum subito aquæ magnitudine,

ac

ac rapiditate amnis, maximo noctu coorto imbri, pons interrumpitur. Erat enim prave institutus; propterea quod immissæ in alveo trabes bipedales, de quibus ante dictum est, non satis erant firmæ ad vim fluminis refringendam, quod præsertim proximo ex Apennino decurrens majori se se impetu incitaret. Quæ res quam dedit hostibus ad insequendum facultatem, nostris ad exercitum celerius transportandum ademit. Postridie ejus diei, qui fuit dies ad v. Non. Maj. noster transduci exercitus eo festinantius, atque ipsis urgentibus Imperatoribus, cœpit, quo constantior de adventu hostium fama perferebatur. Ratio, ordoque agminis erat ejusmodi. Præcedebant agmen equites, peditesque levis armaturæ, qui totius exercitus impedimentis, quæ in prima acie agebantur, præsidio erant. Inde in prima item acie peditatus, & equitatus ferme omnis progrediebatur, tum secunda acies ex legionariis tantum militibus confecta sequebatur, quam Reginæ Hispaniensis Manus, Regiique equites, & Pyrochitrophorum centuriæ aliquot claudebant. Multo denique die & nostri exercitus prima acies transierat, & Austriaci cernebantur, qui amplius octingenti, Gorano Duce impigro homine atque audace, præmissi a Sculemburgio, qui nostrum agmen lacesserent, ab Apuanis montibus descenderant. Nacti quædam propter amnem Macram ædificia, quorum muris defenderentur, subito nostros, qui citra flumen erant, adorti sunt illud spectantes, si eos ab reliquo abscissos exercitu prohibe-

be-

bere transitu, aut, ne pontem interrumperent, impedire possent. Id quum animadvertisset Comes Sevius Legatus, qui secundæ aciei præerat, quæ quidem acies angustià pontis, & dissensione militum diversarum nationum paulo tardius processerat, Gorano Pyrochitrophorum centurias octo opposuit, quæ virtute, ac perseverantia tantum profecere; ut hostium impetum substinerent, & quietiorem nostris transitum darent; ipsæ demum, multis illatis, & acceptis vulneribus, se se ad agmen reciperent. Imminebant nihilominus hostes, atque instabant acerrime; jamque pontem ingressi, qua noster erat traductus exercitus, sese quoque transituros minitabantur. Sed repulsi multitudine telorum, quæ ex dispositis in adversa ripa tormentis quatuor sine ulla intermissione traiiciebantur, temerario destiterunt incœpto. Relinquebatur, quoniam exercitus partem transeuntem prohibere non potuissent, ut pontem interscindi prohiberent, idque conabantur. Nam jaculis nostros submovebant creberrimis, nonnullosque subire ausos interfecerant, plurimos vulneraverant. Cunctantibus ea de causa nostris, languidiusque ad opus venientibus, unus de exercitu Neapolitano Signifer legionis Hibernicæ, quem postea Carolus Rex hujusce facinoris causa ab inferiori ordine ad Centuriatum traduxit, non suorum cæde, non periculi magnitudine deterritus, cum quatuor omnino militibus prorupit audacissime, & inspectantibus trans ripam hostibus, inter tela, jaculaque pontem reicidit. Quo facto, ipse

cum

cum suis se se ad exercitum incolumis adnando recepit. Ut quantum ad periculum adeundum audacia, tantum, quæ plerumque adjuvat audaciam, fortuna ad vitandum valuisse videretur. Traducto exercitu, Gagius, resciso ponte, atque hostibus repressis ante primam confectam vigiliam Spediam eodem die venit. Id oppidi nomen est. Hoc fere est in intima portus Lunensis parte positum. Hujus amplitudo portus, ac pulchritudo nulli non cognita naviganti est, qui duobus eminentibus promontoriis continetur, objectamque habet insulam, quæ illum ab effervescentis maris impetu, & quibusdam protegit ventis.

Postero die Gagius nuncios ad Philippum celeriter mittit, quibus regionibus esset, & quid militum secum haberet: negavit cum iis in Galliam erumpi Cisalpinam posse: orat, ut acceleret. Ipse præmissis ad hominum millibus iii., qui ad Segestam Tiguliorum aditus occuparent, ne qua fieret ab ea parte in difficillimo itinere irruptio hostium repentina, per illam Ligustici maris oram, quæ ad Orientem est, iter facere cœpit.

Erant, ut supra demonstratum est, loca aspera, & saltuosa, angustisque tramitibus, altissimoque in mare despectu horrida, & quod eas ad regiones pertinerent, in quibus hostes versabantur, valde infesta, ac suspiciosa. Erat præterea summa inopia pabuli & propter ipsius agri naturam, & quod angustius nostri pabulabantur, adeo ut pabulo mari supportato, hordeoque, & quacumque ratione poterant

to-

tolerare equos cogerentur. In his angustiis Gagius, quum prope Segestam Tiguliorum in ardua necessario substitisset convalle, & quacunque procederetur, iniqua, Josephum intuens Auriam, qui Imperatores nostros officii causa prosequebatur, non iis se certe locis commissurum fuisse dixit, nisi plane Genuensibus confideret: Tum Auria, recte inquit, Imperator, Genuensium te fidei commisisti, quibus jam uti sociis, atque amicis potes; secretoque illum de Genuensium cum Borboniis facto jam pridem in Hispania fœdere monuit: Tumque primum de fœdere isto Gagius cognovisse dicitur. Nam ante id tempus rumore potius quodam, cui servire Imperatorem non decet, percrebuerat, cum Borboniis consentire Genuenses, quam pro certo posset afferri. Hoc quidem nuncio, auxiliique Genuensis spe confirmatus reliquum conficere iter pergebat, eoque alacrior, quod multum de insequendi contentione ipsi jam hostes remiserant, qui satis habebant minoribus nos subsequi itineribus, & rari tantum, dispersique in summis procul jugis apparebant, ut nostrum observare iter, non demorari velle viderentur.

Atque hic non alienum videtur Genuensis belli causas a principio proponere, tum quod, cognitis causis, reliqua facilius intelliguntur, tum vero, quia res ea est, adeoque celebrata sermonibus, ac literis omnium gentium, ut scriptionem paulo diligentiorem, atque in parte operis proœmium quasi quoddam postulet. Nam bellum Genuense tanti momen-

ti

ti fuit, ut maximam non modo Italiæ, ſed omni etiam Europæ conſiliorum, atque rerum commutationem attulerit; tanta autem virtute geſtum ab ea Republica, quæ longâ deſes pace videbatur, ut vetuſtis Romanorum temporibus geſtum videatur; ſic a nobis porro integre, ſincereque narrabitur, ut non magis apud poſteros habiturum ſit propter rerum magnitudinem admirationis, quam fidei propter veritatem.

Belli cauſa Finarium fuit, opportuniſſimum ad Liguſticum mare oppidum. Carrettii generis homines antiquitus habuere. Genuenſes porro, qui ea tempeſtate Orientis opibus clari, ac potentes habebantur, oppidum a Carrettiis alias pretio, alias fœdere, aliquando etiam jure belli receperant, receptumque iis, quum terreſtre ipſi Imperium in Orientem diſtracti faſtidirent, imperatis certis rebus condonaverant. Perlongo deinceps intervallo graviſſimæ inter Finarienſes, & Alphonſum Carrettium Regulum controverſiæ obortæ ſunt, quum indignarentur illi avare ſibi ab Alphonſo, adeoque ſuperbe imperitari, ut ferendus non videretur. Hic contra Finarienſes inſanire diceret, qui rebellione facta ab Imperio, obſequioque diſcederent. Finarienſes Genuenſium, quorum in vetuſtiſſima clientela erant, opem implorant: Alphonſus Cæſarem adit, eumque orat, ut pro ſua, Imperiique Romani auctoritate ſeditionem comprimat. At illis omnibus jure inter ſe diu, multumque diſceptantibus, ſubito Gabriel Cueba, qui pro Rege Hiſpaniæ

Me-

Mediolanensem tunc provinciam obtinebat, coacta militum manu, Finarium armis occupat, idque propterea factum esse pronunciat, ne Galli Hispanorum eo tempore hostes per causam dissensionum ad oppidum obreperent. Cæsar Imperatoriam in eo Majestatem minui prædicabat; nec Genuenses, ad quos oppidum pertinebat, hac accepta injuria, Senatusconsultis, legationibusque sibi deerant. Sed quum Cæsari neque animi, neque virium satis esset ad jus suum persequendum; Genuenses autem querelas tantum jactarent nihil sine armis profuturas; iique essent in Italia rerum, atque temporum motus consequuti, ut Finariensem ab iis intermitti curam oporteret; Finarium ad Hispanos transiit, ab iisque ad Carolum Sextum Cæsarem, unus virilis sexus qui reliquus Austriacorum erat eorum, qui in Germania, & eorum, qui in Hispania ducentos ferme annos regnaverant. Huic grave, ac diuturnum cum Philippo Borbonio bellum fuit, propterea quod Hispaniæ, atque Italiæ Regna, quæ Caroli Secundi Austriaci fuissent, sibi Austriaco eripi iniquum putaret. Pax ita tandem convenit, ut Carolo Cæsari Italia, Philippo Hispania obveniret. Cæsarem interim quum maxima ex ejusmodi bello pecuniæ urgeret inopia; Pontifex Valentinus summus tum illi in consiliis capiendis auctor, vocat ad se Dominicum Spinulam Genuensis Reipublicæ Legatum, cum hoc agit: Si Cæsari Genuenses pecuniam dare, quæ sit quingenties HS., & acerba ipsum præterea molestia levare velint,

pro

pro ea pecunia, eoque beneficio Cæſarem Genuenſibus Finarium tantopere ab ipſis expetitum reſtituturum. Legatus ſtatim cupidius fortaſſe, quam oportebat, rem arripit, auri pondus Reipublicæ nomine pollicetur. Genuenſes, quanquam & pecunia immanis erat, & Legatus temere, inconſulto Senatu, rem tranſegiſſe videbatur, tamen, quoniam valde Reipublicæ intererat Finario potiri, reſpondent: Quod Legatus cum Cæſare de Finario egerit, id Senatum cenſere ratum, atque e Republica eſſe. Itaque præſens Cæſari pecunia adnumeratur. Finarium oppidum ad Genuenſes eo jure redit, ut ipſorum antiquitus Genuenſium fuerit, & Hiſpanorum eſſe Regum dicebatur, deque eo diſerte admodum in quadruplici fœdere per potentiſſimos Reges Genuenſibus cautum eſt. Eo tum ſtatu res erat, cum repente novus extitit Finarii captator Allobrogum Dux, nulla quidem cauſa, quæ afferri poſſet, ſed imperii proferendi cupiditate inductus. Horum familia Ducum belli ea quidem, paciſque artibus inſignis eſt, ſed ita inſtituta, ut pro animi magnitudine anguſtos ſe fines habere ſemper putet. Nam opimas Ciſalpinæ Galliæ regiones nacta fœderibus, bellis, & loci imprimis opportunitate, quod emittere in Italiam tranſalpinas nationes, & coercere una dicatur poſſe, uſque eo progreſſa eſt, ut regium ex Sardinia poſſeſſa nomen adepta Italiæ omni imminere videatur. Unum ei deeſſe ad opes confirmandas videtur paulo liberior, atque commodior ad mare aditus. Nam illa

illa omnis, quæ in ipsius ditione est, circa Oxibios ora, importuosa est, atque ipse Oxibiorum portus difficilis, & magnarum navium minime capax. Ea de causa insidiari Allobrogum Duces temporibus, insidiari finitimis, & potissimum Genuensibus, qui maritimi valde sunt, jampridem cœperant. Genuenses etsi in Italiæ faucibus collocati, plurimas ad bellum Italicum terra marique opportunitates habeant, nihilosecius quieti, & quæ omnium fere Italiæ Principum hoc tempore mens est, ut ne injuriis quidem exagitati ad arma descendant, imbelles, suis contenti finibus, sibi jamdiu vivere consueverant. Erexerat tamen illorum animos potius quam concitarat vicini nunquam non vigilantis magnitudo, atque assidua inter finitimos æmulatio. At Carolus Emanuel Sardiniæ Rex, quum a Majorum suorum virtute, atque institutis non degeneraret, acer, bellicosus, atque in omnem occasionem intentus, superiore jam Italico bello Carolo Cæsari societatem ostentaverat suam, & societatis præmium cum multa alia, tum Finarium imprimis flagitaverat. Grave id Cæsari, suaque fide, & majestate indignum visum est, itaque negatum. Ille ejusmodi irritatus offensione cum Gallis, atque Hispanis adversus Cæsarem conjurat. Bellum geritur. Sed pax repente consequuta non commodissima illi accidit. Nam quum Finarium speraret, omnem fere Cisalpinam Galliam teneret, ea dumtaxat parte contentus esse cogitur, quæ ad Novariensem, & Dertonensem agrum, Lan-

garumque regionem ſpectat. Avellit nihilominus a Genuenſium finibus Regium, Altum, Capraunam, partem etiam Bardineti, partem item Caroſii, quæ Genuenſium erat, ſibi vindicat, eaque omnia ad Langarum ſpectare regionem fidenter ſane confirmat. Sunt illi quidem pagi in montibus ignobiles, ſed erant Sardiniæ Regi ad ea perficienda, quæ jam tum adverſus Genuenſes meditabatur, maxime opportuni. Genuenſes ſuos eſſe dicere, nihil ad Langas pertinere, poſſeſſionis vetuſtatem, Imperii etiam Romani jus proponere, vim queri, obteſtari, legatos trans alpes uſque ad Cæſarem, atque in Galliam mittere. Non audiuntur. Vicit enim aut vis, ut fere ſemper, aut præſens utilitas, aut denique non ea cauſa ſatis digna viſa eſt, quæ pacem, & ſancitum jam fœdus convelleret. Mortuo Carolo Sexto Cæſare, bellum ſtatim inter Borbonios, atque Auſtriacos coortum eſt. Initio hujus belli Sardiniæ Rex, armatus quanquam eſſet, nullam ſe tamen in partem movebat, quietem ſe, atque Italicæ libertati conſulere dicebat velle; re autem vera expectabat, dum ſtatueret utrius partis eſſe mallet (nam ab utraque ingentibus pollicitationibus ſolicitabatur) eoque potiſſimum accederet, quo uberioribus præmiis invitaretur. Equiti Oſorio, quem Sardiniæ Rex legaverat jampridem ad Britanniæ Regem, multa intercedebat cum Joanne Carteretio neceſſitudo. Is magnæ inter Britannos auctoritatis, atque ipſius Britannorum Regis ſummus erat in imperio Admini-

minister. Carteretius, quum plane ex Britanniæ usu esse intelligeret, oportere Gallorum, qui perpetui Britannorum hostes sunt, nimias jam opes quam maxime infringi, atque imminui, Sardiniæ contra Regis augeri, & confirmari, ut ab ea Galliæ parte, quæ illi finitima, atque etiam infirmior est, distinere ipse per se, atque adoriri Gallos posset; Equiti Osorio, per eumque Sardiniæ Regi persuadere omnibus modis conabatur, ut cum Britannis, atque Austriacis adversus Gallos, Borboniosque omnes consentiret. Homo solertissimus Osorius, & qui Regis sui mentem probe nosset, quasi recusaret quod vehementer optabat, Regem in eo suum excusare impense cœpit, quod adversariorum potentiam, & belli exitus incertissimos vereretur: non iis illum esse divitiis, non viribus, ut Borbonios, qui valentissimi modo sint, irritare in se aut debeat, aut omnino possit: Austriacos tot in Germania detrimentis acceptis jacere: nolle illum, quod stultissimum est, alienam rem suo periculo curare. Sin autem insperata rerum commutatione, quod plerumque in bello evenit, & sociorum auxiliis sese Austriaci erexerint, ac superiores fuerint, tum vero illud verendum esse, ne non sibi potius Austriaci victores, quam sociis consulant, atque his belli onus, sibi victoriæ usum reservent. Contra hæc Carteretius, omnia Sardiniæ Regi parata a Britannis esse demonstrat, arma, viros, pecuniam, magna mari auxilia, magnos commeatus, quibus copiis, atque opibus non esse

cur Borbonios hostes, atque incerta præliorum tantopere Rex perhorresceret: errare illum vehementer, si consilium sibi capere separatim posse speret; evocato in Italiam, quod, Austriacorum potentia imminuta, accidere necesse est, Philippo altero Hispaniarum Regis filio, ecquem Austriacis, ecquem ipsi tandem in Italia locum esse putet? Eandem utrisque caussam esse, eandem fore fortunam; multo etiam ipsi graviorem subeundam esse, si Borbonii vicerint, quem eorum undique viribus circumclusum, & fructuosissimis Cisalpinæ Galliæ regionibus mulctatum in avitis alpium jugis regnare precario vix patiantur: denique proponeret ipse societatis conditiones, & quæ ab Austriacis postularet, interpositâ Britannorum Regis fide, habere certe confideret. Hæc acta in Britannia, eademque Regi Sardiniæ nunciata in Italiam celeriter sunt. Et secundum ea multæ illum res hortabantur, quare sibi societatem cum Austriacis faciendam putaret: imprimis, quod Borbonios consuescere paulatim in Italiam cum exercitibus transire sibi esse periculosum videbat: modo Carolum, nunc Philippum, neque sibi homines magnis imperiis, regnisque assuetos obtemperaturos existimabat, quin aliqua Italiæ provincia recepta, ut paucis antea annis Carolus Rex Neapolis fecisset, subito ad majora contenderent. Suis autem rationibus magis conducere arbitrabatur Austriacorum humilitatem, quam florentem Borbonium statum; propterea quod Austriaci,

&

& ſtare, ut miſeri, conditionibus neceſſario coguntur (rejecti enim ab ſe, quo in Italia confugient ?) & quæ daturos receperint, reapſe dare extemplo poſſint. At illi alteri potentiores, & fidei facile ſuæ obliviſcentur, & libertatem prius eripiunt, quam promiſſa exſolvant. Poſtremo metuendum ſe Auſtriacis eſſe poſſe, quum metuere Borbonios certe debeat: imperii etiam, commerciique ad mare proferendi viam oſtendi, quod a Gallis Narbonenſibus, atque a Genuenſibus averſum traduci ad ſe incredibili utilitate queat. Ipſa autem Britannorum ſocietas, atque amicitia peropportuna videbatur, quod maxime nummati homines & mari potentiſſimi eſſent, adeo ut bellum & eorum pecunia tolerari, & perfici etiam poſſit. His de cauſis placuit ei, ut literas ad Legatum ſuum in Britanniam mitteret : ſi citerioris Galliæ partem aliquam Auſtriaci ſibi extemplo dent, uti vanis promiſſis non ſe duci intelligat, & ſi Finarium Genuenſium oppidum attribui ſibi, aliqua interpoſita cauſa, velint; item ſi triginta hominum millia a pacto ſtatim fœdere in Italiam mittere ſibi, Italiæque ſubſidio polliceantur, fœdus ſe ſe cum iis facturum eſſe, eoſdemque & amicos, & hoſtes habiturum, quos ipſi habeant.

Poſtulata Regis Sardiniæ quam maturrime in Germaniam ad Reginam Ungariæ perferenda curavit Britanniæ Rex cum literis, quæ illam ſerio monerent, conditiones ne reſpueret: ſuis rebus aliter conſuli non poſſe.

Regina imponi sibi a sociis duriora querebatur, quam pene possent ab hostibus imperari, si victa discessisset. Finarium porro, quod Genuenses a Carolo Patre suo grandi numerata pecunia coemerint, eamque ipsa emptionem jure jurando firmaverit, Regi Sardiniæ condonare turpissimum sibi, minimeque consentaneum esse demonstrabat. Qui enim convenire, ut ejus fidem ipsa convelleret, pro cujus hæreditate Patris bellum acerrimum susciperet? Præterea quum tot hostes circumstent, atque immineant, non prudentissime fieri dicebat, uti Genuenses ultro, ac sine certa quadam causa commoveantur. Negabat Britanniæ Rex, grave Reginæ videri debere exigua unius provinciæ parte redimere amicitiam ejus Regis, quo freta & erepta in Italia recuperare speret, & reliqua omnia obtinere: neque fidei tam severe habendam esse rationem docebat, quum de regno, atque incolumitate agatur: Genuenses vero quid vereretur? Ignavos homines, timidos, neque in bellis gerendis, sed in mercaturis faciendis exercitatos, qui neque vires ad nocendum habeant, &, si attulerint, facili negotio coerceri, & proteri etiam possint. Tandem Regina vel Britannorum fatigata literis, penes quos & consilii, & virium erat auctoritas; vel suo etiam periculo admonita, ne Sardiniæ Rex ad hostes suos repudiatus delaberetur, cum eo societatem & Britannorum item Rege inire constituit. Itaque duorum Regum, & Reginæ Legati, Osorius rei fere omnis auctor præcipuus, & concitator

Car-

Carteretius, & Ignatius Vasnerius Vormaciam conveniunt. Ipse adest Britannorum Rex. Sancitur fœdus: quo ex fœdere consilia, vires, arma, pecuniam conferre, bellum terra, marique gerere, in eoque perseverare universi tenerentur, quoad omni Borbonii Italia pellerentur: triginta equitum, peditumque millia Regina Ungariæ, xlv. millia Sardiniæ Rex confecta, parataque in Italia haberent: Britanni præter trecenties HS. quod singulis annis Sardiniæ Regi in belli sumptum darent, cum valida, instructaque bellicarum Navium classe infero mari navigarent, ut essent Italiæ littoribus præsidio adversus hostes: quæ pars citerioris Galliæ cis Ticinum, atque intra Nuram amnes est, & nominatim Placentia, atque Bobium Urbes, quæque a Nuræ amnis fonte prope Genuensium fines ad lacum usque Verbanum, atque Helvetiorum pagos pertingit, exceptis insulis, quæ sunt contra Ticinum Urbem, ea omnis Sardiniæ Regi extemplo cederet; Finarii item recipiendi jus eidem potestasque esset: quæ bello Regna, quæve provinciæ receptæ in Italia essent, eas sibi Ungariæ Regina haberet; Britannis omnes Italiæ portus commercio paterent, iisque, ubi eis videretur, emporium aliquod constitueretur.

His de rebus quanquam secreto apud Vormaciam actis, atque constitutis primi in Italia Genuenses certiores facti sunt diligentia, ac literis Joannis Francisci Pallavicini; qui Reipublicæ Legatus Britannorum Regis salutandi causa Vormaciam venerat.

Hoc loco non abhorret a proposito ea scribere, quæ de Genuensibus quum ego quærerem, sic reperiebam: Homines esse navos, atque industrios; optimis legibus, libertate indomita; habere Urbem arte naturaque munitam, & mari, terraque opportunam: maximas ex eo divitias atque opes quæsisse: Profligatis olim Pisanis, attritis Venetis, magnum foris nomen, marique imperium obtinuisse; domi factionibus, proscriptionibus, cædibus, omnique seditionis genere laborasse: eam ob rem factum esse, ut angustis terra finibus uterentur: non prius conquievisse, quam ante annis CLXXVI. magnorum Principum legatis arbitris convenirent, eamque, quæ nunc est, Rempublicam constituerent: Nobilitas regnaret, plebs nullo numero esset. Nobiles ii dicerentur omnes, quibus in Concilium Majus aditus pateret: Concilia duo Civitatis essent; Majus, Minusque vocarentur: legum condendarum, vectigalium imponendorum, & nonnullorum Magistratuum creandorum Majori potestas esset: de pace, ac bello, deque omni Reipublicæ statu Minus, adhibito Senatu, decerneret: summa esset Senatus auctoritas: penes ipsum, & Ducem, quo nomine civitatis Principem appellant, qui regnum obtinet biennium, totius imperii species, ac dignitas esset: nemini præter Ducem cum Senatu, Conciliisque agendi fas esset. Dux igitur pro more, institutoque Reipublicæ ex literis Joannis Francisci Pallavicini ad Senatum, Minusque Concilium retulit. Patres, hoc accepto nuncio, varie affi-

afficiebantur. Erant præferocis ingenii aliqui, qui bellum ſtatim, arma, legiones, caſtra denunciarent, Borbonios ſocios accerſerent, quorum opibus Sardiniæ Regem deprimerent, Auſtriacos coercerent. Imperiorum etiam in bello, & gloriæ cupiditate, ac ſpe incitabantur. Plerique natura, uſuve rerum tardiores, ſeque, & Rempublicam circumſpicientes a conſiliis fortibus refugiebant: belli caſus, ærarii damna, tributi nomen liberis præſertim civitatibus grave, mare infeſtum, hoſtem finitimum, ſocios longinquos cogitabant, atque etiam hos ipſos ſuſpectos habebant, & componi rem, aut mitigari poſſe ſperabant. Nec deerant, qui dolerent potius Reginæ fortunam, quam inſectarentur iniquitatem, & miſeram dicerent, quæ hoſtibus æque, atque amicis prædæ loco eſſet, ſuaque, & aliena diſtrahere cogeretur.

In tanta animorum varietate unum modo placuit dari negotium tribus prudentiſſimis viris, Paulo Hieronymo Pallavicino, Joanni Baptiſtæ Grimaldo, Jacobo Laumellino, qui rem Finarienſem, præſentemque temporum ſtatum etiam atque etiam conſiderarent, & de eo quid eis videretur, ita ut e Republica, fideque ſua cenſerent, Patribus renunciarent. Ubi tota inter ipſos agitata res, & conſiderata eſt, eorum unus proceſſit, atque ejuſmodi in Minori Concilio ſententiam dixit: Arduam eſſe rem, multoque graviorem, quam quiſquam exiſtimare queat: imminere acerrimum Regem, potentem, armatum, & de Finitimorum

rum

rum pernicie dies, atque noctes cogitantem: haberi ludibrio Reipublicæ conditionem, ad cujus oppida, nulla injuria commemorata, nullis repetitis rebus, tanquam alicujus projecti cadaveris spolia diripienda, vicini advolent: non Finarium (quod gravissimum tamen esset) sed per Finarium omnem oram maritimam, ipsam peti Urbem, quæ si mare, & peregrinarum usum mercium amiserit, quod amisso Finario accidere est necesse, egestati, ac solitudini addiceretur. Asperum esse, triste, durum spoliari, despici; verum & illud imprimis providendum esse, ne præsenti malo gravioribus malis remedia adhibeantur: multa quidem in utramque partem cogitantibus occurrere, quæ animum ita distrahant, ut ubi possit consistere, dijudicari vix possit: nam & in tanta Reipublicæ calamitate, tantaque contumelia sedentem convivere flagitiosum; & in varios belli eventus demittere sese paratioribus animis, quam viribus stultum esse, atque a Patrum gravitate, & constantia utrumque abhorrere. Unum esse in præsentia, quod tutum ad omnes casus consilium videatur, si ignavia omni, & cunctatione abjecta, excitetur pristina Genuensium virtus, si pecunia cogatur, scribantur milites, oppida, & Finarium imprimis muniantur. Ita, si bellum placet, non posse Genuenses, ut quibus vires adsint, ab amicis repudiari, non contemni ab hostibus; sin quies, & neutram in partem inclinatio probatur, fieri tum facile posse, quum utrique formidolosi, aut certe non lacessendi videa-

deamur, ut Reipublicæ dignitatem, & ſtatum incolumem conſervemus. Otioſis vero, atque inermibus quidnam aliud proponi, niſi aut inopem ſervitutem, aut calamitoſum interitum? Patres, his auditis, frequentes decreverunt, ut milites quamprimum conſcriberentur, atque augerentur, decem ut ſint hominum millia; rei militaris periti duces evocarentur, Finarium, ceteræque in finibus Reipublicæ arces communitiores, atque inſtructiores terra, marique fierent; item majoribus lex comitiis ferretur, qua lege ſexcenties HS. Finarii defendendi cauſa corrogetur; itemque legatis Reipublicæ ſcriberetur, uti Regem, Principemve, ad quem quiſque eorum legatus ſit, conveniant, cauſam Reipublicæ doceant, quo quiſque animo Rex, Princepſve in Rempublicam ſit, Senatui confeſtim reſcribant. Interea Patribus placere parem Auſtriacis, Borboniiſque voluntatem oſtendi, & neutros eorum contra alteros juvari.

Hæc dum a Genuenſibus magna cura, & diligentia aguntur, Sardiniæ Rex, qui omnia attente ſpeculabatur, ſuſpicari tum primum cœpit, Genuenſes non patienter, neque remiſſe Vormacienſis fœderis injuriam laturos; itaque ut majus aliquod iis nomen opponeret, quo a belli apparatu deterrerentur, cum Rege Britannorum agit, uti Rovelejo Britannicæ claſſis ad mare inferum Præfecto ſcribat: aliquem ex iis, qui navibus præſunt, ad Senatum Genuenſem mittat, ex eoque prope minaciter cauſam percunctetur armorum. Rove-

velejus, acceptis mandatis, Navarcum ire Genuam jubet: qui ſtatim aphracto in portum ex alto invectus Ducem, Senatumque adit; & Regem mirari ſuum vehementer dicit, quid cauſæ Genuenſibus ſit, quare quum ab omni contentione abeſſe teſtati toties fuerint, bellum repente parent; poſtulare, uti ſibi, quæ Reipublicæ opes, quantus ſit exercitus, accurate indicent: non debere eum pati, qui Italiam ab hoſtibus defendendam ſuſceperit, novus ut in Italia tumultus excitetur. Ei orationi Dux reſpondit: Non tumultus, neque maleficii cauſa exercitum Genuenſes conſcribere, ſed ut ſe tantum muniant; adeoque delectus ab iis intermitti nolle, ut angantur potius, quod pro rei, & temporis gravitate non ſatis fortaſſis magnam manum cogere queant; quum præſertim jura omnia permiſceri nefario bello videant: neque Italiæ quietem magis ad Britannos ultra Gaditanum fretum ſubmotos, quam ad Genuenſes pertinere, qui & Rempublicam in Italia obtineant, & non poſtremi Italorum ſint. Cæterum ab eo, quod inſtituerit, Rempublicam non receſſuram, ut mediam ſe Italico bello profiteatur. Cujus rei teſtes ipſos haberet Britannos, quibus a principio hujus belli Reipublicæ portus, littoraque omnia, omniumque ex iis rerum uſus ſemper, tamque liberaliter patuerint, ut ſatis conſtet majorem in eo Genuenſes fidei, quam commodi rationem habuiſſe. Navarcus, hoc accepto reſponſo, diſceſſit.

Sub

Sub idem fere tempus Legatorum literæ venerant, quæ adversa omnia Genuensibus, infestaque apud Austriacos nunciabant. Nam & Regina Ungariæ vicem Reipublicæ multa, atque inani miseratione quum prosequeretur, sua sibi tamen propiora pericula esse, quam aliena loquebatur: & Britanniæ Rex speciosum Italicæ libertatis nomen prætendebat, cui remittere aliquid Genuenses de suis rebus non iniquum putabat. Sardiniæ autem Rex, non esse, cur se Genuenses interpellarent, stomachans fastidiose dicebat: irent Londinum, ibique Britanniæ Regi causam probarent suam. Soli ex omnibus Borbonii Reges animo esse in Rempublicam singulari dicebantur. Nam probe intelligebant, plurimum ad res suas pertinere eorum hominum amicitiam, quorum esset urbs ad exercitus in Italiam transportandos, instruendos, omnique re juvandos opportunissima, atque id Hispani præcipue sentiebant, quum reminiscerentur, quatuordecim sibi naves onerarias tormentis, & commeatibus refertas non ita pridem disperiisse, propterea quod Genuenses, in quorum eæ portum refugerant, quique ob eam rem veluti Borboniarum studiosi partium a Britannis insimulabantur, ut omnis seu controversiæ, seu calumniæ causa tolleretur, illas in Corsicam seponendas censuerant, præsidiis additis, ne amoverentur, nisi bello perfecto. Itaque quum Rempublicam ad arma, suamque deducere societatem studerent, Vormaciensis fœderis iniquitatem durius etiam interpretabantur,

tur, incitabant, offerebant se, &, si sibi ipsa non desit, non se Reipublicæ defuturos pollicebantur.

At Genuæ Patres, cognita Regum voluntate, hærebant nihilominus in dies magis, remque multos jam menses extraxerant non tam gravitate negotii, quo quidem permovebantur, quam rerum publicarum consuetudine quadam, quæ cunctabundæ omnes videntur, maximeque Genuensis, in qua & lentius omnia, diligentiusque perpenduntur, & eo sunt homines ad decernendum tardiores, quo plures ad deliberandum consentire debent. Lege enim cautum apud Genuenses est, ne quid in Minori Concilio gravioribus præsertim de rebus referatur, quod non Senatus antea probaverit, neu die una eademque referatur, atque statuatur, neu denique ratum, firmumque sit, ni id, cum CC. adsunt, CLX. suffragiis latis approbarint. Accedit ad hæc ingenium hominum subtile, atque in æstimandis rerum momentis paulo morosius, tum illa, de qua supra dictum est, animorum studiorumque varietas; ipsa denique Oratorum altercatio, qua fiebat, ut distinerentur in judicando Patrum animi, atque afferrent ancipitem curam cogitandi. Qui enim ocium summe videbantur cupere, omnem belli societatem aspernabantur, quietem Reipublicæ utilem esse demonstrabant: impedito enim ubique fere commercio, dissentientibus inter se nationibus, Genuensium autem portus quum omnibus æque pateant, omnes omnium ad eos pe-

cunias

cunias perventuras dicebant. At quæ bello damna? quas clades? Ærarium Corsico bello exhaustum nullum esse: Tributum homines horrere: præterea periculosum esse magnorum Principum inimicitiis, & societatibus immisceri: semper id infirmioribus civitatibus fuisse fatale: hoc Senensem, hoc Florentinam Rempublicam casu corruisse: quibus vero sociis fidendum Genuensibus esse? Gallisne? qui amicos, ac necessarios suos in medio rerum impetu, proximo hoc Italico bello deseruerint, quum prospera omnia cederent, adeo ut, aut sibi cupidius consuluisse, aut invidisse illis Italiæ possessionem videantur? an Hispanis? an Neapolitanis? quorum utrique & per se minus valent, & fortunam potius, & Gallos, quam fidem sequentur? sperare his copiis, atque auxiliis Germanicarum legionum robur, Britannici auri vim, Sardiniensis consilii solertiam posse vincere, audacis esse, nimiumque confidentis; præsertim quum auxilia procul absint, hostes autem in finibus hæreant, & mari, terraque ipsam suffocare Urbem statim possint. Non certe Finarium tanti esse, ut fortunæ omnium una cum patriæ libertate in apertum discrimen proiiciantur: caruisse eo oppido per multos annos Rempublicam; num aut divitem minus, aut potentem fuisse? fecisse majores hac ipsa in re sapienter, qui Finarii potius jacturam, quam totius Reipublicæ naufragium facere decreverint: non esse adeo graviter inimicis irascendum, ne, quum illis nocere in animo sit, sibi noceatur: po-

poſtremo ſatis compertum videri Vormacienſi fœdere non eſſe contentos Auſtriacos ipſos: accidere profectò poſſe multis de cauſis, vel ſimulatæ ad tempus amicitiæ, vel majoris commodi, vel calamitatis repentinæ alicujus etiam communium temporum, & fortunæ motus, ut Finarium nullo periculo, viribus integris, inſperato retineatur. Hæc quum avidè arriperent, & ii, qui parum, & ii qui nimium timebant, quum approbarent divites, non reprehenderent prudentes, quibus ferociora omnia ſuſpecta ſunt, & quum contra etiam permulta occurrerent, quare turpis quies, aut periculoſa videretur; deliberandi tædium quoddam in Patrum animos irrepſerat, ut ſpe, metuque ſuſpenſi bellum pariter, pacemque faſtidirent. Ibi tum aliquis, qui magnæ habebatur auctoritatis, & eloquentiæ: Patres conſcriptos primum orat, atque obteſtatur, ut moram omnem abiiciant Reipublicæ pernicioſam, quæ eventum belli expectando præda eſſet ſine gratià futura victoris; non ſe deinde pacis commoda, non belli caſus ignorare dicit, eaque eſſe ætate, iiſque fortunis, ut conquieſcere res, quam perturbari malit: debere tamen ſe Patriæ magis laborantis aſpectu, quam harum omnium rerum cura commoveri: tum acerbitatem, atque odium Britannorum queritur, qui quum eos portu, & commeatu Genuenſes ſemper juverint, tam inimico in Rempublicam animo ſint, fuerintque jam tum, cum latronem Theodorum regiis devectum navibus, & publicis Carteretii literis commendatum in

Cor-

Corsicam summiserint: iniquitatem Austriacorum docet, quos suum nomen, suasque vires ad perniciem hominum optime de se meritorum contra fidem commodare non pudeat: Sardiniæ Regis fraudem in surripiendis quinque superiore Italico bello oppidis prædicat, injuriam & cupiditatem in occupando Finario ultimum ex ea re, præsentemque Reipublicæ casum impendere, commemorat. Si enim, inquit, Sardiniæ Rex fines nostros, quos Placentia, Bobioque urbibus ex fœdere acquisitis devinctos, atque obvallatos jam tenet, acerbissimis portoriis infestos terra habere, ut nihil invehere, nihil exportare liceat; si in Finariensi littore portum extruere, quem dimensum jam animo atque exædificatum habere dicunt, amplum, optimum, atque huic nostro non tutissimo opponere cœperit: quid vos Genuæ futurum putatis? Finibus tam angustis? regionibus tam asperis? deperditis vectigalibus, omni terrestrium, ac maritimarum rerum usu sublato? an non fœdissima quæque, Finario amisso, metuenda sunt? aut finitimum hostem facili præda pacatiorem? aut denique patientia aliquid profici posse speramus? Caruimus eo certe oppido per multos annos, sed ita, ut eam jacturam nunquam æquis animis tulerimus. Quod si vis, si tempus dissimulandi nobis necessitatem aliquando imposuit; etiam ne eripi nunc Finarium, atque abstrahi e sinu Reipublicæ otiosi patiemur? quum nostrum, quod erat vetustissimo jure, præsenti pecunia emerimus, tantique emerimus,

quanti venditor voluit, egens, sumptuosus? atqui Finarium jam Principes habuerunt, aut ita humiles, ut a nobis negligerentur, aut ita magni, ut ipsi oppidum negligerent: Regi vero Sardiniæ tam florenti, tam cupido, & cui ad suam cupiditatem parum semper, ad nostram perniciem nimium jam potentiæ est, Finarium concedere, quid aliud est, quam arma ad Reipublicæ internecionem largiri? quo ille Finario, tanquam aggere utatur ad Imperio nos maritimo usuque exturbandos, totosque adeo evertendos? patientia autem, qua ad omnes jam calamitates, atque indignitates obduruimus, quid tandem proficimus? nisi ut leviora perpessis graviora imponantur? Et hercule solet is facile accipere injurias, qui segniter fert. Pudet dicere, P. C., eo abjectionis atque humilitatis devenimus, ut in nos, qui armatis quondam Regibus restitimus, palam, atque impune, pauci montani homines, & nescio quis Theodorus nequissimus insultare non dubitent. Nunquam ne ad recuperandam dignitatem ingenuo dolore excitabimur? quum potissimum dignitas una cum salute Reipublicæ conjuncta sit? quid ergo consilii est? eadem nos re ulcisci, qua sumus lacessiti; vim repellere vi; conspirationi Austriacorum, Borboniorum opponere societatem. Nam mediis nobis ac quiescentibus postulare, ut ex aliorum dissensione augeantur opes nostræ, ridiculum est. Quid enim vos Britannos, qui hoc vix portu abstinuerunt, mercatoriis in mari navibus facturos putatis? quum ex Hispa-

ſpaniis, atque Galliis, quibus in provinciis cives noſtri magna, & ampla negotia habent, onuſtæ mercibus redierint? eas tanquam hoſtile, aut hoſtilia portantes illi certe excutient, diripient; nos autem infeſtiore pene pace, quam bello utemur. Quod ſi bellum tantopere formidatis, quo bello commercium labefactari dicitis; cur non quietem perhorreſcitis, quæ illud omnino delet? At etiam fortunam ut expectemus, ſuadent: quo majorem, credo, opprimendi poteſtatem habeat: namque imparatos, atque inertes averſari maxime dicitur. Quæ porro prudentia eſt fortunæ credere, quum uti conſilio poſſis? aut cæca malle expectatione pendere, quam explorata ratione ſubſidium comparare ſalutis? At ærarium exhauſtum eſt, tributi nomen grave. Cupio videre, qui pecuniam ad conſervandam Rempublicam conferre dubitet quum eam ipſam pecuniam, niſi ſalva Republica, retinere non poſſit. Præterea ſocietas Borboniorum cum ad multa alia, tum ad illud opportuna eſt, quod eorum pecunia exercitum alere poſſumus, quem conſcripſimus. At cavere ab amicis ipſis debemus, ne deſeramur. Nulla, P. C., firmior amicitia eſt, quam quæ magno amicis uſui eſſe poteſt. Id ſi Senenſes, ſi Florentini vidiſſent, nunquam freti amicitiis nulla utilitate quæſitis, valentiſſimorum inimicitias ſoli ſuſcepiſſent, nunquam fortaſſis concidiſſent. Nam quid huic noſtræ ſimile amicitiæ eſt? Nonne Gallorum vel maxime intereſt habere in Italia apud nos aditum? præſertim ſi Rex

Sardiniæ munitiſſimis arte, naturaque locis confiſus prohibeat? non Hiſpanis ſexennium jam fere inter Allobroges vagantibus noſtras nos ſocietate Italiam reſeramus? Non a Neapolitanis Auſtriacorum metum, atque impetum avertimus? Cur hos tam temere quiſquam, & magno cum ſuarum rerum detrimento a fide diſceſſuros judicet? nam de copiis, atque opibus eorum nemini omnium rectius credideris, quam Auſtriacis ipſis, qui fugam jam, audito Borboniorum adventu, & præſidiorum latebras circumſpicere videntur. An vero in Italia pulſum fugere Lobcoviczium non audiſtis? Ardere Pruſiaco bello Germaniam? expugnari Belgium? retineri domeſticis diſſenſionibus Britanniæ Regem? furere Scotos? timere Batavos? Ipſe autem Sardiniæ Rex, quem maxime gravem, atque aſſiduum hoſtem habemus, non ſuis certe viribus, quæ mediocres ſunt, non pecunia, qua eget, ſed auxiliis ſociorum, & noſtro imprimis ocio invaleſcit. Nunc, ſi a ſociis, quibus ſuſpectus eſt, quibuſque confidere multum non poteſt, deſeratur; ſi noſtris nos periculis non indormire ſentiat, invaſurum ne aliena, an ſuis diffiſurum eſſe exiſtimatis? quum præſertim recordetur, ſe puerum profugum, atque ejectum in iis ſedibus quæſiſſe perfugium, quibus nunc mortiferum inferre bellum meditatur. Adverſus hoſtes tam infirmos, ſociis tam valentibus, eademque nobiſcum cauſa conjunctis, dubitamus, P. C., dijudicata jam fere belli fortuna, eo progredi,

quo,

quo, incerta etiam victoria, descendere oporteret? quid tu igitur hostes contemnis, a quibus tantam Reipublicæ perniciem comparari dicis? Ego vero, P. C., neque ita contemnendos puto, ut negligantur, neque ita metuendos, ut desperemus; eoque validiora adhibenda esse remedia censeo, quo vehementius ingruit malum: nisi si quis est, qui perire turpiter, quam servari fortiter malit. Illud vos ad extremum pro meo summo in patriam amore, proque tanti discriminis magnitudine moneo, ut etiam, atque etiam prospiciatis, ne magnorum Regum amicitiam tanta in re invitatos refugisse aliquando pœniteat. Finarii causa ejusmodi est, ut in ea dignitas, salus præterea universæ Reipublicæ contineatur. Nihil est medium, P. C., aut Finarium quovis bello, societate, periculo etiam, & jactura retinendum est, aut hosti parendum superbissimo, aut denique hæc Urbs pulcherrima, hæc Patria omnium nostrum in vastitate, atque in solitudine relinquenda. Hac oratione commoti Patres, impendentique Reipublicæ clade deterriti, simul freti fortuna, quæ Borboniorum velificari votis videbatur, famaque copiarum, quæ in Hispania, quæ in Gallia parari ingentes dicebantur, societatem, sui muniendi causa, cum Borboniis inire decreverunt: ex eoque decreto, &, nequis rem enunciaret, jure jurando sancitum est (poterat enim intempestive enunciata res perturbari) & quibus conditionibus confieri societatem placeret, Hieronymo Gri-

maldo scriptum est. Is erat Reipublicæ ad Hispaniarum Regem Legatus.

Villa est Regis Hispani ad Tagum amnem in Aranguesiano venationum frequentia, & aquarum amœnitate nobilis. Ibi quum esset Rex animi causa, Legati Borboniorum Regum, & Hieronymus Grimaldus, de quo dictum est, inter se colloquuntur. Vormaciense fœdus Aranguesiano esse fœdere infirmandum. Itaque rebus agitatis, conditiones quum convenissent, fœdus ictum est. Conditionum hæc erat summa: Borboniorum exercitus, classes commeatu, portu, Respublica Genuensis terra, marique juvet: Iis auxilio decem hominum millia ornata, instructaque cum xxxvi. bellicis tormentis subministret: Ne prius subministret, quam Borboniorum exercitus conjuncti sint, quamque ultra montes fuerint, qui agrum Genuensem Septentrionem versus a Gallia Cisalpina dividunt, & Ligusticæ fauces appellantur: Reipublicæ Genuensis oppida, agros, fines Borbonii Reges tutentur: Philippo Hispani Regis Filio Regnum in Italia uti constituatur, omnes communiter armis, opibus curent. Hispaniæ Rex Reipublicæ Genuensi, quamdiu bellum in Italia erit, duodecies HS. in singulos menses det: Lavinium, Cenopha, Monsgrotius, Pares oppida, eorumque oppidorum agri, quo jure a Philippo Vicecomite Mediolanensium Duce antiquitus Genuenses receperant; item Serravallis oppidum, arx, ager, quo item jure paucis ante annis a Comite Leonardo Auria acceperant, eo omnia jure Genuen-

nuenſium ſint. Reges erga Genuenſes eodem, quo erga ſuos, animo ſint, caveantque, nequa Genuenſibus in vectigalibus, terra, marique exercendis fraus, nequa injuria ab Hiſpanis, Gallis, Neapolitaniſque naviculariis, & Mercatoribus facta ſit.

Jam Gagius Genuam pervenerat, præterque mœnia Urbis quum pertranſire cœpiſſet exercitus, portas occluſerant Genuenſes, & popularium exitus, militumque diligenter coercebant introitum, nequa aut illorum inſcitia, aut horum licentia, parviſque, ut ſæpe fit, cauſis; magna fieret rerum commutatio, neu quam etiam ſuſceperant a principio belli perſonam, ut medii eſſent, & adhuc tuebantur, intempeſtive deponerent. Ac tametſi Gagius, qui ad Langenſes (Porciferæ hic eſt Pagus valli) idoneo loco caſtra poſuerat, magnopere eos adhortabatur, ut auxilia ſibi mitterent; alia ratione ſe non eſſe ad hoſtes iturum, quos numero, & loco ſuperiores eſſe intelligeret; tamen in eo perſeverandum Genuenſes putabant, ut ne prius mitterent, quam noſter eſſet exercitus ultra eos montes profectus, qui Liguriam a Gallia Ciſalpina dividunt, & Liguſticæ, ut dictum ſupra eſt, fauces appellantur: idque ipſum in Arangueſiano fœdere adſcribendum, eaque de cauſa curaverant, quod verebantur, ne patefacta ante id tempus ſocietate, ſtatim in finibus ſuis Auſtriacos hoſtes haberent, id quod Reipublicæ detrimentoſum eſſe exiſtimabant. Simul deſcendere aperte, palamque in partes auxiliis

missis nolebant, nisi prius exploratis quantum poterant rebus, quarum prope certus videri tum poterat exitus, atque adeo ostendendæ amicitiæ tempus opportunius, quum tribus magnis Philippi, Gallorum, & Gagii exercitibus conjunctis in Galliam Borbonii Cisalpinam irrupissent: ipsi autem adversus vastitatem, cæterasque belli clades, & Liguslicarum faucium angustiis, & tantorum exercituum conjunctione tutiores essent.

At Gagius neque sine Genuensium auxiliis Ligusticas superari posse fauces dicebat, neque ducis considerati esse judicabat, eos relinquere post se non aperte socios, a quibus omnia fere ad bellum necessaria expectanda essent, & quorum auxiliares copias tamquam obsides habere posset perpetuæ ipsorum erga Borbonios voluntatis.

Interim Philippus Gagio ad duo millia Draconum, & provincialium Hispanorum Pyrochitrophorum cohortes summa virtute, quibus Augustinus Ahumada præerat, auxilio misit; item Patris, Socerique nomine Marchionem Chetardiensem Gallum, & O-Walium Hibernum, qui apud se in exercitu erant, Legatos Genuam misit: quorum alter Sarmatica erat legatione notus; alter, ut postea, confecto bello, cognitum est, conciliandæ pacis auctor præcipuus fuit, cum post incommodam plures Genuæ menses simulatam valetudinem, mutandi, ut dictitabat, cæli causa, in Britanniam profectus est. Hi igitur in Senatum introducti, Galliarum se se, atque Hispa-

ſpaniarum Regum nomine, quorum inſignis ſemper fuiſſet, & præcipua tunc eſſet erga Rempublicam benevolentia, & fides, veniſſe oratum dixerunt, ut auxilia Genuenſes Gagio ſubmitterent, quæ niſi ſtatim ſubmittantur, non poſſe Hiſpanos, Neapolitanoſque omnino progredi, & futurum fortaſſe, ut ad nihilum incredibilis eorum virtus recideret, auſi qua ſunt aſcendere altiſſimos montes, tranſire rapidiſſimum flumen, extremam tolerare inopiam, quæ facilia ex difficillimis non tam animi magnitudo illis innata nationibus, quam Genuenſis auxilii fiducia redegerat: non ſe ſe arbitrari temporis cauſa, aut ſimulata Genuenſes amicitia ſocietatem cum Borboniis inſtituiſſe. Quid tam porro juſtæ, veræque amicitiæ repugnare, quam ſi, quod triduo, ad ſummum quatriduo præſtaturi ex fœdere ſint; fideliſſimorum id amicorum precibus repræſentare illiberaliter quodammodo denegent? debere eos communem potius utilitatem, ex qua omnia homines interpretari fœdera oportet, quam fœderum formulas, & verba ſpectare: factum eſſe Arangueſianum fœdus, ut communibus viribus communis repellatur hoſtis: at Genuenſium cunctatione iſta inopportuna non repelli, ſed invitari hoſtem, ut, Gagianorum militum paucitate contempta, Liguſticas continuo fauces occupet: quibus occupatis, & Gagium ad rem gerendam inutilem efficiat, & ipſos quaſi in vinculis habeat, ne ea, quæ Reipublicæ intereſſe cognoverint, quæque ille admodum timet, decerne-

nere audeant. Id vero si accidat, quo tunc Aranguesiani fœderis consilium? Quo virium communicandarum spem? Sin autem in consiliis capiendis unam intueri fortunam vellent, omnia hactenus accidisse Austriacis adversa, Borboniis secunda: illorum semel, atque iterum ab invictissimo Rege Gallorum fusas in Belgio ac superatas copias, quas Batavorum etiam, & Britannorum exercitus sublevabant: unam esse in Italia Genuensium civitatem, quæ certissimam Borboniis victoriam creare possit: ejus patefacta societate, fugæ se statim Austriacos mandaturos, neque ullum consistendi illis in Italia locum fore. Proinde vel amicitiæ, vel utilitatis, vel denique fortunæ causa ne cunctarentur auxilia Gagio submittere: libere jam, atque audacter descenderent in causam, & quos hostes jamdiu senserint, pro hostibus aliquando haberent.

Genuenses Legatorum permoti eloquentia, quam Borboniorum adjuvari victoriis intelligebant, & quod ingratum sane videbatur tantulæ, ut apparebat, rei controversia, in ipso societatis initio sociorum offendere animos, & quod eo erant progressi, ut magis liceret non cœpisse, quam cœptum semel non exequi usque ad extremum; millia hominum octo, & quæ ad eorum, bellique usum pertinebant, auxilio mittenda esse Gagio statim censuerunt. Horum summa imperii tradita Joanni Francisco Brignole-Sale est, cujus postea, cum Reipublicæ Principatum adeptus est difficillimo tempore, virtus nobilitata est. I-

tem

tem S. C., quo mitti auxilia decreverant, renunciari Austriacis, eorumque sociis per legatos oportere suos, statuerunt. Tanta autem erat erga Reges observantia Reipublicæ, ut ne Regi quidem Sardiniæ ipsi nominatim bellum denunciaverit, tametsi Vormaciensi irritata fœdere suas ab eo imminui, trahique in discrimen opes videret. Et per eos forte dies acciderat, ut Eques Alfierius, qui in agro Nicæensi Sardiniensibus copiis præerat, in Genuensium oppidum Albintemelium, ubi Hispanorum erant horrea constituta, impetum faceret, & præsidio dejecto, frumenti, pabulique, quod subito poterat, per equites comportaret, reliquum, ne cui Genuensibus usui esset, incendio corrumperet. Denunciationem Reipublicæ Britanniæ Rex quum intellexisset, minaciter respondisse fertur, quum suarum classium Præfectis imperaturum dixerit, siquid in eam rem sibi videretur; quanquam Genuensium apud eum Legatus neque amici, neque hostis loco habitus Londini permanserit. Rex autem Sardiniæ nihil accidisse novi dixit, si Genuenses bellum denunciarent, quod suis favendo hostibus jamdiu gererent, neque ita tamen occultissime, ut perspici non posset. Quibus auditis, Hieronymus Curlus, qui apud Regem Genuensium Legatus erat, in patriam rediit, illato bello. At Bartholomæus Laumellinus, qui oppido Novis Genuensium jussu præerat, ad Comitem Sculemburgium in castra Austriacorum se contulit, atque ita ex auctoritate Senatus cum eo egit: Genuenses

ne-

neque priores Auſtriacorum ſocio, atque amico Regi Sardiniæ, neque ſine cauſa, bellum denunciare; neceſſario facere, invitos, atque omnia prius expertos, ſi qua poſſet æquitate componi: unum ſe ſe infimis pene precibus oraſſe, ut quæ Reipublicæ optimo ſemper jure fuiſſent, atque eſſent, ea eſſe inſigni injuria ne deſinerent: ne id quidem propter Vormacienſe fœdus impetrari potuiſſe: ſuos jam ab Rege Sardiniæ fines violari, ad Albintemelium effringi, diripique horrea: quonam hæc omnia, niſi ad Reipublicæ perniciem pertinere? proinde non eſſe ipſis ſuccenſendum, ſi, ut eſſet dictum, neceſſario ad arma deſcenderent, quæ inferri ſibi jampridem videant, ſi ſui muniendi cauſa Borbonios ſocios adſciſcerent, ſi iis auxilia mitterent: nihil ſe propterea de ſua erga Auſtriacos benevolentia, atque obſervantia detractum arbitrari; quandoquidem jure Gentium obtinuerit, ut amicos contra amicos auxilio juvare, ſalva amicitia, liceat; nemini injuriam facere, qui ſua tueatur; imperium ſe ſe acceptum a majoribus velle conſervare: quo imperio ille haberi indigniſſimus debet, qui retinere illud quacumque ratione aut non poſſit, aut non audeat. Dicentem Laumellinum interpellat Sculemburgius, & diſcedere conantem prohibet, eodemque temporis veſtigio Clericianæ legionis inſtructorem cum equitum, ac peditum parte mittit, qui Reipublicæ præſidium, quod erat Novis, captivum abduceret, ipſumque oppidum haberet prædæ loco. In quo non-

nulla

nulla fuit hominum querela, qui Sculemburgium ſuæ magis iræ, quam juri Gentium obtemperaſſe dixerunt.

Habebat, uti diximus, caſtra Gagius ad Langenſium pagum, & ſicuti Genuenſium diligentiâ omnium copiâ rerum abundabat, ita præmiorum tenuitate, quibus donare exploratores ipſe conſueverat, flagitioſe erat ab exploratoribus imparatus. Nam Gagius alienæ pecuniæ non appetens, ſuæ parcus habebatur: id quod nonnulli in Imperatore reprehendunt, cui propoſitum unum illud eſſe debet, ut vincat, & victoriæ cauſa non ſuis, non alienis parcere bonis oportere ajunt. Sed exploratorum paucitate fiebat, uti hoſtium neque conſilia, neque itinera cognoſcerentur, ut levi auditione, & falſis plerumque rumoribus interdiu, noctuque conclamaretur ad arma; ſic ut tam incertis rebus non militibus quies, non ducibus ratio eſſet certa imperandi, omniaque erroribus, ac ſuſpicionibus perturbarentur. Quæ res impetus etiam noſtros, conſiliaque tardabat; propterea quod non ſatis celeriter explicari poterant, quum ignorarentur ea, quæ apud hoſtes gerebantur, & ad quæ accommodare ſua ſæpiſſime conſilia Imperatores ſolent. Præterea Philippici exercitus mora, quicum Gagiani exercitus iter conſentire debebat, non parvo erat noſtris ad progrediendum impedimento. Philippus enim, expugnatis in itinere Loano, Oneliaque, caſtellis ſatis munitis, procedere paulatim, ac Savonem vix aliquando tandem perveniſſe dicebatur. Hæc erant,

quæ

quæ Gagio diutius ad Langensium pagum morandi efferrent causam.

Jam Philippi, jam Genuensium auxilia in Gagii castra convenerant, & tanto militum numero auctis copiis, ad hostem proficisci Gagius constituit, cognita prius loci natura, quæ erat ejusmodi. Porciferam vallem, quæ in longitudinem passuum circiter x. millia patens ab amne appellatur, qui illam interfluit, quique modicis, ac prope nullis aquis est, nisi maximi accidant imbres, neque longius ab Genua millibus passuum iii. Arenam inter, Cornilianumque pagos in mare influit; quam vallem hominibus, ædificiisque frequentem, & cultu, prospectuque amœnam colles cingunt leniter acclives, qui in montes statim assurgunt editos, atque asperos: atque hi in arctas tandem coguntur fauces, quas Ligusticas appellari diximus. Has intra fauces una est militaris via, reliqua sunt præterea itinera duo, quibus etiam patet aditus ad Genuam paulo tamen impeditior, atque difficilior; quorum itinerum alterum ad dexteram est Ligusticarum faucium ab ea parte, qua mons eminet Flacconius, Iriaque amnis labitur; ad sinistram est alterum ad alterius item montis radices, qui Gazius dicitur, editissimusque est omnium circumjacentium. Tam illa militaris via latior, quam angustiora hæc itinera duo in unum confluunt ultra Ligusticas fauces ad Octavium vicum, eoque Gavium versus, Novasque itur, oppida Genuensium. Magna est harum faucium in bello opportunitas, ut qui

eas

eas prior occupaverit, hoſtem repellere levi negotio queat; ſi a duce milites non deſerantur, & ſi, qui vallem, monteſque incolunt, armis aptiſſimi homines ac feri, conſentiant. Tunc eas occupaverat prior Gagius, & præſidio cohortis impoſito, atque addita munitione diligenter tuebatur. Auſtriaci, ne faucium præoccupatione premerentur, impetum adverſus montem facere in cohortem conantur; noſtri, ne locum maximæ opportunitatis turpiter dimitterent, paratiſſimo erant ad propugnandum animo. Contenditur prælio; & noſtri, quod loco, numeroque præſtabant, celeriter hoſtes dederunt in fugam: fugientes ſylvæ, tramiteſque texerunt, a quibus illi protecti, atque occultati, paucis amiſſis, ad Octavium ſeſe vicum receperunt, iiſque ſeſe adjunxerunt, qui ſubmiſſi a Sculemburgio numero ad ſeptem millia cum paulo ante vicum tenuerant, & nacti opportunum non longe a Lemure amne in valle collibus præſepta locum, qua neceſſarius erat noſtris, & peranguſtus, ſi perrumpere vellent, aditus, hunc foſſa, atque aggere communiverant, & occupatis collium jugis, loci natura, atque operis munitione, circumjectiſque ibi forte muris, quibus agri privatorum ambiebantur, freti prohibere noſtros tranſitu ſperabant. Quibus rebus cognitis, Gagius, profectioniſque, uti demonſtratum eſt, ſuſcepto conſilio, ſarcinarum, atque impedimentorum magnam partem Genuam verſus remitti jubet, quo tutius collocarentur, neque multo militum præſidio ad

ea

ea tuenda opus esset, ipse expeditiore, & in tres partes distributo exercitu, occurreret hostibus. Dexteram partem eo ire itinere jussit, quod ad montem pertinere Flacconium diximus, eique ducem Vievillæum Legatum præfecit: sinistræ Comitem Sevium Legatum præposuit, qui præter montem Gazium eam duceret. Dux Mutinensium, ipseque una Gagius mediæ aciei præfuerunt, & militari illa intra fauces via processerunt. Equitatus post tergum rejectus, quod locis asperis, atque concisis ejus inutilis opera videbatur, lentius subsequebatur, agmenque cogebat. Legatis mandatum erat, ut iter moderarentur, neu prius concurrerent, quam telum emitti exaudirent, ut undique uno tempore ad emissi teli fragorem in hostes impetus fieret, nullaque illis, ut inferioribus numero, & ab utroque latere circumventis spes fugæ relinqueretur. Appropinquabat hostibus Gagius; at Legati morabantur. Namque circuitu majore, & ascendendis, descendendisque collibus longius erat Vievillæo iter; & Sevius præter eandem intersepti itineris difficultatem in ipsos imprudens inciderat hostes, qui omnibus ab ea parte saltibus decessisse falso dicebantur, neque, certi quid esset, sciri per exploratores poterat, quorum, ut supra docuimus, mira erat paucitas. Ac tametsi loco eos confestim cedere coegerit, id ipsum tamen suum hostibus iter aperuerat, & moræ injecerat aliquantum, ut ab suo latere circumire in tempore hostes, sicut convenerat, non posset. At ii, qui in me-

media erant acie, quum pro ſe quiſque in conſpectu Ducis Mutinenſium, & Comitis Gagii Imperatorum etiam difficillimis rebus operam navare cuperet, retineri non potuerunt, quin locum ſubirent iniquum, hoſtium aſcenderent aggerem, adeo ut nonnulli ſublevati alii ab aliis in ſumma conſiſtere munitione, ibique propugnantes interficere auderent. Hoſtes loco freti manu, & natura munito facile noſtros audacius ſubeuntes deturbabant, &, quum nullum fruſtra jaculum deſuper mitteretur, cædebant, videbaturque jam non ſine ingenti noſtrorum cæde perrumpi poſſe, propterea quod magno ipſis loci iniquitas præſidio, noſtris detrimento erat. Quod quum Gagius animadvertiſſet, ſubito tormenta aliquot adduci, quibus agger dirueretur, & adverſa locari juſſit. Qua re perterriti, ſimul quum altera ex parte prope jam Sevius adeſſet, ex altera Vievillæus deſcendere impreſſionem jam facturus cerneretur, tum a fronte ſuccedere noſtri acriter non deſiſterent, illi, relicta munitione, ad Octavium vicum, indeque citiſſime ſeſe, circiter octingentis amiſſis, ad Sculemburgium in caſtra receperunt. Neque illorum quiſquam ſuperfuiſſet, ſi aut Legati ab utroque latere, ut erat præceptum, uno in hoſtes concurriſſent tempore, fugamque iis interclusiſſent, aut fugientes pars equitatus, quem omnem non ſatis prudenter rejectum eſſe poſt tergum diximus, conſectari, atque opprimere potuiſſet.

Recepto Gagius Octavio laboriosa Gavium via proficiscitur, quam etiam hostes interruperant, ut essent nostri ad insequendum tardiores: quo quum tandem venisset, oppidum ipsum, quod arcem habebat satis validam, communire, atque instruere jubet, ut eo pecuniam exercitus publicam, ægros, atque omnem belli apparatum conferret. Hæc dum ipse administrat, Vievillæum Legatum, qui primo agmini præerat, ad occupandas Novas, & commeatuum ab Genua subvectionem explicandam mittit; Sevium præterea Legatum mittit cum tormentis sex, duobusque millibus hominum ad expugnandam Serravallis arcem: quæ quanquam ad Iriam amnem posita natura probe munita esset, præsidiumque ibi ccc. militum legionariorum Sardiniæ Rex haberet, quibus Roscius castrorum Præfectus præerat, nihilo tamen minus longinquam oppugnationem sustinere non potuit. Vehementius enim a Sevio oppugnata, quam a Roscio defensa, quum jam militum præsidiariorum stationes ollis tactæ incendiariis deflagrassent, undecimo ab oppugnatione die, deditione facta, capitur, & Genuensibus ex Aranguesiano fœdere attribuitur.

Interim Philippi, Gallorumque exercitus Subalpinorum præsidiis e saltibus Montisferrati dejectis, atque Aquis subito Statellis a Pignattello Legato occupatis, ea felicitate, quæ plerumque adest novantibus res, omnem circa regionem in suam celeriter potestatem redegerant. Quibus cognitis, Gagius discedendum

dum

dum Gavio, ulteriuſque ſibi progrediendum exiſtimavit, ut cum Philippi Gallorumque copiis conjunctis ſuis, uno conſilio bellum adminiſtraretur, ſummaque imperii ad Philippum Philippi Hiſpani Regis F. reſpiceret. Erant numero, & genere hominum præſtantes copiæ Hiſpanorum, Gallorum, Neapolitanorum, Genuenſium. Marchio Malibojus Gallis præerat Gallicæ militiæ Magiſter: lxii. millia peditum, viii. equitum habere in armis dicebantur. Magna multitudo, magnuſque ex tantis viribus animus, ut nihil ſibi impeditum, nihil hoſtibus tutum arbitrarentur. At Sculemburgius, collectis, qui ab Octavio refugerant ad Ripaltam, Novis relictis, citatum agmen rapit, ibique loco munito, fluminibuſque circumfuſo caſtra locat de ſumma rerum admodum ſolicitus. Neque minus æſtuans, laboranſque ab Auguſta Taurinorum Sardiniæ Rex venerat in caſtra: quæ quidem Tanarum inter, Padumque amnes poſita loci naturà, pontibus, atque additis operibus munitiſſima erant, & ab bellum ducendum aptiſſima. Ipſe enim præſidiis, locisque difficilibus hoſtium impetum frangere, & tractandis conditionibus, ac ſimulatione cum Gallis ineundæ ſocietatis præſentem procellam devitare, conſiliumque ex tempore, ac fortuna capere meditabatur.

Ita Hiſpanis, qui nunquam victi, nunquam victores toties cum hoſte conflixerant, & iis, qui, Gagio Duce, Pontificias ultro, citroque Provincias diu pererraverant, neque

tamen quicquam profecerant, & iis, qui in alpibus ad Italiæ portas fexennium jam fere obverfati, in illam auxiliis etiam Gallorum irrumpere, quum fæpe tentaffent, nunquam potuerant, facta cum Genuenfibus focietate, fubito in Cifalpinam iter Galliam patefactum eft. Auftriaci autem, qui magno animo ingentique fiducia gerebant bellum, quod & mare Britannis fociis tenebant, & locis confidebant natura munitiffimis, eofque ex Vormacienfi fœdere fpiritus fumpferant, ut Italiam omnem fuam dicerent, aliis eriperent, aliis donarent, modo refpicere fefe, & fuis timere rebus cœperant. Tanta, traductis ad amicitiam, & focietatem Borboniorum Genuenfibus, facta eft rerum in Italia commutatio.

COM-

COMMENTARIORUM
DE BELLO ITALICO
LIBER II.

CASTRUCCII BONAMICII

COMMENTARIORUM DE BELLO ITALICO

LIBRI SECUNDI

AD PHILIPPUM

BORBONIUM

PARMENSIUM, PLACENTINORUM, ET GUARDISTALLENSIUM DUCEM, FERDINANDI REGIS HISPANIARUM, ET CAROLI REGIS NEAPOLIS ET SICILIÆ FR.

PRÆFATIO.



Uerela illa vetus, eorumque, PHILIPPE DUX, *crebris usurpata sermonibus, qui inani quadam antiquitatis specie commoti, fastidire præsentia consueverunt: interiisse jam apud nos præclarum olim genus hominum, atque virtutum; non magnopere me quidem unquam movit, qui multa veteribus concedens, non adimo nostris temporibus rerum gloriam maximarum; eamdemque semper fuisse video humanæ naturæ conditionem, ut, licet optimum quidque rarissimum sit, numquam tamen*

 non

non extiterint singulares viri, atque omni laudis genere excellentes. Nam, ut alia omittam, qui bellicis abundarent laudibus, ætate certe nostra non defuerunt. Federicus quidem Borussiæ Rex in Germania, Mauritius Saxo in Gallia, atque in Hispania Joannes Gagius digni sane existimari debent, qui cum illis Imperatoribus conferantur, quorum magnum est in Græcis, Romanisque literis nomen: & multa sunt domi, militiæque gesta ab Genuensibus hoc tempore, adeoque præclara, ut vetus illa Italorum virtus, quam nimia jam servitute oppressam eluxerant omnes, revocata ab illis in lucem, & aucta etiam sit. Atqui, si ullum esse potest temporum discrimen, non in vetustatis, aut novitatis nomine, sed in eo positum est, quod fortunatiores cæteris ætates quædam fuerint scriptores nactæ illustres, qui eorum hominum, qui tum florebant, recteque factorum memoriam scriptis commendatam suis, nulla extingui oblivione voluerunt. Quo mihi vehementius ex nostris hominibus ii excitandi videntur, qui ingenio, doctrinaque præstant; ut, quoniam in nostram ætatem res inciderunt, virique maxime memorabiles, ne tantum illius decus jacere patiantur in tenebris, aut inconditis, vel ineptis narrationibus illustrari putent. Historia enim, quæ magistra vitæ appellatur, & posteritati maxime inserviat, oportet, non quid actum tantummodo, quove die sit, id ostendit, sed quo consilio, quaque ratione gestum sit, demonstrare debet; neque sanæ mentis posteri curabunt scire, ut eleganter accubuerit

im-

imperator, quove temporis puncto in urbem aliquam ovans introierit, sed quam perite sententiam suam dixerit in concilio, aut strenue in acie dimicaverit. At vero his temporibus, qui rudia quædam monimenta copiose, diligenterque collecta atque annotata proferant laboriosi homines; quorum industriam non contemno equidem, quippe quam posse historico utilem esse videam; sunt etiam multi: qui autem historiam ita scribat, quemadmodum Thucydides, & Xenophon apud Græcos, Sallustius, & Cæsar apud Romanos, &, ne nostros contempsisse videar, Macchiavellius, & Guicciardinius ornate prudenterque scripserunt, reperietur fortasse nemo. Atque hujusce rei culpam nonnulli in principes transferunt, qui quum honesti, fortes videri malint, quam esse, illos scilicet extinctos vellent, quorum per literas, scribendique genus grave, & liberum sua vitia, detractis simulationum involucris, in oculis hominum, atque in celebritate versantur omnium gentium. Ego vero non tam principum iniquitatem, quam perversitatem accusaverim certorum hominum, qui congesta quædam temere obtrudunt tanquam aliquod historicum opus perfectum, nihilque arroganter sane probant, nisi quod se assequi posse confidunt. Quibus non dubito, quin mirificus is architectus videatur, qui materiam, calcem, cœmenta convehat, perfectione operis neglecta. Sed horum perversitate judicii illa paulatim monstra irrepserunt, ut alii in coacervandis publicis, privatisque tabulis ætates contererent ipsas, seseque propterea magnos appellari histori-

ri-

ricos vellent; alii delectu verborum, ac sententiarum historiam fieri mendosiorem crederent; alii denique de ipsorum veterum historicorum laude detrahere non dubitarent, quum dicerent, quod res gestas exornaverint, consiliaque Regum, atque imperatorum fusius explicaverint, peccasse eos in historia vehementer, quos qui sequuntur, ii sunt uni laudatissimi. Tametsi pudere illos arbitror sententiæ suæ, quum videant, eorum, qui ad illas ineptias abierint, scripta evanescere statim, vix ut appareant; eorum autem, qui ab optimorum historicorum vestigiis non recesserunt, posteritate ipsa, cui potissimum scribere debemus, crescere, & confirmari. Me certe magis piget, nobilissimorum auctorum gravitatem, & vim non esse in scribendo assequutum, quam sequutum esse pœniteat. Quanquam ne conatus quidem ipse contemnendus est in maximis præsertim rebus: Atque eo me minus instituti mei pœnitere oportet, quod grate, libenterque intellexerim, trans mare, transque alpes, quibus in locis præclarissimæ artes, ac disciplinæ vehementius jam, quam in earum quasi parente, atque altrice quondam Italia ipsa coluntur, non reprehendi rationem scribendi meam; exemploque nostro experrecta esse hominum studia, qui majore profecto, quam nos, ingenio, atque eruditione id efficiant; ut, quum ætas nostra rerum gestarum gloria nullis veteribus cedat, pulcherrimæ etiam alicujus historiæ laude cum illis adæquata esse videatur. Verum, quod honos alit artes, omnesque ad ea potissimum persequenda incedunt, quibus

bus

bus ad opes, atque ad honores præmia sunt constituta, eruditorum idcirco hominum studiis accedat necesse est Principum liberalitas, atque optimus in præclaros auctores animus. Magnificum est, vereque regium, eorum, quibus imperes, utilitati servire; Neque major ad populos, quam ex recte conscripta historia permanat utilitas. Quæ quidem historia dat principibus regnandi, dat populis præcepta parendi, propositisque virtutum exemplis, & præsentes, & posteros longe omnes excitat ad veram gloriam, quæ magnorum est in genus hominum pervagata fama meritorum. An, quum sordido, atque humili cuique e plebe opes patere Principum debeant, quod non tam ipsorum, quam communes omnium sint; iis erunt occlusæ, quorum literis, atque præceptis beatæ sunt civitates, ipsi clari Principes, ac potentes habentur? Si leviores artifices, quod corporis simulacra ignotis nota faciant, non vulgaribus dignos præmiis summi Reges ducunt; quam benigne invitare, quam fovere liberaliter decet eos, qui virtutem illustrium virorum scriptis exprimunt suis, & perutilis exempli imitatio posteris ut prodatur, divino efficiunt ingenio?

Quæ res, Vos, magis quam cæteros commovere debet, o Clarissimi BORBONII PRINCIPES, *quorum tam multæ sunt in Italia præsertim gestæ res amplæ, atque magnificæ, ut earum pati intercidere memoriam grave sit Vobis, Italiæ vero dignitati iniquum, virtuti ipsi prope injuriosum futurum. Quis* CAROLI *Neapolis, ac Siciliæ Regis fortitudinem? Quis consi-*

filium? Quis tuum, PHILIPPE Dux, *adversis, secundisque temporibus eundem semper animum non maxime celebrandum, ac scriptione dignissimum judicet? Me quidem de Italico bello scribentem, quod bellum atrox, & periculosum propter Te totum, atque abs Te fere totum gestum est, inaudita virtus rapiebat in admirationem sui. Videbam enim habuisse Te pueritiæ tempus extremum principium maximorum imperiorum, neque, quum assidue inter tela, ac cædes versarere, cum frigore, cum calore sæpe nimio vexabare, ullis unquam esse periculis deterritum, fractum incommodis; eundemque Te, qui toties hostium impetus pene puer fregeras, gloriamque viceras omnium Imperatorum, nunquam in victoria superbum, in bello crudelem fuisse intelligebam. Quæ Tua vero in pace moderatio? Nam, quum fessis, atque exhaustis diutino bello provinciis, victores communi saluti consulere vellent, victi suæ: necessario factum est, ut ea Tibi Italiæ pars obveniret, quæ propter angustos fortasse fines non generi, non animo, non Tuis certe rebus gestis par esset: neque in hac aut temporum, aut fortunæ injuria quisquam Te mærentem, lamentantemque vidit. Atque illam tamen Italiæ regionem haud Te vel ideo indignam existimaveris, quod* ELYSAM *Matrem Tuam ediderit, Reginam excellenti animo, ac virtute præditam. Qua una commemorata laude, nihil de* FARNESIIS *consilio, manuque præstantibus veteribus ejus provinciæ dominis, nihil de urbium pulcritudine, agrorum ubertate, civium ingenio, quam ad*

bo-

bonas artes propensi, quam exteris hospitales sint, nihil, inquam, attinet dicere. Una enim illa inobscurare cæteras ejus regionis laudes, Tibique, PHILIPPE Dux, *non ingratum afferre laborum, ac periculorum fructum videtur. Sed hos ipsos labores, hæc pericula, virtutes illas gravi, & copiosa aliqua historia non enarrare indignum sane est, atque ab Italicorum ingeniorum præstantia alienum; quum præsertim tanti Principis adventu Italiam ipsam otio, ut vera fateamur, languentem turpissimo, atque in mores abeuntem barbarorum spes sit, commotam jam* CAROLI *Fratris Tui Regno sapientissimo, & invicto etiam Genuensium exemplo, revocari aliquando posse ad optimas illas artes domi, forisque recolendas, quarum studio eluxit illa quondam, veluti divinum aliquod lumen. Equidem*, PHILIPPE Dux, *quanquam neque usu satis, & ingenio parum possim, nolui tamen in tam abundanti rerum abs Te gestarum materia ipse mihi deesse. Itaque secundum hunc Commentariorum meorum de bello Italico librum conscribere, Tibique conscriptum jure, ac merito dicare non dubitavi; neque putavi, aut repudiaturum Te, qui res ad scribendum maximas adhibuisses, scriptoris patrocinium; aut, quum alii sive cessarent, sive scribere non auderent, sedulitatem nostram inutilem cuiquam, vel invidiosam fore.*


Ἐξ ὧν συνιδόντι, καλλίστην παιδείαν ἡγητέον πρὸς ἀληθινὸν βίον τὴν ἐκ τῆς πραγματικῆς Ἱστορίας περιγιγνομενὴν ἐμπειρίαν. Μόνη γὰρ αὕτη χωρὶς βλάβης ἐπὶ παντὸς καιροῦ καὶ περιστάσεως κριτὰς ἀληθινοὺς ἀποτελεῖ τοῦ βελτίονος.

Πολύβιος Ἱστορ. Βιβλ. α.

COM-

COMMENTARIORUM DE BELLO ITALICO

LIBER SECUNDUS.



ADventu Philippi, Gallorumque in Cisalpinam Galliam, Gagiique aucto exercitu auxiliaribus Genuensium copiis, Austriaci, qui ad equitum, peditumque millia erant xv., magnum in timorem perveniunt, ne, congredi tam impari numero si cogantur, desperatis rebus, Italiam dimittere omnem necesse habeant. Rex autem Sardiniæ, cujus maxime res agebatur, animo valde laborabat, ut ab imminenti sese periculo eriperet. Illi erat certissimum omnia prius experiri, quam Philippum Hispani Regis F. Neapolitani Fr. habere magnum in Italia imperii æmulum, & finitimum. Itaque socios suos de auxiliis Germanos, de pecunia Britannos adhortari per literas, nunciosque non desistit: quorum alteri Borusco, alteri domestico bello (quod Carolus Odoardus Stuartius Roma improviso profectus, & Stuartianis in minori Britannia partibus excitatis, incredibili animi magnitudine gerebat) implicati quod essent, non multum adjuvabant. At ille acris animi, magnique Vir delectum nihilominus habere perseverat inclinatione temporum,

rum,

rum, ac fortunæ non deterritus: pecunias cogit: oppida firmat: quas habet numero millium vix duodeviginti copias contrahit. Locum castris deligit, ut diximus, natura loci manuque munitissimum. Munitissimas item Alexandriæ, ac Dertonæ arces progredientibus opponere Borboniis constituit. Scribit Sculemburgio, quoniam, disjecta manu, pares esse nequeant, ad se ut quamprimum veniat: contractis copiis, occupatisque regionibus, e quibus repugnare possint, Borboniorum tardari impetum, & temporis expectari opportunitatem posse.

Sculemburgius erat eo tempore ad Ripaltam, & qui jam ante sibi timens, adjungi Regi Sardiniæ vehementer cuperet, multo celerius, his literis acceptis, ad eum properavit, &, conjunctis copiis, non longe ab eo loco, ubi Tanarus in Padum influit, ad Augustam Batienorum consedit. Lævum ipse, Rex Sardiniæ dextrum castrorum latus obtinebat: quorum erat ejusmodi situs, ut posita locis fructuosissimis omnium rerum abundarent copiâ, & fluminibus munirentur iisdem, quibus continebantur. Quocumque autem Borbonii irruerent, sive Alexandriam, sive Dertonam, quæ non multum a castris aberant, oppugnare vellent, facile erat Regi, Sculemburgioque ex tam propinquis castris in utramque partem subsidio accurrere, atque oppugnationem repentino, si opus esset, incursu disturbare. Illi pontes in Tanaro, Padoque effecerant duos. Hos magnis operibus, ac præsidiis firmaverant.

rant. Ex his levis armaturæ pedites, equitesque emittebant, qui latius vagarentur, vias obsiderent, commeatus nostros, & pabulatores interciperent. His rebus transalpina auxilia expectare, & bellum in hyemem ducere cogitabant; quo tempore plures posse rem casus recipere sperabant.

Gagius, communito Gavio, quo in oppido omnem belli, ut antea dictum est, apparatum, ægrosque deponeret, ejusque oppidi arce Præfecto Laurentio Imperiali tradita, qui eam cum Varennensi de exercitu Genuensi cohorte, & Carosium item tueretur, discedendum inde, ulteriusque sibi progrediendum existimavit. Itaque rei frumentariæ provideri, vecturas civitatibus describi, castrenses atque obsidionales machinas supportari mandat. Militum contentiones, quæ in exercitu ex tot nationibus, generibusque hominum variis conflato interdum suboriebantur, severiori coercet edicto, ut nequis sese veteranus tyroni, Hispanus Genuensi, Neapolitanove intolerantius miles præferret. Hortatur, ut, depositis inanibus æmulationum studiis, una omnes mente bello serviant; neque se in milite verborum arrogantiam, sed virtutis laudare præstantiam dicit. Vievillæum legatum commeatuum explicandorum causa jam ante Novas missum revocat, eundem, aliquot Novis præsidio cohortibus relictis, cum parte, quam habet, copiarum, explorare iter, primoque agmini præesse jubet. Ipse cum reliquo exercitu subsequitur; & secundum Lemurem amnem iter faciens,

ciens, Capriatam eodem die venit. Quo quum venisset, castra in satis ampla planicie facit, quæ usque ad Prędosam Alexandrini agri vicum porrigebantur. Ea venit in castra Ligustica Genuensis exercitus legio. Hujus legionis Centuriones, qui Protribunorum mil. loco mererent, cives erant ex nobilitate parato omnes animo ad quodcumque pro Reip. dignitate periculum subeundum. Ibi vero Gagius cognoscit, ab Rege Sardiniæ in una castra receptum Sculemburgium. Cui quidem si nihil esset spatii datum ad sese cum Rege conjungendum, &, Capriata posthabita, si statim ab Gavio nihil moratus ad Julianum pagum recta Gagius contendisset, existimabant plerique, futurum fortasse, ut ferme in ipso bellum initio finiretur. Nam Sculemburgius, præoccupatis ab Gagio viis, neque facilem ad Regem accessum, neque tutum habebat receptum, & cogebatur, ut numero, animoque inferior multo nostris, alienissimo tempore, longe ab Rege Sardiniæ abductus dimicare, aut Iriam, Ticinumque oppida versus, receptum parare fugæ similem. Quo in receptu, imminentibus præsertim Gagianis, & Regem Sardiniæ demorante Philippo, magna ipsi militum, atque omnium fortasse rerum jactura facienda erat. Simili ratione Rex Sardiniæ quum auxilio Sculemburgii nudatus, neque per se impari numero Philippo, Gallisque irruentibus obviam ire, neque suis se castris tenere, ne a multitudine nostrorum intercluderetur, posset, coactus esset, aut tenuissima victoriæ spe de

im-

imperio ac ſalute uno prælio decertare, aut inſigni cum detrimento Alexandrinum & Dertonenſem agros dimittere, & Auguſtam uſque Taurinorum profugere: quod utrumque certiſſimam perniciem afferebat ei, qui neque firmum, neque amplum haberet exercitum, eoque exercitu fortunas omnes contineri ſuas videret. Ita Sculemburgio mora Gagii, Regi Sardiniæ Sculemburgii celeritas ſalutem attulit.

Interim ex omni fere ea regione, quæ cis Tanarum eſt, Bormiamque amnem attingit, legati ad Philippum veniunt, ſuorum qui excellens ſtudium profiteantur, polliceanturque omnia facturos, quæcumque imperaverit. Imperat jumenta. Illi undique conquiſita adducunt in caſtra. Quæ res maxime fuit opportuna. Nam peſtilentia late ſerpens in Subalpinis, & per Ciſalpinam vulgata Galliam, boves fere omnes morbo tentaverat, atque abſumpſerat, adeo ut neceſſariis ab rebus, raris ſubvectionibus, laboraretur. Eadem item de cauſa, ne carne milites veſcerentur peſtilenti, edici placuit, ut mercatori, calonive ejuſmodi pecus ſine certa cautione vendere in caſtris ne liceret, capitis pœna iis, qui non paruerint, conſtituta. Sed Philippus, proſperis elatus rebus, & ſecundiſſima populorum voluntate, paulo longius procedit; caſtraque metari ad locum jubet, qui Serſellus appellatur, ab Alexandria longe millia paſſuum vii.

Gagius quoque viii. omnino dies ad Capriatam commoratus, Boſcum proficiſcitur, Alexandrini item agri vicum non ignobilem;

& quam proxime poteſt, Philippi caſtris caſtra ponit. Caſtrorum propinquitate invitati, & dignitate hominis admoniti Dux Mutinenſium, Gagiuſque, & Brignolius-Salius Philippum conveniunt, eique de ſuo in Ciſalpinam Galliam adventu gratulantur. Philippus item Gagiani exercitus viſendi cauſa, proſequentibus compluribus legatis, ducibuſque, quo in numero erat Malibojus Gallicæ militiæ Magiſter, & Gallorum in Italia Imperator, noſtra venit in caſtra. Producto exercitu per omnes adequitat ordines. Genuenſium copiarum robur, atque ordinem maxime admiratur; & Brignolium-Salium ſummum earum Præfectum, qui aderat, intuens: eſt vero, inquit, Brignoli, cauſa, cur meo nomine Reip. gratias per literas agas ſingularibus verbis, quod Borbonias partes præclaro ſane, & firmo exercitu juverit. Philippi aſpectu fit maxima inter milites gratulatio, omniumque animi ad lætitiam, ardoremque pugnandi excitantur. Spes augetur victoriæ. Itaque concilium ſtatim advocatur. Quo in concilio quum deliberaretur, Alexandriam oppugnari placeret, an Dertonam, res in controverſiam deducitur.

Gagius oppugnandam Alexandriam cenſebat, neque tantum in Dertona capta præſidii, quantum in Alexandria expugnata & præſidii, & opportunitatis eſſe exiſtimabat. Dertona capta, quæ devia quodammodo ſit, nihil fere profici: non loco hoſtem moveri, non denique prohiberi, quin, ut ſæpe jam fece-

ce-

cerit, libere, atque audacter in Genuensem usque provinciam prædabundus excurrat, commeatusque intercipiat, qui ex ea ad nos provincia abunde supportantur: exercitum vero nostrum aut distrahi magna submissa manu, quæ commeatus expediat, vel commeatibus impeditis rerum inopia necessariarum premi. At vero in Alexandria firmissimum nostris ad omnem belli fortunam præsidium constitui; ejusque arce expugnata, & commeatus explicari, & Genuenses defendi, & hostem non modo cohiberi, sed eo etiam compelli, ut salutem suam aut ancipiti prælio committat, aut fuga petat longissima: non Casale, Hastamque Pompejam, Forumve Fulvii tanti esse, ut, amissa Alexandria, fugientibus tutæ, victoribus difficiles possint videri: Dertonam ipsam Alexandrinæ arcis casum facile consequuturam: neque quicquam interesse ipsosne Austriacos, Regemve Sardiniæ profligent, sine quo Rege vigere Austriaci in Italia nequeant. Quod si necessitate, ac desperatione compulsus prælio velit decertare, tum vero intellecturum Sardiniæ Regem, quid cum Austriacis, Subalpinisque suis collati invicti Galli, atque Hispani exercitatissimi in armis, quidque Italicæ virtutis vindices Neapolitani, & Genuenses valeant; qui, ut cæteris rebus inferiores sint, multitudine certe obruere hostem possunt. Tametsi non tam hostem verendum, qui multis jam rebus, sui timoris signa miserit, quam anni tempus: adesse enim jam, atque appropinquare Autumnum; quo

tempore quum maximi accidant imbres, viæque omnes in Cisalpina præsertim Gallia deterrimæ fiant, quis fatigatum pluvia militem continenti insuper labore conficiat? Quis in tanta proluvie aggerem extruere, tormenta promovere, arcem denique tentare audeat opere, & præsidio munitissimam; quæ Tanaro præterea non mediocri certe alluitur amne, in eaque regione sita est, ubi suffosso solo iii. in altitudinem pedum, aqua abundat statim, atque effluit? Proinde, dum tranquillitas esset, dum vires integræ militum, oppugnandam esse Alexandriam, cujus tanta est opportunitas, dici ut possit, ea in potestatem redacta, bellum esse prope confectum. Malibojus contra, eo se minus dubitare dicebat, quin Alexandrinæ arcis oppugnatio seponenda modo esset, quod eas res, quas Hispanorum imperator commemorasset, ipse quoque perspiceret; intelligeretque non minori, quam lx. dierum spatio validissimam expugnari arcem posse, præsertim quam succinctam esse Regis Sardiniæ, atque Austriacorum exercitibus videat: sibi etiam persuaderi, non multum inde ad reliquas administrandas res superfuturum temporis; sed ea ipsa re admoneri, quo diligentius multo prospiciat, ne diutinæ oppugnationis mora implicati, cæteris nostri rebus excludantur, neve interea hostes, opportunitate aliqua data, confirmentur. Quid vero, inquit, proficimus, si in difficillima statim oppugnatione offendimus, infectaque tandem re discedere cogimur? An non plerumque accidit

dit in bello, ut parvulis ex caufis magna repente exiftant incommoda? Et, incommodo accepto, fi belli initium ducatur a clade, atque ignominia, quo tandem milites ardore deinceps animorum, qua fiducia vincendi futuros putatis? Quod fore omen reliquorum, fi male priora proceflerint? ac jam, ut omnia cedant fecunda, nihil hominum, nihil fortunæ vitio peccetur, nullofne crebris hoftium eruptionibus, ignibufque milites abfumi? nullos tædio laborum, periculorumque dilabi exiftimatis. Quo vero tunc mancum jam, & debilem, hyeme adventante maxima, adducemus exercitum? Num Alexandria capta, reliqui præterea eft nihil, quod agendum fit? Non Dertona ipfa recipienda? Non pacandi Infubres? Non Mediolani arx? Non Forum expugnandum Jutuntorum? Ideone alpes fuperavimus, ideo maximos comparavimus exercitus, eofque tanto commeatu, & molimento contraximus, ut Philippo Gallorum Regis Genero, cui Cifalpina omnis late Gallia non fufficit, unum tot rebus quæratur oppidum, eoque oppido imperii ejus amplitudo circumfcribatur? Quare, ne tantus ad maxima, fuperbiflimo delectu, collectus exercitus circa unius arcis mœnia confenefcat, omittamus Alexandriam, quæ difficilem habet, & longinquam oppugnationem; ac Dertonam potius oppugnemus, quæ neque militum noftrorum vires difficultate oppugnationis atteret, neque diuturnitate morabitur. Quod vero ad commeatus explicandos, & Genuenfes tutandos atti-

 net,

net, non est, cur simus de commeatibus nimium solliciti, quum tantum equitatu valeamus? neque video, quare ab iis hostibus tantopere Genuenses timeant, quos adventu nostro timere vehementer, & latitare vident. His in utramque partem disputatis, quum a Gagio nihilominus, atque ab Hispanis, & Genuensibus, qui concilio intererant, acriter resisteretur: oppugnate, inquit, Alexandriam, si ita vultis, Malibojus, & id commotiore vultu, ut excandescere videretur: mihi quidem certum est, inquit, tota hac ab oppugnatione tamdiu abesse cum meis, Rex dum rescribat. Daturum enim se ad Regem literas, quodque ille in hanc rem imperavisset, id se facturum pronunciaverat. Quæ oratio quum instituta esse videretur extrahendi temporis causa, commodius multo Gagius duxit dare manus, quam altercando, expectandoque diem ex die ducere, & bello opportunissimum terere tempus. Itaque superavit sententia Maliboii, etiam quod ei Philippus accesserat, qui Regis Philippi patris instituto, ingenioque suo Gallicis studebat rebus, quodque ad Gallos redire summa rerum, & consiliorum videbatur. Namque Hispanis ab Philippo Rege datum erat in mandatis diligenter, a Gallorum sententia ne recederent, quorum opibus, atque auxiliis ad Italicum bellum uti se posse arbitrabatur. At Galli, qui Hispanorum conjunctione satis habebant distrahere in Italiam Austriacorum vires, ne tantum in Germania valerent, non tam enixe favebant, & cupiebant Hispanis,
quam

quam videri volebant; vel invidia, communi humanæ gentis vitio, quod suæ detractum potentiæ crederent quidquid accessisset alienæ, vel timore quodam permoti, ne potentiores Hispani facti consilium sibi caperent separatim, neu pacis bellique conditiones ab se latas contumacius abnuerent, quam pati homines possent, qui omnia ad arbitrium, atque utilitatem referrent suam.

Concilio dimisso, Philippus ab Sersello, Gagius a Bosco profecti, diverso uterque ab Alexandria itinere, quo primum contendisse videbantur; Philippus non longe a Bosco ad Frigariolum, Gagius ad Julianum pagum, eumque locum, qui Garofolorum turris appellatur, qui locus abest a Dertona circiter millia passuum iii., castra ponunt. Mittitur Marchio Castellarensis, Philippi legatus, qui ab Novis, Gavioque oppidis tormenta, reliquasque res, ad oppugnationem quæ pertinent, iisque in oppidis Genua opportune submissæ asservabantur, ad exercitum confestim deducendas curet. Evocatur Pincaronius Præfectus Fabrûm, qui ex nostris prope Mutinam castris, ut antea cognitum est, missus ab Gagio fuerat cum hominum millibus v. præsidio tormentis, impedimentisque illius exercitus. Atque iis Pincaronius in naves impositis, quæ Genuam mari deferrentur, ipse cum expedito agmine terrâ progressus, & impetrato ab Etruscis, qui seu vim veriti, seu nullis impliciti partibus quiescebant, transitu; & hostibus, qui ut ei Lunensem in agrum descendenti

ti

ti in itinere occurrerent, Vectio duce, properaverant, summa vitatis celeritate, Rapallum tandem pervenerat, oppidum Genuensium in litore positum ad orientem, atque ab Genua circiter millia passuum xx. Atque inde evocatur, qui Dertonæ ad oppugnationem tormentis, operibusque præsit. Castra Gagii ad Garofolorum turrim, ut diximus, posita communiuntur. In ea suas transferre copias Philippus constituit. Perpetuæ fossæ, quibus omnia fere castra cingantur, perducuntur, atque aqua ex flumine derivata complentur. Id hoc consilio, quoniam planissimo in loco explicata necessario, atque essent obversa ad hostem castra, ut si ea ille, Gagianis in Dertonensi oppugnatione occupatis, tentare auderet, ejusmodi difficultatibus absterreretur: Philippi autem milites, equitesque, & propugnare facilius, & aquari commodius possent. His constitutis rebus, Dux Mutinensium, Gagiusque, & Malibojus cum peditatus & equitatus parte proficiscuntur ad castra hostium exploranda Tanarum, Padumque versus. Loci naturam, & situm perspiciunt castrorum. Salæo in itinere pago expugnato, nonnullisque exceptis, & interfectis hostibus, in quos imprudentes, & dispersos offenderant, in sua sese castra recipiunt.

At Sardiniæ Rex Alexandriæ vehementer timebat, quod eo nos iter habere primis diebus cognoverat, valdeque perturbabatur, ne propugnaculo imperii sui firmissimo spoliaretur. Itaque cohortes aliquot subsidio in arcem

cem

cem submittit. Præfectum per literas admonet, nihil reliqui ad defensionem faciat: docet in ea arce unum totius imperii sui ab ea parte auxilium positum esse: hortatur denique, ut fidem, & virtutem ad extremum usque spiritum retineat. Ipse tametsi totis dimicare copiis non constituerat, ne, suorum robore amisso, sociis, hostibusque, victus, victorque opportunus ad injuriam foret, tamen educto identidem exercitu, instructisque ordinibus, sese ostentabat in armis; atque Alexandriam potissimum respiciebat, ut oppugnationis tempore, si accidat, & præsidiariis cum spe imminentis subsidii studium propugnandi accederet, & nostris eadem de causa spes discederet arcis potiundæ.

Interim Genuenses fidei, & sociorum non obliti, Escerium castrorum Præfectum, qui rei militaris peritissimus habebatur, & bello Pannonico ordinem apud Germanos duxerat, cum ii. hominum millibus, qui x. millium ex fœdere numerum explerent, ad Gagium in castra contendere jubent. Gagius ab Juliano dextra progressus, flexuoso magis quam longo itinere Vighitiolum venit: qui locus est ultra Dertonam circiter millia passuum ii. Eodem, uti constitutum erat, tempore a Frigariolo profectus in iisdem ad Julianum castris, unde Gagius discesserat, Philippus consedit, equitesque, ne longius a castris progrederentur, plurimorum dierum pabulum habere convectum jussit. Ita media erat inter duos exercitus Dertona: neque hi tam longe inter se distabant, ut

ut alter alteri auxilium ferre non posset. Officia Philippus, & Gagius partiuntur inter se. Gagius Dertonam oppugnet; Philippus contra hostes consistat, neque illorum possit irruptio oppugnationi moram, militibusve in opere occupatis inferre periculum.

Capta, ut diximus, Serravallis arce, eademque Genuensibus ex fœdere attributa, ad eum locum publice ex S. C. recipiendum Brignolius-Salius profectus erat. Castronovo præterea, Iriaque, reliquisque omnibus circum Dertonam vicis, agrisque in potestatem redactis, & jam advectis a Castellarensi tormentis, quum nihil esset, objectis ab ea parte Philippi castris, a Rege Sardiniæ, Sculemburgioque timendum, quum etiam confirmatior esset, aucto nostrorum numero, & frequentior ad opera miles; propterea quod, paucis amissis, Sevius cum suis ab expugnata Serravalle Gagii redierat in castra; quum item recentia ab Genuensibus auxilia, & quæ cum Pincaronio iter per Etruriam fecerant, adventare prope diem copiæ dicerentur; opportunissimis rebus omnibus & Tribuno mil. militarique architecto de exercitu Hispano Jacobo Sicrio usus, homine ad usum ac disciplinam belli perito, Dertonam oppugnare Gagius instituit.

Ipsum erat oppidum in satis edito colle positum antiquitus, eoque deducta fuisse dicitur colonia civium Romanorum, quæ Ligures, Insubresque coerceret. Eversum, deletumque multis sæculis post a Friderico Ahenobarbo ob egregiam erga Mediolanenses fidem,

Me-

Mediolanenſes æquam ſequuti regionem ad infimum collem publice reſtituerunt, ut eadem urbs diruta, reſtitutaque ſocialis utrimque fidei documentum eſſet. Oppido nunc inſidet arx in colle ſita, ubi vetus fuiſſe oppidum dicitur; eaque duplici opere, & loci naturâ munita, difficilem habere videtur oppugnationem. Nam & novas quaſdam munitiones ex ſtramentis, ac virgultis aggere conſtratis in circuitu adjecerat Sardiniæ Rex, & ipſa habet arx adſcenſum undique, præterquam a collibus, arduum. Qua enim parte in orientem ſpectat, colles ſunt pari fere altitudinis faſtigio, qui ab Apennino initium ducunt, paulatimque ad planitiem redeunt, quæ eſt a ſeptemtrionibus propter viam Mediolanenſem, in eaque planitie ſub ipſis collium radicibus opera Borbonii ſua inſtituerant; quæ quidem opera non longius aberânt ab oppido, quam quo adiici jaculum poſſet. Tametſi autem ex arce, atque ex propugnaculo portæ, quæ appellatur Iria, omni telorum, igniumque miſſilium genere noſtri fatigarentur, opus perfecerant tamen; conſtitutiſque tormentis vii., muri partem eam, quæ a porta Iria ad mœnium angulum inter ſeptemtriones, atque ortum ſolis pertingit, labefactare cœperant. Quo malo perterriti oppidani, quum ſeſe in arcem præſidiarii omnes recepiſſent, celeriter mittunt, qui urbem Gagio dedant, ſeſeque imperata facturos ex auctoritate decurionum polliceantur.

Receptum oppidum, perductis ſtatim ope-

ri-

ribus, Borbonii circumvallant, iisque colles etiam occupant, quos esse ad orientem diximus. Nostris, qui in opere versabantur, magnus incesserat terror jaculorum, quæ sine ulla intermissione ex arcis muro a Subalpinis adigebantur. Ad hos repellendos magno usui fuerunt Corsi L. peritissima jaculandi gens de exercitu Genuensi, qui tam audacter, fortiterque succedebant, ut consistendi illis in muro potestas omnino non fieret. Itaque, perfectis operibus, collocatisque tormentis, ad xii. Kal. Sept. oppugnari undique arx cœpta est vehementissime; tantaque erat telorum vis, & jactarum copia ollarum, ut nullus in arce locus a strage, incendioque defenderetur. Non tamen deerat negotio Præfectus arcis. Quæ enim deesse ad munitionem videbantur, perfici statim, quæ convulsa, ac semiruta erant ex vi tormentorum, reconcinnari imperabat. Excubias, ipse, ac vigilias adhortans, increpans circuibat. Eruptione, quum paratissimus esset a præsidiariis, eàque multum in disturbandis nostris operibus proficere posset, pugnare noluit, militibus suis vel parcens, vel diffidens. At Rex Sardiniæ inani simulatione sese ostentare videbatur, quasi laboranti subsidium arci laturus. Nam, quum partem copiarum suarum Tanarum transire, propiusque Dertonam accedere jussisset, repente, appropinquante primo Maliboii agmine, receptui cecinerat, suosque omnes citra Tanarum vitabundus eduxerat.

Erat gravior indies, atque asperior oppugnatio. Luculentam ex nostris plagam, dum murum

rum ſubit incautius, Turrius acceperat Marchio Campoſanctenſis, & Hiſpanorum legatus. Complures etiam illorum vulnerabantur, atque interficiebantur. Exteriores arcis munitiones, quas ſtramentis, virgultiſque conſtratas demonſtravimus, injectum, aut dilapſum forte ignem quum facile comprehendiſſent, omnes conflagraverant, ardebatque etiam ingens lignorum ſtrues, quæ erat in arce ad obſidionis tempus reſervata; neque interim tormenta ceſſabant, omniaque erant cædis, incendiorum, ruinarum plena, adeo ut obſequium deſperatione exeuntes milites præſidiarii, non modo acerbius ferrent reliquos labores, ſed pene etiam ſeditione facta, de deditione, ut tandem ageretur, flagitarent. Quos Præfectus blando ſermone appellans, non poſſe edocet ſine maximo rei militaris flagitio tam paucis diebus, firmiſſimæ arcis fieri deditionem: hujus rei totius rationem atque exitum uni ſibi eſſe curæ debere, cujus hæc omnia fidei commiſſa ſint: bonum ipſi animum haberent, atque, ut fortes milites decet, unam reſpicerent dignitatem, cætera ducibus, & fortunæ permitterent. Confirmatis militibus, & reſtinctis incendiis, præſentis deditionis ſpes ſublata eſſe videbatur. Sed quum reliquis deinceps diebus acti eſſent a noſtris cuniculi ad arcem duo, opuſque in occulto perfectum, quo ad primas jam accedere munitiones, ipſamque foſſam ſine periculo licebat, omniaque ad ſuperandum vallum, murumque inſtruerentur, eique negotio qui pri-

ma

ma vigilia præessent Comes Ceciliensis Genuensium copiarum legatus, aliique duces, & Felix imprimis Balbus Protrib. mil. e legione Ligustica, præstans animo, & nobilitate adolescens, nominatim essent delecti: subito iii. Non. Sept. Præfectus arcis, signo dato, colloquium petit. Colloquendi facta potestate, Trib. mil. de exercitu Subalpinorum Ferrerius Marchionis Ormæensis F. ejus, qui apud Regem Sardiniæ gratia, atque auctoritate valuit plurimum, ex arce mittitur. Cœnobium erat sodalium Capuccinorum non longe ab arce intra oppidi mœnia. Is locus ad colloquium deligitur. Quo quum ventum esset ab utraque parte, ipseque quum adesset Gagius, qui ex suis ad Vighitiolum castris hac de re certior factus eodem venerat, loquitur Ferrerius: Non esse quidem aut arcem adeo subrutam, aut animos ita perculsos præsidiariorum, ut plures adhuc dies tolerari nequeat oppugnatio: sed Præfectum commotum maxime misericordia militum suorum, quos interficiendos videat, si nimium pertinaciter in defensione perseveret, a deditione non abhorrere: id autem postulare, ut mittere ad Regem Sardiniæ sibi liceat, utque interea sint induciæ, dum ab illo rediri possit: non posse, ni id sit factum, fieri deditionem; propterea quod Præfecto mandatum sit a Rege severius, ad extrema ut prius descendat, quam arcem dedat. Ubi id a Gagio negatum, & statim, si vellent, de conditionibus agere deditionis concessum est; quod omnis erat odiosa procrastinatio, ut inimica

mica victoriæ, ac tempori rerum gerendarum; internunciis ultro citroque missis, & paucis quum esset in utramque partem verbis disputatum, res huc sub noctem deducta tandem est, ut Gagio arx extemplo traderetur, perfugæ redderentur; ut tympana, ut signa, & sarcinarum partem efferundi ex arce præsidiariis potestas esset: præsidiarii arma omnes in ipso egressu ad vallum ponerent: signifer, centurio, trib. mil., reliquique duces ne ponerent, cautum est: præsidiarii milites, ducesve eorum Iriam statim deducerentur, ibique dimissi, Augustam Taurinorum recta contenderent; neve eorum cuique militi, ducive in exercitu, aut in præsidiis esse liceret, quo in exercitu, quibusve in præsidiis adversus Borbonios, eorumve socios bellum gereretur, fraudique iisdem esset, si fuissent. His conditionibus tradita Hispanis est arx Dertonensis, quæ neque oppugnari vehementius, neque diligentius defendi potuit; nemoque erit, opinor, rei militaris peritus, qui citius, quam oportuerit, factam esse deditionem dicat, quum sciat, tantam fuisse hujusce oppugnationis vim, ut diebus minus xiv., a qua die oppugnari cœpta est, ollarum millia incendiariarum xi. in arcem conjecta fuerint, telorumque adacta millia circiter lxx.

Interea dum oppugnabatur Dertona, Philippus, ducesque Borboniorum primi de reliquis rebus consultabant. Namque hostes tanto etiam sub oculis accepto detrimento, suis se tamen castris tenere adhuc velle, & longius illinc discedere vehementius etiam vere-

ri videbantur, quam ipſius Dertonæ jacturam. Quod fore prævidebat Gagius, idque ipſum conſilia noſtra tardabat; implicatique hærere videbamur, quo nos tandem, expugnata Dertona, verteremus. Nam & Alexandriam oppugnare iiſdem de cauſis, quæ ſupra ſunt demonſtratæ, longum atque impeditum videbatur; & ad hoſtem proficiſci duobus ſubnixum exercitibus, quique loco tam munito atque opportuno caſtra haberet, temerarium, & periculoſum erat. Itaque ejus imprimis rationem habendam eſſe Gagius cenſebat, ut hoſtium copiæ aut e ſuis latibulis elicerentur, aut diſtraherentur. Atque id, inquit, difficile non videtur, quum numero ſuperiores tantum ſimus, ut pluribus locis, rebuſque pares eſſe queamus. Plura igitur adire loca, eorumque alias tentare provincias oportet. Tantum enim imperii, atque exiſtimationis ſuæ diſcrimen aut hoſtes eliciet ad pugnam, in qua abducti illi a munitionibus, ripiſque fluminum impari nobiſcum conditione decertabunt; aut ad ſuis ferendum auxilium diſtrahet, & diſtractos, paucoſque adverſus plures, & præſtantiores nullum certe flumen, nulla munitio defendet. Hoc probato conſilio, &, ne efferretur, cum perpaucis communicato, Vievillæum legatum mitti placuit, qui cum VIII. hominum millibus, tormentiſque aliquot caſtrenſibus Placentiam, Parmam, Bobiumque verſus ſtatim proficiſceretur, in eaque invaderet loca. Sed Philippus, expugnata, ut diximus, Dertona, equo invectus in oppidum ex paſſim disjectis,
deu-

deustisque munitionibus quanta vi res essent administratæ, quum judicasset, Gagium pro ejus merito, ejusque milites collaudavit: ipsum, qui Regis Sardiniæ jussu arcem defenderat, Theodorum Phalettum Equitem verbis est prosequutus honorificentissimis, cui non animum in acerrima oppugnatione, non fidem erga Regem suum defuisse dixit: Dertonenses autem bono esse animo jussit, eosque mitissime appellavit, quo minore essent timore. Illi obviam ei gratulantes exierant universi, & perspecta hominis indulgentia in victos, imperii commutationem adeo non querebantur, ut Philippo viso, obliti malorum viderentur, quæ plerumque sequi oppugnationes consueverunt. Ipse cohortibus Hispanis iv., unaque Gallica cum Leertio Mierio, qui præesset, præsidio Dertonæ relictis, in sua se castra eodem die recepit.

Gagius ab Rege Hispaniæ aureo nuper vellere donatus, quod insigne est summi apud Hispanos honoris, ad Castrum cum exercitu novum progreditur, cujus castelli mœnia amnis Iria præterlabitur, castraque metatus, xv. ibi ipsos moratur dies. Id quod haud scio, an recte factum fuerit, cum, præcipitante belli tempore, celeritate maxime opus erat. Sed iisdem diebus Sanctacrucium Morillii Comitem, & Tarraconensis alæ Præfectum, qua in ala Comes Castruccius Bonamicus, harum Scriptor rerum, equo merere cœpit, cum delecta manu, quæ appellabatur Castulonensis, turmisque aliquot equitum, & tormentis castrensi-

bus iv. proficisci, eundemque, quum ad Stratelliam pervenerit, subsistere, & non longe ab eo loco in Pado pontem efficere jubet. Pontes item alii aliis in locis institui dicuntur. Exciduntur ea de causa longe lateque arbores, & convehuntur: conquiruntur undique naves. Increbrescit quotidie rumor, meditari Gagium transducere Padum exercitum, locaque trans flumen, & præsidia hostium adoriri. Expugnatur ab nostris Pluviera, quem illi locum cis Tanarum munierant, firmoque præsidio tenebant. Quibus rebus hostes perterriti, quum una ex parte ad occupandam Placentiam, Parmamque profectum Vievillæum legatum, altera pontes in Pado fieri audirent, quum transpadanæ regioni timerent; nostros autem, expugnata Pluviera, propius accedere perspicerent, magnopere perturbabantur, neque satis certum habebant, cui potissimum rei occurrerent. Itaque suis se castris fiducia loci continebant, &, quo tutiores essent, unum in Pado pontem, unum item in Tanaro reliquerant, reliquos interruperant; & nihilo tamen secius per eos dies Mantuæ subsidio, eique circum regioni cohortes vi. emiserant, expectabantque ancipiti cura distracti, dum aliquid nostri certius conarentur.

Interim Vievillæus legatus Placentiæ appropinquabat, quæ dc. non longe a Pado passus in campis posita æquissimis arcem habet non admodum probe munitam. Hujus urbis, itemque Parmæ imperium, atque hæreditas, agnationis lege, venire dicebatur ad Elysam

Far-

Farnesiam Hispaniæ Reginam, quæ reliqua erat una ex ea familia, quæ iis in civitatibus regnum multos annos obtinuerat. Tunc ex Vormaciensi, ut diximus, fœdere ab Rege Sardiniæ possidebatur. Nihilominus Placentini sive desiderio veteris dominationis, sive odio præsentis, Borboniis partibus studebant. Ii, qui in primo Vievillæi agmine ibant, Placentiam, eamque ad partem improviso accedunt, qua vergit urbs ad septemtriones, & fons est Augusti vetustissimus, qui magna aquæ vi in Padum illabens portum efficit opportunum. Scalis admotis, muros transcendunt, effractaque porta, primo urbem impetu invadunt; neque quidquam propius est factum, quam ut prædæ studio a Borboniis militibus amicissimorum hominum oppidum e vestigio diriperetur: nihil adeo milites inania juvant partium studia. Sed legatus in tempore adveniens militum licentiam auctoritate, minisque compressit. At Subalpini, quos numero ad dcc. præsidii causa eo miserat Sardiniæ Rex, quum nonnulli in ipso tumultu excepti ab nostris essent, reliqui fere omnes in arcem confugiunt. Primo confirmant se, & colligunt, tormentisque prolatis, conantur arcem defendere: postea vero ubi potissimum ab ea parte, quæ spectat in meridiem, juxtaque portam, quæ a Raymundi Fano appellatur, extrui aggerem, tela, ignesque accidere creberrimos, murumque arcis labefactari, & nostros ad vallum usque sibi aditum operibus patefecisse vident, fractis jam animis, & desperatis omnibus au-

xiliis, colloquium petunt, & se, atque arcem Vievillæo dedere coguntur. Quo facto Subalpini milites præsidiarii ferme omnes sacramentum apud Hispanos, & Neapolitanos dicunt.

Recepta Vievillæus Placentia, nihil moratus Parmam contendit; eoque item oppido, secunda oppidanorum voluntate, sine ulla contentione potitur, propterea quod Austriaci milites, dccc., qui ibi erant præsidio, Placentinæ arcis casu cognito, sub adventum nostrorum oppido excesserant, statimque Mirandulam profugerant. Quibus rebus gestis, & Bobiensi item agro pacato, redit in castra Vievillæus magna felicitatis opinione, fitque ingens inter milites, vulgoque tota Italia inter eos gratulatio, qui, nulla quasi a Borboniis servitus impenderet, liberam, ejectis Austriacis, & florentem Italiam fore dictitabant, & victores venire Borbonios lætabantur. Qua in lætitia unus mœrebat Gagius, propterea quod secundis tot rebus nondum consequi poterat, quod sibi erat propositum maxime, ut ad suarum rerum periculum hostes aut abstraheret, aut diduceret. Nam tametsi Sculemburgius, cognitis iis rebus, quæ erant Placentiæ, Parmæ, ac Bobiensi in agro gestæ, Pertusatum miserat, qui cum cohortibus, turmisque aliquot equitum dexteram Padi ripam asservaret, necubi effecto ponte, nostri copias transducerent; non tamen ipse ab Augusta Batienorum, Regeque Sardiniæ discesserat. Et nihilominus non desperans Gagius, huc aliquando descensurum Sculemburgium, ipse, quum se

ad

ad Castrum Philippus novum contulisset, omnem ferme exercitum suum Iriam ducit, quæ est cis Padum, non vici instar, sed urbis, atque abest a Castronovo circiter millia passuum ii. Eo quum venisset, eadem usus simulatione itineris pontem, quem non longe a Stratellia fieri imperaverat, ut antea dictum est, properari, & perfici jubet. Perfectum munitionibus maximis, adductisque tormentis communit, firmumque collocat eam ad partem pontis, quæ conversa erat ad hostem, præsidium Hispanorum Pyrochitrophorum, & Genuensium militum, quibus Protrib. mil. Joannes Carolus Pallavicinus præerat; eodemque tempore, quo Philippus Marchionem Castellarensem cum legionibus Parmensi, & ea, quæ Flandria appellatur, Parmam, Placentiamque cum imperio miserat, qui earum civitatum præsidia tueretur; quibus ex præsidiis, quos ibi Vievillæus reliquerat, milites deducebantur, & cum iis copiis ab ea, quantum posset, parte contra hostem progrederetur; ipse Vievillæum cum aliquot hominum millibus ire Ticinum jubet.

Ticini erant præsidii causa dc. ex Croatia velites. Præterea exploratores renunciaverant, nullos fere esse portis custodes, nullas agi noctu vigilias, languidos interdiu, & infrequentes versari velites in muro, ipsum oppidi murum locis nonnullis vitium fecisse. Quibus rebus cognitis, Vievillæus Æmiliam ingressus viam, deque ea declinans ad sinistram, effecto, ut diximus, non longe a Stra-

tellia ponte, transducit exercitum, quum transire illum Austriaci magis ægre ferrent, quam obsistere auderent; & vitato Padi, & Ticini confluente, multo commodiore, atque occultiore itinere progressus, præmisso cum levis armaturæ peditibus cc. Flobertio militari architecto de exercitu Hispano, qui aditum ad urbem tentaret, siqua, hostibus inopinantibus, posset irrumpi, ipse cum reliquis copiis subsequitur, in noctemque conjectus, quum non longe abesset ab oppido, idoneum nactus locum, ibi consedit, ignesque fieri prohibuit, nequa sui adventus procul significatio fieret. Flobertius nocte intempesta silentio accesserat ad portam, quæ occurrit Cremona venientibus, eamque contra atque exploratores ad legatum detulerant, custoditam offendit. Nam, quod erat nostris incognitum, mille & quingenti Austriaci milites legionarii ab Sculemburgio submissi ea nocte in urbem intraverant, erantque propter hostium propinquitatem, & suorum auctum numerum in custodienda urbe paulo attentiores. Itaque vigiles, portæque custodes mature sentiunt, & clamore sublato, jacula coniiciunt; neque tamen, quid rei sit, explorant, aut cavent incredibili socordia. At Hispani pedites, ubi præter opinionem, quos arctissimo somno oppressos languere crediderant, vigilare, & propugnare vident (ut improvisis homines rebus facile exterrentur) primo vehementer perturbantur, deinde terga subito vertunt, & fugere contendunt. Fugientes increpat Flobertius, quid-

nam

nam vererentur? paucos esse intus velites, non, quamvis senserint, ausuros prorumpere: simul ducentos a porta passus subsistere in ipsa via jubet, dum paululum digressus ad mœnia accedit ipse speculandi causa. Ille omnia circumspectans animadvertit, muri partem quamdam exesam vetustate corruere, eminentibusque ex ruina saxis non difficilem dare ingredientibus adscensum. Hac explorata re, accurrit ad suos; quid viderit, & quid fieri velit, ostendit; dubitantes confirmat, prædam ostentat. Quibus rebus invitati pedites eundem regressi sequuntur ducem itineris, qui erat agminis, occultatique fossa, & subnubila nocte ad locum pergunt. Ibi Flobertius ipse, cæteris audaciam ut adderet, saxis nixus eminentibus, primus murum ascendit; inde, traditis per manus armis, alii alios exceptantes, ascendunt omnes, perque aggerem progressi munitionis, orbe facto, in stationem irrumpunt, quæ erat ad portam collocata, ipsamque, custodibus obtruncatis, portam refringunt. Mittit confestim Flobertius, qui rem gestam Vievillæo nunciet. Vievillæus, qui longiore mora distentus, spe metuque æstuabat, statim cum nuntio proficiscitur. Interea ex clamore, fremituque concursantium tota urbe rumor percrebuit, expugnari oppidum, venisse hostes. Quo in tumultu dum oppidani semisomnes stupent, Austriaci milites, arreptis armis, procedunt in medium, & viis atque angiportis occupatis, Flobertianos repellere conantur. Committitur prælium, longiusque con-

consul-

fulto a Flobertio cedendo, resistendoque producitur. Ecce autem, pugnantibus utrisque acriter, atque albente jam cælo, Vievillæus legatus omnibus copiis urbem ingreditur. Tum vero Austriaci novitate rei, & multitudine nostrorum commoti, perterritique repugnare diutius non potuerunt, atque in fugam conjecti, nonnullis amissis, in arcem dcccc. confugiunt. Reliqui sese oppido foras Alexandrina porta proripiunt, Ticinumque amnem lapideo ponte transgressi, qui pons oppidum contingit, ad suos sese incolumes recipiunt. Postridie, qui in arcem confugerant, se, suaque omnia sine mora Vievillæo dediderunt.

Gagius semper, ut videbatur, spectans, si tot diversis itineribus hostium copias diducere posset, per causam submittendi Vievillæo auxilii Silvam castrorum Præfectum cum cohortibus vii. & duabus equitum, totidemque Draconum alis Ticinum statim contendere jubet. Eo etiam confluunt deducti Parmâ Placentiâque milites, quorum in locum missas cum Castellarensi legiones duas demonstravimus. Eodem ipse cum universo exercitu Gagius imminere, & cogitare dicitur. Dies palam dicitur, qua die castra moveantur. Vievillæus, capto Ticino, latius cum equitatu vagatur, maximumque toti provinciæ terrorem infert. Trepidatur Mediolani, sic ut civitas ipsa, missis ad Vievillæum legatis, de deditione agat. Hoc statim per exploratores defertur ad hostem. Sculemburgius his omnibus rebus invitatus, quum neque tantum sine gra-

vi

vi causa convenire Ticinum copiarum, neque iter tam longe avertisse ab hoste Gagium arbitraretur, Mediolano timens ab Rege Sardiniæ discedendum sibi esse statuit, retinenteque Rege, negat enimvero ferendum esse, ut, sedente se, omni Regina Ungariæ in Italia imperio deiiciatur: Mediolanum hostes non obscure petere: arcem illam neque satis munitam esse, neque paratam ab defensoribus. Itaque vel ad speciem exercitus, vel ponti, locoque præsidio cohortibus ad Augustam Batienorum relictis ii., ipse cum reliquis copiis Padum transgressus per Laumellinum agrum omni incitatus studio Mediolanum ferebatur, ut arcem, & transpadanam illam omnem regionem tueretur, & si deprehensos in itinere Borbonios opprimendi daretur occasio, facultatem ne prætermitteret.

Gagius lætanti jam animo, & spe optima confirmatus, quod perinde, ut in concilio pronunciaverat, tandem erant hostes diducti, qua die profectum Sculemburgium cognovit, ea die castra movet; is dies erat ad V. Kal. Octob. & non Ticinum, Mediolanumque versus, uti omnium erat sermo, proficiscitur, sed repente quasi commutato consilio, revocatis etiam, quas Ticinum submiserat, cohortibus, equitumque alis, & præsidio ponti, quem in Pado fecerat, Ticinoque, Iriæque oppidis, quantum satis esse visum est, relicto, ipse, copiis reliquis omnibus contractis, quum advesperasceret, regredi Dertonam versus cœpit, Iriamque amnem, ponte minus v. horis facto,

cto, transgressus, ea celeritate xv. circiter millium noctuabundus viam processit, ut quum lucesceret, ad Tanarum e regione Augustæ Batienorum perveniret. Eo etiam transgressi flumen e regione Rivaronis, ac Montis castelli, sicuti inter eos pridie convenerat, diverso sub lucem item confecto itinere, Philippus, & Malibojus, dato signo, concurrunt.

Oritur Tanarus ex Apennino, qua proxime pertinet ad Alpes maritimas, torrentibusque auctus xii. tamen neque ea est altitudine, neque rapiditate aquæ, quin pluribus locis vado transiri queat; præsertim sudum si diutius fuerit, ut tum accidit: atque ubi Pado appropinquat, in quem influit, Alexandriam alluit, & non longe a Monte castello, atque Augusta Batienorum labitur, quæ inter loca, Subalpini atque Austriaci castra fecerant. Castra erant, ut demonstratum sæpe est, natura, atque opere munitissima. Alexandria, Forumque Fulvii erant oppida a tergo utroque in latere. Sinistrà erat Padus, dextrâ Tanarus, atque ubi se amnis ipse Tanarus ad angulum inflexerat, ante frontem castrorum fluebat, in eoque amne pons, atque ad capita pontis, & secundum fluminis ripas perpetuæ fere stationes, & munitiones erant. Præterea rubis, sentibusque interjectis viæ impeditæ, congestisque saxis, & crebris arboribus succisis, atque inflexis aditus præclusi omnes, ut eo penetrari singulari etiam homini difficillimum videretur posse, idque ita recte videbatur, ut, quum adventus Borboniorum

rum Regi Sardiniæ nunciaretur, aliquandiu fides fieri non posset: tantam habebat loci fiduciam, sperabatque, si tam arduum Borbonii facinus auderent, aut tandiu repugnare facile posse, dum, cognito hostium adventu, Sculemburgius regrederetur, aut temeritatis ipsos præsentem daturos pœnam, quum loco iniquo, atque in ipso flumine dimicare cogerentur. Quibus difficultatibus non frangebantur animi Borboniorum, sed incitabantur, quo celerius, vadis repertis, flumen transirent, opprimerentque Subalpinos discessu Austriacorum relictos a firmissimo robore veteranorum militum. Itaque, triplici instructa acie, hostibus, Tanaroque appropinquabant. Nocturnum erat iter, multisque anfractibus devium. Consilium imperatorum ne efferretur, perpauci tenebant legati. Perpauci item erant itineris duces, hique ipsi eadem consilii ignoratione non omnino locum noverant, quem peterent. Ignari autem milites, quo ducerentur, partim properabant, partim morabantur, & tormenta ad prælium necessaria ab iis tardius administrabantur, qui ei negotio præerant, & quæ tormentis præsidio erant, Belgarum Prætorianorum cohortes duæ lentius subsequebantur. At Gagius, qui dextro cornu cum Mutinensium una Duce præerat, jam quum orta luce ad Tanarum, ut diximus, pervenisset, neque dum ob difficultates, quæ supra sunt demonstratæ, reliquæ essent copiæ consequutæ, eas, quod res in celeritate posita esse videbatur, non putavit expectandas;
at-

atque ad Subalpinos, qui adversam confertissimo equitatu ripam obtinebant, dextram intendens, simul proximos respiciens equites regios: Habetis, inquit, Equites, eundem in conspectu hostem, quem Camposanctensi prælio fudistis: eandem vos ad Tanarum præstate virtutem, quam, ipso me duce, ad Scultennam præstitistis: jam fugam ille circumspectans, impetum certe vestrum non feret. Hæc quam brevissime potuit eloquutus, equo admisso, in medium irruit flumen. Illum primo equites regii statim sequuntur, equitatus nostri pars ferocissima, atque hos pedites circiter mille: aliæ post aliquanto cohortes, equitumque turmæ conveniunt: postremo dextera omnis pars reliqua, quæ ignorantià loci deerraverat, a Silva castrorum Præfecto, qui partem itineris noverat, revocata, flumen jam ingrediebatur; & non longo ab ea intervallo paulo supra, quam Tanarus, & Padus confluant, Escerius cum ii. millibus partim Neapolitanorum, partim Genuensium, quorum Genuensium in eo prælio virtus ipsis admirationi fuit veteranis, Tanarum se transjecerat eo consilio, ut Austriacorum in Pado pontem occuparet, eosque transitu prohiberet.

Jam Gagius apprehenderat ripas, hostibusque submotis, magnam ubique cladem, majoremque multo terrorem intulerat, eodemque tempore ab sinistro cornu in dextram hostium partem Philippus, & Malibojus, &, qui mediam aciem ducebat, Aramburus legatus in mediam item illorum aciem, flu-

men

men tranſgreſſi, impetum facere cœperunt. Qua in re admodum fuit Borboniorum virtus laudanda. Nam, quum ſolo ex aqua capite extarent, ea celeritate, audaciaque ierunt, ut plerique ex hoſtibus aut ſubito, uti noctu conquieverant, opprimerentur in tabernaculis, aut impedimentis ſarciniſque relictis, turpiter profugerent; iique ipſi, quibus animus fuiſſet ad reſiſtendum, vitamque, quoquo modo ſe res haberet, ferro reddendam, tamen reliquorum fugâ abrepti pellerentur, ripas munitioneſque dimitterent, inque locis conſiſtere ſuperioribus non auderent. Quod vero plus erant ſpatii in latitudinem complexi caſtris, quam quantum copiis explere ſuis poſſent, quodque pluribus noſtri locis irrumpebant, idcirco ipſi neceſſario diducebantur, ac laxabantur; & diductis cohortibus, laxatiſque manipulis, neque erant, ſi repugnarent, ad excipiendum impetum noſtrorum idonei, neque, ſi ſe reciperent, unum habebant omnes receptum, quum diverſi fugerent, & pars Alexandriam, Forum pars Fulvii peteret. Ipſorum autem equitatus, ut peditum ſuorum receptui, ſi poſſet, conſuleret, non longe ab Auguſta Batienorum leniter acclivi loco, conſertiſque turmis conſtiterat, & primo emiſſis jaculis, deinde, gladiis diſtrictis, noſtros, qui ab dextero cornu ſuccedebant, diſtinere conabantur. At equites regii, quos flumen tranſiſſe primos dixeramus, indignantes, quod conſpectum ſuum ſubalpini equites ferre poſſent, emiſſis & ipſi jaculis ad gladios redierant,

rant, tantaque vi procurrerant, ut eorum nemo consisteret, universique terga verterent, atque angusto per colles, saltusque itinere, incitatis equis, fugere perseverarent. Tum vero, pulso equitatu, omnis Sardiniæ Regis exercitus, qui jam inclinaverat, tumultuosius agi, dissiparique cœpit. Dissipatos, fugientesque Alexandriæ, Forique Fulvii arces vix tandem protegunt. Augustam Batienorum, quam propter loci opportunitatem tueri paulisper poterant, tantum ut receptum adjuvarent suorum, indefensam relinquunt. Nonnullæ cohortes integræ, ne tentata quidem defensionis spe, abjectis armis, dediderunt sese; adeoque erant omnium fracti animi, atque perculsi, ut nemo esset tam fortis, qui de resistendo cogitaret. Compluribus suffossis, & captis equis, illatisque vulneribus, equites, peditesque illorum aut cursu exanimati prosternebantur in via, aut fugientes obterebantur a suis, concidebantur a nostris; coacervatisque hominibus, & jumentis, omnia longe lateque tumultus obtinebat, pavor, cædes. Ipse in fuga postremus, atque in periculo princeps, Sardiniæ Rex, ubi (quod in periculo summo obsequium non recipit timor) cohortationes, atque imperia negligi sua videt, paucis equitibus, Filioque comitatus magni animi, ingeniique Adolescente, ad Forum Fulvii protinus, equo citato, contendit: atque ibi paulisper commoratus, dum collectum ex fuga peditatum sub ipsis oppidi mœnibus consistere, & celeritatem cohibere insequentium
ju-

jubet, nocturno ipſe itinere non intermiſſo, Caſale venit, eoque diſſipatas convenire copias, caſtraque ad oppidum transferri imperavit.

At Sculemburgium properantem Mediolano ferre ſubſidium, quum jam aliquot in eam arcem cohortes ſubmiſiſſet, crebri ſunt ab Rege Sardiniæ in itinere nuncii conſequuti, adeſſe omnibus copiis Borbonios, Tanarumque tranſire. Quibus ille nunciis incitatus, regredi feſtinavit, neque tamen ſatis mature advenit; propterea quod, fugatis ii. ſuis ad Auguſtam Batienorum cohortibus, de quibus ſupra dictum eſt, pontem, quem ipſe in Pado fecerat, munitionemque Eſcerius præoccupaverat, Auſtriacoſque & eos, qui per pontem ſeſe raptim recipiebant, & eos, qui cum Sculemburgio ad fluminis ripam adverſam ſero pervenerant, allatis tormentis duobus, telis jaculiſque inſectabatur; & deterruerat etiam, quominus lintres, quibus efficiebatur pons, recuperarent illi, aut id, quod facere jam cœperant, incendio corrumperent. Deſperato Sculemburgius tranſitu, incendioque navium, &, quum reſpexiſſet, conſpicatus in altera Padi parte effuſe fugere Subalpinos, eorum accuſans ignaviam, quod ne primum quidem noſtrorum impetum ex loco ſuperiore tuliſſent, & ſe a Gagio deluſum fremens, ſecundum ire flumen perrexit, atque opportuno loco e regione Caſalis oppidi caſtra fecit, ſic ut ſuæ cum exercitu Regis Sardiniæ copiæ, facto ponte, conjungerentur.

Fusis, fugatisque hostibus, Philippus, eorumque castris, atque impedimentis ferme omnibus potitus, in iisdem ipsis castris concilium statim advocat: & Gagius quidem utendum fortunæ beneficio, nullum victis spatium dandum censebat. Agitare fugam milites eorum, deditionem populares: omnia repentino terrore prostrata jacere. Quocirca instandum perterritis, inermibus, fugientibus: neque arduum quicquam existimandum victoribus, iisque militibus, quos nulla flumina, nullæ unquam munitiones, aut difficultates tardaverint, nunquam, infecta re, arma posuerint. Contra ea Malibojus, & satis ad gloriam, atque ad utilitatem profectum eo prælio, neque ultra, quam satis esset, temere audendum dicebat: multorum millium iter noctu confectum, trajectum Tanarum, propulsos hostes, castra occupata, atque horis hæc acta omnia minus duodecim: quare tam defatigatis militibus parcendum esse, ne, consumptis viribus, animum in victoria ipsa despondere cogantur. Fortunæ vero quatenus credendum? quoties esse perculsos insequentes a fugientibus? quoties victis cessisse victores? multa quidem in bello existere improvisa propter ignorationem maxime locorum, ignorationem hostium. Subesse arces non tam manu, quam natura munitissimas, itinerum angustias, persequi quæ fugientes prohibeant; denique hostem subesse, cujus in ipsa fuga consilium aliquod callidius ne lateat, magis verendum, quam triumphandum, quod in pugna per-
ter-

territus fugerit;quum præsertim incolumi adhuc exercitu, atque integris Austriacorum auxiliis non fugisse, sed locum belli gerendi mutasse videatur. Proinde etiam atque etiam considerarent, quo progrederentur, ne inconsulte progressis gravius etiã ex commutatione rerum, quam si nunquam vicerint, dolere contingat.

Hæc valuit sententia, frustra quanquam ei refragaretur Gagius; sæpe, ut dicebatur, querens ad eorum sibi esse bellandum voluntatem, qui victoria uti ipsa aut nollent, aut certe nescirent. Erat sane occasio bene gerendæ rei, idque cum reliqui duces, tum milites ipsi videbant, qui mirabili ardebant cupiditate insequendi hostes; magnaque erat omnium admiratio, & querela, peccari adeo in hoc bello tarditate, ut parta jam præsensque victoria quodammodo excideret e manibus. Qua in re illud maxime admirandum videbatur, quod Galli, quorum generi hominum innata esse dicitur alacritas quædam, & celeritas conficiendi negotii, ubi valde erat opus properato, ibi insisterent, & Hispanos ipsos cunctatione vincerent. Ipse imprimis male audiebat vulgo Malibojus, atque apud Hispanos potissimum offenderat, quorum ipse cupiditati moras interponere omnes credebatur. Erant etiam, qui aliqua fortasse sufflusi malevolentia adderent, atque affingerent, quod res poscere videbatur, neque abhorrebat ab homine: longius non sine causa bellum duci, exhauriri ducendo bello provincias, imperatorum autem domos repleri. Qui

vero se minus malevolos, & paulo diligentiores existimari volebant rerum investigatores, veterem Maliboii cum Rege Sardiniæ amicitiam, & Regis in eum beneficium, quod erat maximum, commemorabant. Namque is sub finem proxime recentis Italici belli deprecatore usus Rege Sardiniæ, Magisterium erat adeptus Gallicæ militiæ. Itaque nimium illum esse gratum dictitabant, nimiumque memorem. Nobis, quum nihil horum perspicuum sit, neque constet inter omnes, indignum videtur incertis rumoribus obterere famam fortissimi viri: præsertim quum hujusce tarditatis, qua præcipue factum esse dicitur, ut nihil tantis viribus in Italia præclarum Borbonii egerint, auctorem fuisse Philippum Argensonium inquirendo reperimus. Argensonius gratia, & consilio apud Regem Galliæ plurimum poterat, & exteris apud illum præerat rebus. Huic erat exemplo maxime proximi superioris belli persuasissimum, ad prosperam adversamve armorum in Italia fortunam omnino interesse, qualis fuerit Sardiniæ Rex, socius, an hostis; neque, eo repugnante, profici quicquam posse inculcabat ipse sæpissime, ob eamque causam ab Italico erat bello alienissimus; & diluere, si quid contra afferretur, non magnopere curabat. Pertinacià enim summà erat, ut quamcumque imbiberet animo opinionem, nulla unquam ratione deponeret. Oderat præterea vastam, atque, ut ajebat, insaturabilem Hispanorum cupiditatem, qui nullis finibus aliis, nisi extrema Leucopetra, at-

que

que Alpibus ſpem terminarent ſuæ in Italia poſſeſſionis; & vehementer ad Galliæ Regem pertinere arbitrabatur, non pati, homines natura ipſa imperioſi, & feroces tantis ut inſuper opibus convaleſcant, ut poſſint, atque audeant conditionibus reclamare, quas ipſe tulerit. Proinde hæc erat ejus perpetua, atque conſtans de bello Italico ſententia; cum Rege Sardiniæ ita bellum eſſe adminiſtrandum, ut quæſita ſocietas videatur; cum Hiſpanis ita habendam ſocietatem, ut non multum inde adjuventur. Eà item de cauſa ad Italicum bellum ſummo cum imperio mittendum curaverat Malibojum affinem ſuum, quem eadem ſentire, & ſecum facere cognoverat, eique proficiſcenti occulte præceperat, maximam Hiſpanis ſpem oſtenderet, in reliquis ne properaret; & cum Rege Sardiniæ haberet potius, quam gereret bellum. Ita accidit, ut, dum Borbonii victores ſedent otioſius, Sardiniæ Rex quietiſſime, ſe, ſuoſque ex fuga, ac terrore reciperet.

Dum hæc in Ciſalpina Gallia geruntur, Britanni, ſive eo, quod maritimis commeatibus exercitus noſtros excludere conarentur, ſive ira quadam commoti, quod reſeraſſe Italiam Borboniis ſoli Genuenſes dicebantur, ſive etiam (ut ipſi poſtea deteſtandæ invidiæ gratia prædicabant, ne præter bellandi morem, atque jus feciſſe viderentur, quod eorum eſſent hominum urbem hoſtilem in modum adorti, adverſus quos amicitiæ cauſas complures proferre poterant, nullam belli)

ab Rege Sardiniæ, ſuoque apud Regem legato Villetio incitati, quum, immiſſis primum aliquot ex eodem curſu in Savonem ollis incendiariis, nihil profeciſſent, Genuam acceſſerant cum claſſe navium xi. bellicarum, & navigiorum incendiariorum iv., horribilemque, fluitantibus in alto navibus, ſpeciem præbebant, quaſi fœdiſſimam pulcherrimæ civitati cladem jam jamque inferre viderentur. Ipſe eſſe in claſſe dicebatur Villetius, qui, Claſſis Præfectum ut impelleret hæſitantem, Auguſta Taurinorum profectus eo advolarat, Præfectumque in mari medio eadem de cauſa convenerat. Sed tanta fuit civium diligentia, virtus, concordia, ea loci munitio, & muralium tormentorum copia, ut, viſa Britannorum claſſe, Genuenſibus res nulla ad defenſionem urbis defuerit. Nam & omnem murorum partem eam, quæ mari alluitur, & jactas in mare moles, quæ portum efficiunt amplum, atque tutum, crebris tormentis, cuſtodiiſque communiverant, faucibuſque portus triremes v. ſuas productas, interque ſe conjunctas, objecerant, tum etiam navigia, e quibus præparatas ad incendium ollas in hoſtes immitterent, in utroque portus cornu collocaverant, quo facilius, ſi naves Britannicæ accedere propius auderent, multitudine telorum, jactuque ollarum repellerentur, quaſſatæve collabeſierent. Erat autem hæc una in civitate contentio, ut is populus, qui ab optimatibus ad patriæ ſalutem incitabatur, idem optimatibus pro patria ſupplicaret, ne laboribus ſuis, neu peri-

cu-

culis parcerent. Quibus rebus cognitis, Britanni quum unam jam navem, unumque item incendiarium navigium adactis ex urbe telis afflictum subducere coacti essent ad Labronem, quumque immissas in urbem ollas incendiarias propter longinquitatem non collineassent, aut ipsæ, dum immitterentur, ollæ disruptæ interiissent, ne majus aliquod incommodum acciperent, neve tempus frustra tererent, quod neque prohibere ab Hispania Neapolique commeatus, neque cogitatam urbi cladem inferre poterant, in conspectum Genuensibus aliquot sese dies quum dedissent, ex eo loco cum classe discesserunt. Porro eandem aliquanto post ad Finarium experti fortunam, tandem, anchoris jactis, contra Remopolim constiterant: quod est oppidum Genuensium in ea Ligustici litoris extrema fere parte, quæ vergit ad occidentem solem. Remopolitæ, seu quod ab hostibus Genuensium non nimis valde animo abhorrerent, sive eo, quod missis legatis, placari Britannos posse confiderent, defensionis consilio neglecto, quod unum saluti, atque honori ipsis fuisset, ex suis aliquos ultro ad eos miserunt, ut sibi parcerent, utque suis omnibus facultatibus uterentur. Repudiata legatione, cujus publice mittendæ, non consentientibus Genuensibus, quorum erant in ditione, potestatem habebant Remopolitæ nullam, Britanni, eo etiam magis, quod irrito ad Savonem, Genuam, Finariumque conatu incitabantur, ollas in oppidum incendiarias jacere cœperunt, & missis e vestigio aphractis

ſuis, qui actuarias eorum, quæ ad anchoras erant in litore deligatæ, deprimerent, aut incenderent; quin cunctæ perirent, ſerius ad defenſionem excitati Remopolitæ prohibuerunt. Tota Remopolis ollis quatefacta incendiariis, ac diruta fere eſt, in horribilique deinceps patriæ excidio oppidani aſſidentes, quum jam illi abiiſſent, vim fruſtra Britannorum, & ſtultitiam ſunt ſuam execrati.

Borbonii, prælio ad Auguſtam Batienorum majori hoſtium fuga, quam cæde facto, quum id neglexiſſent, ſibi quod fuerat conandum, atque omni ratione efficiendum, ut perterritos inſequerentur Subalpinos, minus expedito uſi conſilio in veteribus illorum caſtris conſederunt, partitique ſunt inter ſe, qui Forum Fulvii, qui Alexandriam oppugnarent. Philippus opportuno, neque infrequenti loco, qui locus eſt in agro Caſalenſi, & appellatur Servator, prætorium conſtituerat. Equitatus ferme omnis Gallicus, Hiſpanus, & Neapolitanus erat ad Auguſtam Batienorum ſecundum Padum, quo commodius aquaretur, & per pontem miſſus in oppoſitum Laumellinum agrum pabulum conveheret facilius, hoſtes rapinis excurſionibuſque prohiberet. His rebus, atque inanibus ex victoria gratulationibus, & arcis Alexandrinæ, quæ nunquam oppugnaretur, munitionibus perſpiciendis xi. dies tribuuntur. Tandem delectus, qui oppugnaret Alexandriam, Caravacalius legatus, urbem oppugnare primum inſtituit: quæ quidem Tanaro ab arce flumine dividitur, lapideoque rur-

rurſus ponte adjungitur. Latiſſima item foſſa, muroque cingitur non mediocrem in altitudinem elato, cujus ingens eſt craſſitudo, eaque firmitas, ut facile ictum repellat telorum. Sunt etiam paribus excitatæ ſpatiis turres opere vetuſto, ut, commutata urbium oppugnandarum ratione, nunc quidem magis ad ſpeciem, quam ad defenſionem valeant. Unum tamen eſt projectum e muro propugnaculum, propter ipſum Tanarum, qua parte urbs in occidentem ſpectat, atque hujus ſumma eſſe propugnaculi opportunitas videbatur poſſe ad arcem tormentis concutiendam, ſi oppugnare illam noſtri, quam infelici circumvallare conſilio maluiſſent. Arx eſt probe munita, ædificataque ex deſcriptione Vobanii Galli militaris Architecti, præclara hominis diſciplina & fama. Ignatius Iſnardius Marchio Carallienſis arci urbique præerat cum iii. Subalpinorum millibus, quorum pars arcem, pars urbem tuebatur; eratque exiguus ſane pro ambitu mœnium urbis numerus defenſorum. Hanc rem quum legatus animadvertiſſet, non inutilem ad capiendum conſilium exiſtimavit. Itaque pluribus irrumpere locis ſimulabat, & murum aſcendere ab ea maxime parte velle videbatur, qua propugnaculum eſſe diximus. Subalpini præmetuentes loco, magno concurſu eo contendunt, jaculiſque, & adactis ex propugnaculo telis, deturbare ſubeuntes conantur, cæteris muri partibus neceſſario propter militum paucitatem neglectis. Interim noſtri hac uſi occaſione, non longe a porta, quæ Genuenſis dicitur, ag-

ge-

gerem extruunt, omniaque prius sunt opera perfecta, tormentaque ad oppidum acta xx., quam perfici opera illi sentirent, aut prohibere possent. Alexandrini pro vetere clientela Hispanis esse dicebantur amicissimi. Itaque sive studio partium, sive quod vereri se dicerent, ne per vim expugnatum diriperetur oppidum; omnes certe palam de deditione loquebantur. Contra Subalpinis studium erat, & virtus ad propugnandum acerrima, neque ulla, tam paucis militibus, diurni, nocturnique temporis ad laborem pars intermittebatur. Tertio demum oppugnationis die circumfunduntur nocte nostri ab ea etiam parte, quæ ad Tanari, & Bormiæ confluentem vergit, oppidumque ex adscensu tentare videntur; eodemque tempore ab altera item parte, qua nostra erant opera exstructa, complura tormentis tela coniiciuntur. Corruunt urbis tecta nonnulla. Fremunt oppidani. Ipsi confecti lassitudine, ac vigilia milites jam non sustinent. Auget nox metum, graviusque ex tenebris, metuque periculum æstimatur turbarum. Quibus rebus permotus Isnardius, simul veritus, ne inter tumultum captæ urbis, nocturnique temporis licentiam ipse intercluderetur a nostris, qui, si irrumperent, pontem occupaturi videbantur; subito in arcem cum suis confugit, pontemque rescidit. Quo facto Alexandrini Borbonios prima luce accersunt, oppidoque recipiunt.

De arce non oppugnanda deliberatum jam erat apud Philippum, & quanquam Hispani,

&

& Genuenſes non obſcure diſſentire viderentur, decretum tamen erat, ut obſideretur. Cur enim contrucidari milites? cur fieri paterentur operum ſumptus ingentes? cur denique arcem tanta jactura oppugnarent? quæ neceſſariam circumvallata deditionem ſubiret, & ſequeretur ultro, brevique fortunam reliqui belli? His rationibus, atque aliis, quas memoriæ prodere non ſatis cauſæ putamus, pervicerant in concilio duces nonnulli, ut, neglecta oppugnatione, circumſederetur arx: atque ita loquebantur, quaſi certi eſſent armorum exitus, neque ulla commutatio rerum accidere poſſet. Poſtea vero, converſis rebus, cognitum ſero eſt, rejecto fortiore, conſilium valuiſſe minus ſalutare, expectataque obſeſſionis tarditate, eſſe arcem amiſſam, quæ permagni erat ad Italicum bellum momenti, & quæ expugnari facile tunc a Borboniis poterat, ſi tantum ipſis conſilii fuiſſet, quantum erat virium. Sed opportunis locis præſidia ſunt poſita, factaque eſt arcis circummunitio arctior, & Vielmus Leſſius cum Liguſtica legione, cohortibuſque aliis de omni exercitu relictus, qui toti negotio præeſſet, commeatuſque in arcem comportari prohiberet.

Inſtituta interim ad Forum Fulvii oppugnatio anni tempore adverſo impediebatur. Id erat oppidum in ripa poſitum Padi, paulo editiore natura loco, arce tenui, atque opere ipſum oppidum partim vetuſto, minuſque firmo, partim recenti munitum; ſic tamen, ut, qua ſunt Caſale verſus recentes intermiſſæ mu-

ni-

nitiones, ipsa tumuli acclivitate oppidum defendatur. Tunc autem major erat ex coortis imbribus oppugnandi difficultas. Abierat enim jam egregia illa cæli tempestas, quæ Borboniorum cœptis incredibili felicitate tamdiu obsecundare posse videbatur, si per duces quosdam consulto, ut videbatur, bellum trahentes fortunæ uti beneficio licuisset; & fluvii, qui frequentissimi sunt in ea regione, commoti assiduis tempestatibus admodum creverant, magnaque erat omnibus locis, atque itineribus facta labes, atque proluvies, adeo ut nisi ægerrime supportari tormenta, & contineri in opere milites non possent, ipsa denique, aggere dilapso, opera non consisterent. Tamen administrante Aramburo legato, qui diligentiam in expugnando oppido adhiberet, difficultates superaverat pertinax militum labor, erantque opera perfecta, tormenta constituta, jamque pars murorum telis concussa procumbebat; quum repente Subalpini, qui præsidio erant oppido, eruptionem faciunt, sub occasumque solis ad nostra opera accedunt. Nostri, quum alius langueret a quotidiano labore, alius in opere versaretur incautius, re nova perturbati initium fugæ faciebant; hoc magis, quod & præsenti hostium, qui intolerantius succedebant, & longinquo muralium tormentorum malo infestabantur. Ibi tum Hispanorum Prætorianorum Centurio propter rei militaris flagitium ira flagrans, confosso milite, qui terga vertebat, reliquos quosque acerbioribus verbis interrogans, solerentne prætoriani

mi-

milites fugere, inclinantes restituit: & Varennensis eodem tempore legionis de exercitu Genuensi, itemque Virtianæ legionis Pyrochitrophori, Belgæque Prætoriani inter se cohortati, ne, integros quos superavissent, victos extimescerent, cuneo facto, ruunt in hostes, eosque, multis vulneratis, atque interfectis, in oppidum repellunt. At illi, ubi nostris refectis operibus, & diligentiori septis custodia, non defensioni jam, non eruptioni locum esse intellexerunt, atque aucto tormentorum numero, vehementius labefactari murum, percellique, ac discindi propugnacula viderunt, simul veriti sunt, ne, facto a nostris non longe ab oppido in Pado ponte, navibusque aliquot onerariis depressis, subsidiis ipsi, & commeatibus intercluderentur, consilium cœperunt ex oppido noctu profugere. Itaque postero die diffractis tormentis omnibus, quæ erant in oppido, & projecto omni commeatuum genere, ne cui Borboniis usui esset, quum in arcem confugere simulassent, ut ipsis consilium clam esset oppidanis, accensis aliquot in muro ad speciem funalibus, ea porta, quæ est ad Padum, sese multa de nocte foras proripiunt, subitoque universi scaphis excepti refugiunt, perque Laumellinum agrum ad suos mirabili silentio evadunt incolumes. Celeritas tanta fuit illorum, nostrorumque tam remissus, ac negligens in explorandis hostium consiliis animus, ut, quum primo diluculo eorum profectio voce manuque ab oppidanis ex muro significaretur, insidias nostri vererentur, neque prius

pro-

profectos crederent, quam intromissi vacuam offenderunt urbem a defensoribus, & Subalpinorum admirati necessario calliditatem irrisui se fuisse perdoluerunt. Forofulviensis hic fuit oppugnationis exitus.

Philippus, his rebus gestis, Occimianum proficiscitur, pauloque post Casale venit. Subalpinorum cohortes xx. quæ cum dcccc. circiter equitibus ab Rege Sardiniæ relictæ in speculis prope Casale constiterant, jam quum esset ad portas primum Philippi agmen, alia ex parte oppidi sese properantes eiciunt, flumenque transgressi ad reliquos suos advolant, qui castra antea jam a Casali Tridinum transtulerant.

Mons, qui Ferratus dicitur, unius fere diei longe ab alpibus spatio disjunctus leniter ex æquata planitie assurgere incipit, tum collibus, vallibusque distinctus amœnissimis, duobus dextra, sinistraque Tanaro, Padoque fluminibus alluitur, ad ipsorumque fluminum confluentem desinit. Hujus est montis regio optima, & fertilis, & regionis princeps urbs est Casale propter ipsum sita Padum, habuitque quondam, ut illa tempora ferebant, arcem munitissimam, quæ patrum nostrorum memoriâ expugnata a Gallis, & eversa est. Una tum erat virtus Præfecti, maxima loci defensio: nam Roccæsius Hibernicus præstantis animi vir, nullâ periculi denunciatione permotus, cum dc. militibus victori exercitui opponere sese non dubitavit. At Galli elati spe celeris, ut ipsi arbitrabantur, victoriæ, & fortasse

se

ſe majorum ſuorum eodem in loco virtute nimium feroces, eam ſibi arcem oppugnandam depoſcunt. At vero ſive cunctationis tædio, cujus gens eſt intolerantiſſima, ſive quod, non ſatis perſpecto arcis ſitu, primo illam impetu expugnari ſine tormentis poſſe temere crederent, magno certe cum detrimento repulſi ſunt. Itaque morari neceſſario, expectareque coguntur, dum tormenta adducantur, quorum erat ſubvectio duriſſima propter anni, ut diximus, tempus, viaſque omnes alto, tenacique luto corruptas.

Interim Gagius Padi, Tanarique pontes, Ticinique fluminis ripas certis obtineri ſtationibus juſſerat, nequa proruere hoſtes, & circumvenire a tergo noſtros poſſent: eodem etiam tempore & erat ad Haſtam occupandam Pompejam Gramondius Gallorum legatus profectus, & ipſe Gagius Ticinum, Parmamque cohortes, alaſque identidem ſubmittebat, quæ Vievillæi, & Caſtellarenſis exercitus augerent. Quarum rerum expectatione varia angebantur hoſtes, neque certum invenire poterant, progredi ne Philippus longius, an regredi mallet, diverſique rapiebantur. Rex enim Sardiniæ, Haſta a noſtris Pompeja occupata, omne ad ſe bellum transferri, ipſamque imperii ſui ſedem Auguſtam peti Taurinorum arbitrabatur. Auſtriaci autem, tantum Ticini, Parmæque copiarum contrahi quum viderent, Mediolano, Mantuæque timebant; & quum vellet uterque ſibi conſulere, neque alter ſine altero poſſet, non admodum convenie-

niebat inter eos, quid agerent, & quam belli rationem potissimum insisterent. Neque præterea vacabant a bello aspera Alpium culmina, cogebaturque Sardiniæ Rex, in tanta omnium rerum difficultate, eo etiam copiarum, & cogitationis suæ partem derivare. Nam quanquam Sardiniæ Regis legatus Leutronius, ob defensum superiore anno Cuneum, summæ homo virtutis habitus & fidei, ab ea parte non cessaret, tamen Lautrecchius de exercitu Gallico legatus D. Columbani Fanum cœperat, quod Ocelo imminet, ipsumque expugnare Ocelum cum cohortibus xii. conabatur: & Mirapiscensem Gallorum item legatum, qui Ligusticam oram asservabat eam, quæ vergit ad occidentem solem, Cebam in maritimis alpibus ut tandem oppugnaret, Genuenses hortabantur, recteque monebant; quod, Ceba recepta, propter loci opportunitatem, & levi incolarum, qui ferocissimi homines sunt, & Subalpinis infestissimi, præsidio ipsa protegebatur ab hostibus ora, & Galliæ Narbonensis commeatus maxime ad bellum necessarii facile explicabantur. Sed longe esse alia Mirapiscensi mens videbatur. Dum vero Genuensibus Galli imperitiam bellandi, Gallis contra Genuenses incuriam objectant agendi, interque se de belli ratione disputant, belli tempus abit. Ocelum certe Leutronii virtus, Cebam Mirapiscensis indiligentia defendit; & avertit utrosque demum a bello gerendo, quæ suberat hyems iis in locis paulo maturior, & Regi Sardiniæ peropportuna, quem ad-

adverſus Borbonios, ſæviente hyeme, ipſa per ſe altitudo Alpium, itinerum difficultas, frigorum, niviumque immanitas, & vis tutaretur. Ita Oceli, Cebæque arcium oppugnationes, maximæ in maritimis, Cottiiſque Alpibus opportunitatis, dilatæ toties flagitioſis hominum conſiliis, ad extremum anni tempore adverſo dimiſſæ ſunt.

At Caſalenſis arx, tormentis Dertona tandem advectis, conſtitutiſque, atque aliquot ollis immiſſis incendiariis, ad deditionem compellitur. Dedititios Philippus productos omnes, qui gregarii erant milites, neque apud ſe ſacramentum dixerant, Dertonam ad opus in arce faciundum mittit, reliquos, accepta fide, adverſus ſe, ſuoſque ſocios arma non laturos, dimittit incolumes. Roccæſium vero Præfectum ſummopere collaudat, quod ſtrenue arcem defenderit, & proficiſcentem in Britanniam, ut eſſet in Caroli Stuartii exercitu miles voluntarius, non vulgari commendatione proſequitur, quæ fortem ejus, magnumque in Caſalenſi oppugnatione perſpectum animum ſignificaret.

Jam hyems aderat ſumma, & Brignolius-Salius Genuenſi exercitui præpoſitus Genuam cogitabat, cui diſcedenti præclarum ipſe Philippus conſilii, magnitudinis animi, ſummi denique in patriam amoris teſtimonium dedit. Copiæ Genuenſes, Liguſtica legione ad obſidionem arcis Alexandrinæ relicta, nonnulliſque cohortibus Dertonæ, Placentiæque collocatis, reliquæ cum Eſcerio caſtrorum præfe-

cto in Liguſtica ora ad fines Galliæ Narbonenſis hyemare jubentur. Caſali ſua Malibojus hyberna conſtituerat. Haſtam Pompejam, expugnata jam a Gallis arce, cum x. cohortibus Montalius legatus Gallorum tenebat. Philippus cum reliquo exercitu, Gagioque in Galliam Ciſalpinam regrediebatur. Erat de itinere ejus, ut hoſtibus diutius celaretur, incerta edita in vulgus fama. Aliter enim, ac ipſe de Regis Philippi Patris ſententia, atque auctoritate conſtituerat, Placentiam proficiſci dicebatur; quem vulgi rumorem illa multum res adjuvabat, quod eo exercitus pars properare in hyberna videbatur. Ille tridui viam progreſſus, ad Caſtrum novum ad Iram amnem conſiſtere cogitur, imbribus coortis, quorum tanta erat vis, adeoque itinera interrupta, ut ne lente quidem, ac paulatim procedere liceret. Summas flumina ripas ſuperaverant, ponteſque interruperant omnes, & reſtagnaverant late loca, eratque miſerabilis ſane, ac fœdus eluvionum reſpectus, quum arma, viri, equi, jumenta, commeatus paſſim hæſitarent in luto, atque haud procul abeſſet, quin aquis obruerentur. Victis difficultatibus, quum Ticinum, quo cohortes, alaſque aliquot præmiſſas a Gagio fuiſſe diximus, copiæ tandem omnes conveniſſent, & quæ tempeſtatibus in itinere detentæ fuerant, & quæ Placentiam ire ſimulaverant, ipſe poſt paulo Philippus eodem pervenit. Inde Marchione Campoſanctenſi, qui ex vulnere in Dertonenſi oppugnatione accepto convaluerat, cum equi-

equitibus dc. & Pyrochitrophoris mille Mediolanum præmisso, qui adventum suum nunciaret, & caveret ab Austriacis arcem obtinentibus, Ticino ipse digressus Maxentiam venit. Quo quum venisset, præsto ei fuerunt Senatus, Populique Mediolanensis legati publice missi, qui civitatem in ejus potestate dicerent esse, non studio partium properantes, aut subita erga Philippum benevolentia, sed tradito more in cujuscumque Principis verba jurandi, qui propius urbem Mediolanum xx. passuum millia exercitum admoverit. Ille ad xiii. Kal. Jan. ipso Regis Philippi Patris natali die, Mediolanum equo invehitur mirabili celebritate, ac plausu. Nam & comitabantur hominem Dux Mutinensium, Gagiusque, ac Genuensium legatus Dominicus Pallavicinus, multique præterea Duces copiarum, & obviam ei prodierat Senatus universus: effusumque vulgus præteritæ jam dominationis oblitum, & futuræ improvidum exultabat Philippi juventa, novitate apparatus, & studiis inanibus. Nulla etiam fuit regionis illius, & vicinitatis paulo notior civitas, quin partem Senatus ad Philippum miserit gratulatum, oratumque, ut in fidem, & clientelam reciperetur.

Hæc dum apud Borbonios geruntur, Lichtestenius, quem in Lobcoviczii locum Austriaci in Italia exercitus imperatorem successisse libro superiore demonstravimus, sua in castra pervenit. Quæ quum essent castra inter flumina duo, Agoniam, & Sessitem, iisdem

ipſe quoque neceſſario alluvionum, atque imbrium incommodis diſtinebatur, magnaque erat difficultate affectus, qua ratione Ticinum amnem tranſiret. Sed decedentibus paululum aquis, & quod Philippum omnibus fere copiis Mediolanum contendiſſe audierat, vacare a cuſtodibus ripas exiſtimans adverſas, ad amnem Ticinum acceſſit. Secus autem, atque ipſe crediderat, eaſdem diligentiſſime a Vievillæo ripas cuſtoditas quum cognoviſſet, primum, converſo itinere, Sextum venit, quo in loco Ticinus amnis ex Verbano lacu erumpit; deinde eo etiam transjectu prohibitus, quod omnia noſtri loca præoccupaverant, mutato rurſus itinere, caſtra ad Olegium, opportuno, atque edito loco, communit: ubi vero ab Hiſpanis, qui Mediolanum, itemque a Gallis, qui Montemferratum tenebant, urgeri ſe poſſe a fronte, atque a tergo videt, relictis centuriis, turmiſque aliquot ad Olegium, qui Ticini fluminis ripas aſſervarent, Tridinum ipſe demum ſe recepit, ut ibi, communicatis cum Rege Sardiniæ conſiliis, de tota belli ratione conſideratius deliberaret.

At Gagius Mediolano profectus cum xx. hominum millibus ad amnem Ticinum pervenerat, pontemque e regione Olegii efficere ſe velle ſimulaverat. Dum autem Auſtriaci magno concurſu eo contendunt, dum illum, ponte tranſituque ut prohibeant, aggerem extruere, tormenta collocare, ripas denique communire feſtinant, ipſe magnam equitum partem, qui ſuos in equos ſinguli ſingulos

gulos pedites imponerent, occulte, celeriterque progredi jubet, præfectiſque eorum, quid fieri velit, oſtendit. Hi, quum ad locum perveniſſent, qui Gula ſicca appellatur, vado reperto, equites, peditesque ita, uti erat a Gagio præceptum, flumen tranſeunt, raptimque pontem efficiunt, munitionemque ad capita pontis inſtituunt. Qua re nunciata, Gagius extemplo movet, reliquumque eodem ponte tranſducit exercitum. Tranſductum in duas partes diſtribuit, & partem Olegii ſubſiſtere jubet, partem ita collocat, ut Verbano lacu, Ticinoque amne hoſtes intercludantur. Decepti Auſtriaci ſimulatione pontis, ſubitoque equitum, peditumque noſtrorum tranſitu perturbati ſtatim profugiunt, Novariamque continenti impetu petunt. Gagius, longius a Ticino amne ſubmotis hoſtibus, atque expeditis commeatibus, Mediolanum revertitur.

Interim Coraphæus præfectus caſtrorum Regis Neapolis, & trib. mil. legionis Macedonicæ a Caſtellarenſi legato miſſus cum centuriis aliquot Pyrochitrophorum, & equitibus ccc. tormentiſque caſtrenſibus vi. Guardiſtallum Duci Gonſagæ, qui principatum ibi obtinebat, data fide, nihil ſe oppidanis nociturum, occupat; eoque occupato, & communito, Brixelloque item, & Rubiera caſtellis in poteſtatem redactis, nulla interpoſita mora, Regium Lepidi proficiſcitur, ejuſque civitatis imperium Duci Mutinenſium reſtituit. Quo facto, præſidia, cuſtodiaſque ad ripas Gabelli fluminis diſponere, ad ipſaſque Mutinæ

portas provolare cœpit. At Pallavicinus, qui Reginæ Ungariæ jussu Mantuæ præerat, summæ homo in imperio severitatis, ac diligentiæ, cognitis his rebus, copias statim suas contrahit, atque auget. Subsidia Mirandulam, subsidia item in Mutinensem arcem submittit. Frumentum omne, pabulumque ab dextera Padi parte quoquoversus Mantuam ad se ferri jubet. Gravissimas iis, qui non paruerint, pœnas constituit, hoc consilio, ut, si forte Borbonii arces oppugnare illas instituissent, quæ opinio percrebuerat, ipsæ essent arces paratiores, nostri autem inopia rerum necessariarum, durissimoque anni tempore discedere ab oppugnatione cogerentur.

Erant interea Mediolani plena lætitiâ, & gratulatione omnia eorum, qui Philippi, novorumque hospitum adventu gaudere, & eorum, qui ex tantis rebus gestis finem respicere periculorum videbantur. Erat anni tempus a bellicis laboribus remotissimum. Urbs fertilis, & copiosa; ipsi Mediolanenses benigni homines, & perhospitales, ut his omnibus rebus invitati Borbonii, quasi in perpetuum vicissent, neque ulli jam subessent hostes, facile curam omnem, & diligentiam remitterent.

At non languebat Sardiniæ Rex, neque, tantis acceptis incommodis, deserebat se; delectus habebat, renovabat bellum: atque interdum, dejectum se imperii parte maxima, & fructuosissima quum videret sine exercitu, sine commeatu, sine sociorum auxiliis, quos pro-

propria bella, propriæque calamitates premerent, illud cogitabat, si posset consilio vincere, quos superare armis non poterat. Proinde Gallos potissimum respiciebat, qui Italiam ad se minus pertinere arbitrabantur, sperans, illos aut tollerabili aliqua conditione sibi adjungere, aut ab Hispanis, qui dissimillimo sunt ingenio, avertere, aut certe tractandis conditionibus serere inter concordes causam suspicionum, atque inimicitiarum. Et iisdem forte diebus peropportune ceciderat, ut inter Regem Borussiæ, & Reginam Ungariæ pax conciliaretur. Itaque unum illud esse tempus existimans de pace agendi, dum victi sperare Austriaci, sublato in Germania bello teterrimo, & defectione Regis potentissimi, timere Borbonii victores inciperent, dat ejusmodi ad Regem Galliæ literas: Sese quidem defendendi imperii sui causa, non lædendi alterius ad arma descendisse: factum esse nimia Hispanorum cupiditate, atque obsequentia Gallorum, ut bello Italia omnis ardeat gravi, & calamitoso: quo bello intelligere se, quantam jam ipse rerum suarum jacturam fecerit; & videre etiam, quantum sit cito discrimen aditurus omnium reliquarum: nihilominus tamen, nisi Galliæ Rege auctore, atque agente quamprimum ab armis discedatur, eo se esse animo, atque adeo obfirmato, ut ad extremum usque spiritum prius depugnet, quam patiatur dominari in Italia Philippum: regnante enim Neapoli, atque in locupletissimis provinciis Carolo, si Frater ejus Philippus Galliam Cisalpinam teneat, quam sibi, quam liberis suis

ſpem reliquam futuram, aut regnandi, aut omnino quieſcendi? Quum hæc ita ſint, tamen, ut exploratum ſit omnibus, & quietem ſe ab initio ſpectaſſe, & nihil bello, quam ſecuritatem quærere, pacem, quæ conditionibus ſit non iniquis conſtituta, ſeſe non repudiaturum, neque recuſaturum, quominus Philippus in Italia ſedem, regnumque collocet, ſi modo ex æquo, bonoque ita opes quoque ſuæ augeantur, ut non ſemper ſibi ſit a potentiore finitimo timendum. Acceptas Rex Galliæ literas cum Argenſonio communicat, qui quum a bello, ut diximus, Italico valde abhorreret, magnopere auctor fuit Regi, ut oblatam conciliandæ pacis occaſionem arriperet, neve quid Hiſpani cuperent, ſed quid ſua poſtularent tempora, cogitaret: illos, qui Italiam omnem concupierint, nunquam fore æqua parte contentos, nunquam quieturos: ipſum, exhauſto ærario, atque attritis viribus provinciarum, debere aliquando ſibi ſuiſque conſulere; neque tantum gloriæ, atque utilitatis quæſitum, paucis expugnatis in Belgio arcibus, & nonnullis in Italia caſtellis receptis, quantum eſſe factis in Occitania conjurationibus religionis calumnia, Britannicoque in nova Gallia promontorio amiſſo, periculi, ac detrimenti importatum. Afflictos hoſtes non perditos exurgere jam, factaque cum Rege Boruſſiæ pace, properare in Italiam infeſtis ſignis Germanicas legiones, quarum vim, atque robur addubitandum quidem eſſe, num Hiſpani ſcenis, ludiſque Mediolani marcentes ſuſtinere queant. Quibus rebus quum Regem com-

commoveri Argensonius videret, liberius jam suadere, atque in extrema oratione sua monere illum cœpit, tantam rem non esse cuiquam committendam, ne iis quidem, quibuscum maximis de rebus communicare consueverit: jactatam enim multorum sermonibus, atque consiliis efferri facilius, quam explicari posse. Dat uni Argensonio negotium Rex: atque ille statim Camposium, qui Regis erat apud Genevensem civitatem legatus, dissimulata itineris causa, propius Augustam Taurinorum in villam quandam accedere jubet, eodemque Sardiniæ Rex hominem e suis certum mittit. Quum Gallus pacem expeteret, bellum Sardiniensis formidaret, facile inter utrumque conditiones convenere, quarum conditionum hanc fuisse summam satis constat. Haberet Philippus Hispani Regis F. Dertonam, Parmam, Placentiam, Cremonam; ejusque imperii fines essent amnes Iria, Abdua, Ollius, usque quo amnes hi in Padum influunt, atque ad confluentem usque Abduæ Padus ipse: Sardiniæ Regi Mediolanensis provincia reliqua, ipsaque urbs adjungeretur Mediolanum: nullum illi in Finarium jus, nulla unquam esset auctoritas: Onelienfis tractus omnis, itemque Serravallis arx, ager, oppidum Genuensium essent: daret Rex Galliæ, daret Rex Sardiniæ fidem, impetraturos sese a Cæsare Genuensibus summi earum regionum imperii jus, quas regiones in vallibus Iriæ, Macræque fluminum, ex Cæsariano quodam jure, & beneficio Dynastæ possiderent: Dux Mutinensium restitueretur in integrum, eique præter-

terea pars daretur agri Mantuani, quæ Mutinensi provinciæ finitima est, & pertinet ad Padum; & item ad eum, morte Ducis Gonsagæ, Guardistallensium regio perveniret: invitarentur Veneti in societatem, oblata Mantua; si forte grandi, atque opportuno præmio excitari possent; Hetruria a Francisco Lotharingio, qui accepta nuper Imperatoria in Germania dignitate tenebatur, ad Carolum fratrem transferretur. His constitutis rebus, fœdus fieret inter Italiæ Principes sanctum, æternum; quo ex fœdere, communibus consiliis, armis, Mediolanensis arx, Forumque Juntorum, Mantua denique expugnaretur, & quæ cujusque principis pars ex fœdere futura esset, ei statim assignaretur: Omnis ita demum ex Italia Transalpinorum dominatus in perpetuum tolleretur. Erant conditiones Hispanis pro re nata non incommodæ, atque Italiæ potissimum perutiles, cui tandem suos agnoscere Principes, atque ab infinito exterarum nationum metu respirare aliquando contingebat, magnumque merito sapientis consilii sui fructum Sardiniæ Rex tulisset: sed Hispanorum, si vera tacere nolumus, cupiditas tanto obstitit bono, fatumque nescio quod Italis, atque Hispanis ipsis infensum, vertit ad extremum omnia. Nam, quum Sardiniæ Regis mandata in Hispaniam perferenda curasset Rex Galliæ, eaque sibi literis sua manu scriptis non aliena ab æquitate videri ostendisset, fremere Hispaniæ Rex, atque indignari cœpit; iis conditionibus commodius multo Sardiniæ Regi, qui Borboniis partibus adversissimus sit, quam Phi-

lip-

lippo consuli Borboniorum Regum Filio, Fratri, Genero. Itaque, summa adhibita celeritate, Oscensium Ducem excurrere in Galliam jubet, qui Regem ab intempestiva pace deterreat; in qua si eum perstare videat, tum Hispanos non libenti quidem animo ad otium, & concordiam, sed descensuros tamen, suamque victoriam Gallorum amicitiæ condonaturos dicat, sed ita, ut provinciis Philippo ex fœdere attribuendis Laudis Pompejæ, atque etiam insuper Alexandriæ, Montisque Ferrati oppida, agrique accedant. Quæ Hispanorum responsa quum magnam pacis desperationem afferrent, veritus est Sardiniæ Rex, ne diutius agitata res Austriacis tandem suboleret, ipseque propterea ab iis relinqueretur, quos relinquere moliebatur. Itaque, dimissa statim pace, quum intelligeret, non defore sibi Germanorum auxilia, qui in Italiam descendere cum legionibus, jamque appropinquare dicebantur, suspicatus fore id, quod accidit, ut ab Argensonio certior per literas factus de pacis conditionibus Malibojus minus diligenter de bello cogitaret, Leutronium, xx. subito contractis cohortibus, ad recipiendam Hastam Pompejam proficisci jubet. Leutronius, primo impetu, superato ex itinere Tanari ponte, ea celeritate progressus est, ut adventus sui famam pene præcurreret. Perterritus Montalius, qui Hastæ Pompejæ cum x., ut diximus, cohortibus Gallicis præerat, nuncios ad Malibojum mittit alios, atque alios, qui petant, atque orent, ut sibi celeriter subveniat: sese hostium, qui tanto superiores numero sint,

ſint, ſuſtinere impetum non poſſe. Malibojus ad hæc unum modo reſpondit: Nihil eſſe a Subalpinis hoſtile metuendum; ipſos de compoſitione agere, atque ad otium vergere univerſos; neque interim ullum Montalio ſubſidium mittit. Quod nobis quidem nulla ratione factum a Malibojo videtur, propterea quod, quocumque eſſet animo Sardiniæ Rex, defendenda fuerat arx, neque tam incertis rebus committendum, ut certum in periculum non minima exercitus pars veniret. Montalius ab hoſtibus circumventus, qui tormenta etiam ad oppugnationem neceſſaria raptim advexerant, tribuſque locis jam collocaverant, ſimul diffiſus paucitati militum ſuorum, & de ſubſidiis nequicquam efflagitatis deſperans, portas aperuit, abjectiſque armis, ſe atque oppidum Leutronio dedit. Malibojus captum prius oppidum ſenſit, quam ſubſidio poſſet, aut vellet accurrere, quod erat tamen, deductis Caſali, Monte-calvoque præſidiis, facere conatus. At Hiſpanis tantus incidit terror, quod, omnia hæc quum non ſine conſilio facta eſſe ſibi perſuaſiſſent, hoſtes timebant, ſociis diffidebant, ut, relicta Alexandrinæ arcis obſidione, quæ fame jam coacta extremâ, haud procul aberat a deditione, pedem confeſtim referre cœperint, eorumque receptus, projectis ſarcinis, atque impedimentis, conſimilis fugæ videretur. Quo facto, tam paucis diebus ſeſe fortuna inclinavit, ut cohortium Gallicarum deditio ad Haſtam Pompejam Borboniorum in Italia fœlicitati finem attuliſſe videatur, eademque initium inſequentium calamitatum.

COM-

COMMENTARIORUM

DE BELLO ITALICO

LIBER III.

CASTRUCCII BONAMICII

COMMENTARIORUM DE BELLO ITALICO

LIBRI TERTII

AD DUCEM

SENATUM

P. Q. C.

UNIVERSOS REIP. GENUENSIS

PRÆFATIO.



Uum in Galliam Cisalpinam iter facerem, Genuamque venissem, qua in Urbe permulta acciderant eorum, de quibus ego scribere constitueram, & ibi essem a VOBIS, P. C., *honorifice, liberaliterque tractatus, varie sum equidem affectus, maximumque animo voluptatem, atque uno tempore mo-*

le-

lestiam cœpi. Nam & venisse ad homines, qui in summa generis nobilitate nihil de morum benignitate remitterent, perquam jucundum videbatur, & eorum ipsorum hominum debere facta, consiliaque ita explicare narrando, ut unius haberetur ratio veritatis, erat sane molestissimum. Quamquam enim multa a Vobis acta esse fortiter, ac sapienter in illis Reipublicæ tenebris antea etiam intellexissem, quam Vestram essem humanitatem expertus, non inficiabor tamen multa item a multis inculcata fuisse mihi, quæ si fidem illorum factorum convellere omnino non poterant, addubitare quidem certe cogebant hominem in Vestris adhuc rebus peregrinantem, vehementerque vereri, ne, si omnia dixisset, minus gratus, si quædam reticuisset, nimis obsequens videretur. Quæ me dubitatio quum diu, multumque anxium, ac sollicitum habuisset, vicit tandem, qui vincere profecto debebat, amor veritatis, cujus quidem in historia præsertim conscribenda tanta esse vis debet, ut eam quacumque ratione infuscare flagitium, obruere autem scelus etiam sit. Itaque asseverare possum firmissime hoc animo me ad GENUENSIUM *res cognoscendas accessisse, ut eas, si a virtute profectæ essent omnes, libentissime scriberem, sin minus, scriberem tamen, eorumque benignitatis memoria nihil adeo de veritatis cura detraheret, ut multum etiam adderet diligentiæ, & cautionis, ne quid in nostram narrationem per causam irreperet officii, quod videri posset assentatione, aut*

gra-

gratia depravatum. Sed ego de GENUENSIBUS *diligenter, attenteque quum cogitarem, quærerem omnia, non crederem omnia, nihil sane reperi esse ab illis proximo hoc Italico bello cogitatum, nisi summo consilio, nihil susceptum, nisi fide præstanti, nihil denique actum, nisi virtute singulari; atque omnia ita esse nota omnibus, atque testata, ut ea mihi scribenti magis interdum veniat in mentem vereri, ne propter ingenii mei tenuitatem imminuta, quam dubitare, ne propter benevolentiæ studium amplificata esse videantur. Quamobrem gravissima liberatus molestia, gaudeo,* P. C., *magnificeque lætor, oblatum mihi tempus, in quo grati animi mei pietatem Vos agnosceretis, incorrupti fidem historici nemo desideraret. Non enim esse arbitror, aut tam injustos,* GENUENSIUM *qui fuerunt hostes, ut urgere calumniis velint, quos persequuti sunt armis, aut tam insanos, qui sunt invidi, ut vocare audeant in dubium, quod exploratum omnibus, certissimumque est.*

Meorum vero laborum si qui sunt obtrectatores, quos homines jejunos, atque ineptos ne summis quidem scriptoribus defuisse video, accusent ii me licet ut rudem, ut inelegantem (nihil enim impedio) ut mendacem autem, atque infectum studio partium jure nunquam certe accusabunt, quum libertatem in scribendo meam acerbius etiam, quam oporteret, reprehensam esse omnes sciant, ego senserim. Sed nullæ sunt simultates, nulla præmia, non spes, non

metus, qui possit constantem hominem, atque ingenuum a proposito deterrere: neque in Castris Borboniorum quod fuerim, quodque in acie steterim contra Austriacos, minus idcirco licere mihi sum arbitratus, reprehendere in Borboniis, laudare in Austriacis, quæ reprehendenda, quæ laudanda videbantur. Non enim, cum scribimus, animum retinemus armatum, aut eamdem esse bellandi, & scribendi licentiam existimamus. Nam militi, si adversus hostem ferocius sese gerat, etiam laudi datur, quum sit historico turpissimum, non dicam adversario maledicere, sed paulo scribere cupidius. Maxime quidem vellem, ut mea qui legunt, animo legerent eodem quo ego scripsi, neque in scriptorem culpam conferrent, quam ipsi sustinent. Etenim dum nimis favent, nimis invident, mentiri me, ac maledicere dictitant, non quod ita sit, sed quod ad libidinem non scripserim ipsorum, eorumque aut hostes laudaverim, aut amicos reprehenderim. Qua in re non illi studium, aut libertatem meam coarguunt, sed stultitiam, atque insolentiam indicant suam; & quum iidem me cupidum, iidem liberum dicant, est certe quod suspicer esse me in utroque moderatum. Equidem, ad libertatem quod attinet, eam neque immoderate exercui, quod arrogantis erat hominis, neque fregi serviliter, quod erat abjecti, idque unum conatus sum, & mihi videor perfecisse, ut omnia libere, nihil scriberem contumeliose in quenquam.

Quod

Quod si quis est, qui, dempta etiam contumelia, ne innocuam quidem ferat in scriptore libertatem, ne Principum videlicet fama, potentiaque lædatur, is mea quidem sententia vehementer, in eoque ipso errat, in quo caussæ, dignitatique Principum caveri maxime putat. Sublata enim libertate, generosa extinguuntur ingenia, atque ejusmodi extinctis ingeniis, historia aut nusquam audet emergere, aut infuscata sordibus adulationis contemnitur statim, & jacet; ipsaque propterea Principum fama, quæ præclaris rerum gestarum monumentis innititur, aut turpis, aut nulla omnino est. Potentia item illorum non modo non læditur libertate, scribentis, sed etiam confirmatur. Nam, quum propter copiam, atque affluentiam rerum omnium nonnulli Principes, humanæ naturæ vitio, nimium sibi indulgeant, multosque ob eam caussam circa se habeant assentatores viles, imperitos, callidos, longe ab illis perterrita refugit veritas; cujus ignoratione imperia existunt sæva, ignava, inimica virtuti, plena turpitudinis, plena calamitatis. Una est historia libere scripta, quæ repugnantem quasi veritatem in Principum conspectum audeat adducere, eosque docere, quæ sint officia diligentis, & moderati imperii; quibus officiis manet vis dominationis firmissima, commemoratio nominis sempiterna. Quæ duo si tueri Principes volunt, ut maxime debent, excitent oportet præmiis, non coer-

ceant pœnis, famæ imperiique eorum veluti custodem, historicam libertatem. Cujus quidem libertatis, P. C., *nihil est, de Vobis cum scribo, quod me pœniteat, nihil quod Vos pudeat. Gratissimum enim mihi, quas ostendistis in liberanda Patria Vestra, virtutes usurpare scribendo, quum in eo simul possem & veritati, ut antea dixi, servire, & pietati satisfacere erga Vos meæ: Vobis porro honorificentissimum est mandari libere scriptis quæ multa, & præclara pro ejusdem Patriæ salute, ac dignitate gessistis, ut, non solum eorum hominum, qui nunc sunt, testimonio, sed etiam eorum, qui nascentur, judicio comprobentur. Illos pudeat historiæ, qui bella aut iniqua susceperunt, aut turpiter administrarunt: Vobis nunquam fides, nunquam fortitudo, nunquam animus, nunquam consilium defuit, ne tum quidem, cum omnia deesse videbantur. Nam quum essetis præter jus oppugnati, præterque fas deserti, a quibus minime par erat, quumque totius Italici impetus belli ad mœnia Vestra constitisset, ita, prementibus tot undique malis, necessitati paruistis, ut nunquam dignitatis oblivisceremini: quum autem res ipsa, & quasi naturæ vox populum ad arma Vestrum impulisset, qui vexari, ac diripi tacitus nollet, primum quidem motum fortunæ subitum, ac vehementem ratione quadam gubernastis, ut neque constantiæ, neque Reipublicæ deessetis; deinde quum populi Vos salus, quæ suprema*

opti-

optimis Principibus lex esse debet, ad bellum traheret necessarium, id ita gessistis, ut omnis obliti periculi, unius memores libertatis videremini. Quo in bello tantum virtute, sapientiaque præstitistis, ut qui causâ eratis, marte etiam superiores essetis, fueritque consilium magis Vestrum, quam consilii laudandus eventus. Non quin fuerit ille secundissimus, sed quia prosperi eventus plerumque fortunæ, semper virtuti præclara consilia tribuuntur. Neque vero, quicumque belli eventus futurus fuisset, non eadem semper fuisset rerum a Vobis gestarum laus, non eadem Nominis gloria GENUENSIS. *Nullis enim unquam adversis virtus obruitur, quin etiam suâ interdum vi erecta frangit adversæ impetum fortis, eaque præstat ipsa per se incommodo accepto, quæ ne ab incolumi quidem fortuna præstari posse videbantur. Id quod si unquam alias, in Vestro certe bello victoriaque apparuit; quæ quidem victoria non casus temeritate, sed animi, consiliique Vestri magnitudine parta est. Nam ferocientem armorum insolentia plebis faecem continere, eandem hostium reditu dejectam excitare, Sociis præsidium, Civibus afferre salutem, hostibus ipsis egregiam in fœdere fidem, singularem in bello constantiam ostendere, hæc tanta, ex quibus victoria illa extitit admirabilis, non profecto incertæ, volubilisque fortunæ munera, sed fructus fuerunt magnæ cujusdam, & corroboratæ virtutis. Quod si qui*

ſecus exiſtimant adhuc, ii, ut non ſint nimium pertinaciter GENUENSIBUS infenſi, qui, quum virtus emineat atque appareat, fortunam malint admirari, e quibus maximæ illæ res ortæ ſint cauſis, ignorant quidem certe. Equidem ego, antequam Vos penitus noſſem, & mirabilia quædam de rebus Veſtris nunciarentur, non tam primum (libere ut, quod ſentio, dicam) ſapientiam ſum Veſtram, quam felicitatem admiratus, adeoque erant ardua, incredibilia, quæ tentata a Vobis, geſtaque dicebantur, ut exitum illum formidoloſi belli optandum potius, quam ſperandum fuiſſe judicarem. Poſtea vero quam Veſtram Urbem ingreſſus, Veſtrorum hominum mores, inſtitutaque perſpexi, ſermones audivi prudentes, graves, authoritatem Senatus, Populi obſequium, nihil arrogans in Nobilitate, nihil in Plebe contumax, atque omnia plena juſtitiæ, manſuetudinis, diligentiæ, æquitatis, concordiæ, fortitudinis cognovi, tum autem non tam ego Vos felices, quam fortes, & ſapientes putavi, atque exiſtimavi magis eſſe Vobis gaudendum quod illa acciderint, quam mirandum cæteris quod ita acciderint. Debebat enim in magno etiam fortunæ incurſu ſtare Reſpublica tantis fulta virtutibus, neque ullum ei a naufragio periculum eſſe poterat, quum tales ad gubernacula Viri tanto conſilio, & magnanimitate præditi ſederent. Atque animi magnitudo, difficillimo belli tempore, ita perſpecta eſt, ut obſcura eſſe non poſ-
ſit:

sit: consilium vero eo magis laudandum, quo difficilius est cavere omnia, & nihil timere. Sunt enim qui timiditati, atque ignaviæ suæ moderationis & prudentiæ nomen inane prætendant. Verum nihil est, quod vehementius Principibus obsit, quam posse impune contemni, nihil quod in his contemnatur impunius, quam ignavia ipsa, quæ nervos elidit virtutis, pacis bellique artes extinguit, subitam interdum perniciem, certam semper infert infamiam. Quis enim eos Principes aut omnino liberos ducat, qui otium ita sunt amplexi, ut omnia perferant turpissimæ quietis causa? Sed ferant hi debitam hanc inertiæ suæ pœnam, ut prætereantur in historia, qui nihil historia dignum gesserint. Vos autem, P. C., dignissimi sane estis, quorum sit in literis nomen illustre atque magnum, quum non solum ad tempus maximam Reipublicæ Vestræ utilitatem attuleritis, sed etiam ad exemplum, ut quicunque posthac Vobis nocere voluerit, nullam esse intelligat apud non timentes minantis auctoritatem, neque facile nocere iis existimet, hoc animo quos esse vidit, ut nullam neque faciant, neque patiantur injuriam. Scribatur igitur tantarum rerum historia; maneat fama defensæ, maneat exemplum Patriæ defendendæ: neque erit, opinor, quisquam tanta aut inscitia, aut invidia depravatus, ut, hunc tertium de Bello Italico Librum quod Vobis quasi consecraverim, quodque ejus libri a principio res Vestras dilau-

daverim, fidem idcirco, vel prudentiam desideret meam. Nam librum cui potius donarem, quam Vobis, qui libro ipsi materiem dedistis uberem, atque excellentem? res autem quantæ illæ fuerint, ipsa declarabit luculentius historia; in historia denique earum conscribenda Vestrorum ego Civium, P. C., *Sociorum, etiam hostium conscientiam testor omnia me veritati, nihil gratiæ dedisse.*

COM-

COMMENTARIORUM

DE BELLO ITALICO

LIBER TERTIUS.



Mperatore in Germania creato Francisco Lotharingio conjuge, & Borusco bello ingenti Silesiæ totius jactura composito, alios in Italiam duces immittebat Theresia Austriaca, alios exercitus; neque tot fatigata, deterritave adversis multo alacrior ad Italicum bellum duabus magnis, gravibusque domi curis liberata consurgere videbatur. Quibus recreatus nunciis Lictestenius intra Novariæ, Sessitisque amnis præsidia, quo Borboniorum impetus declinans confugerat, tenere se jam non poterat, & reliquias quas habebat exercitus copiis adaugere, quæ totos ex Germania dies confluere Mantuam dicebantur, iisque Mediolanensem recipere provinciam meditabatur. Sardiniæ item Rex minus esse animo sollicito cœperat, adventantibus Germanorum auxiliis. Itaque, renovato bello, Camposianum statim colloquium dirimere, pacisque causa venientem ad se ex Gallia Comitem Malibojum suis excedere finibus jusserat, ne quam daret Austriacis imminutatæ voluntatis suspicionem. Quanquam non defuerint, qui collo-

loquium omne temporis causa, non dissentientibus Britannis, quibus unis Sardiniæ Rex confidere videbatur, institutum, neque verisimile dicerent esse, ut iis Sardiniæ Rex conditionibus stare voluerit, quæ, dimisso Oneliensi tractu, & Philippi in Italia regno constituto, præcipuum illud suum terra, marique amplificandi imperii consilium si non frangerent, retardarent quidem certe. Sed sive ex animo factum, sive simulate illud fuerit (in animis enim hominum, maximeque regum multæ sunt latebræ, multi recessus) ad ejus certe colloquii, pacisque mentionem ita Galli obtorpuerant, ut indormire bello, atque hosti viderentur. Ille autem nunquam non vigilans, & temporibus imminens Hastam subito Pompejam, uti superiore libro demonstravimus, ceperat, alienaque lætus discordia, quæ naturæ dissimilitudine, & tacitis alta suspicionibus inter Hispanos, Gallosque serpebat in dies latius, non accepta solum incommoda sarcire, sed celeriter majoribus utilitatibus sanare sperabat.

At Borbonii tecte primum inter se, deinde aperte graviterque diffidere cœperant. Erant Hispani, repugnantibus vehementissime Gallis, Mediolanum profecti, & contra quam erat in concilio de communi sententia constitutum, Mediolanensis arcis oppugnationem urgebant: quæ res & offensionem illis non mediocrem ad socios afferebat, intempestivam detegendo cupiditatem, & nimium distrahendo vires, infirmiores reddebat ad resisten-

ſiſtendum hoſtibus. Sed nihil commovebantur Hiſpani. Omnia omnibus viis ad oppugnandam arcem neceſſaria Mediolanum conferebantur: jamque, aggere jacto, collocabantur tormenta, neque minus interea duces, præfectique copiarum intra tecta Urbis recepti ſcenis, ludiſque oblectabantur, prorſus ut videre eſſet, & belli apparatu, & otii deliciis eandem fremere Urbem, ac laſcivire. Poſtea vero quam Campoſiani colloqui certus increbuit rumor, Gallicarumque ad Haſtam Pompejam cohortium deditio non ſine obſcuro quodam conſilio, & quaſi prævaricatione, facta eſſe dicebatur, tum autem prodi ſe a Gallis, & circumveniri Hiſpani exiſtimantes Alexandrinæ arcis obſidionem repente dimiſerant; veritique uno tempore & ſociorum, uti quidem ipſis videbatur, infidelitatem, & hoſtium adventum, a Mediolanenſis item arcis oppugnatione tormenta deducta omnia, in naveſque ſubito undique contractas impoſita ſecundo flumine, cæteraque terreſtri itinere impedimenta Ticinum ſummiſerant, eoque Philippus ipſe, & Dux Mutinenſium, Gagiuſque proficiſci quamprimum cogitabant, in hiſque omnibus rebus conſilia, copiaſque a Gallis ſejungere velle videbantur. Atque hi deſeri ſe ab Hiſpanis quum viderent, ne ſuperfluentibus Auſtriacorum copiis ſoli obiicerentur, neu Genua, Galliaque Narbonenſi intercluderentur, omni circa Tanarum, Padum, Bormiamque

amnes

amnes relicta regione, Novas sese versus raptim receperant.

In Hispania autem propter invidiam Camposiani colloquii male Galli audiebant, adeout Rex ipse subita incitatus ira, & Reginæ uxoris admonitu, non satis animadvertens quantam rem, quamque alieno tempore moveret, a Gallis discedere sociis tam ambiguis, novasque experiri amicitias constitueret, eaque de causa Hieronymum Grimaldum Genuensem in excogitandis, gerendisque rebus prudentem hominem, atque alacrem in Germaniam cum mandatis mitteret, quæ Regi maxime Sardiniæ officere, atque obstare dicebantur. Erat Grimaldus, Aranquesiano confecto fœdere, legatione functus Reipublicæ suæ, cui quum inservire se posse existimaret, si quæ Viennæ agenda erant, quæque ad Italiam, atque ad Rempublicam adeo pertinere videbantur per se potius, quam per alios agerentur, suscepta legatione, statim, ut erat jussus, profectus est. Sed ea quoque legatio nimio ambitionis studio suscepta, ut multa alia Hispanorum, frustra fuit. Nam neque liberum erat Reginæ Ungariæ cum Hispanis adversus Sardiniæ Regem consentire, inscientibus Britannis, quos tamen Sardiniæ Regis commodis acerrimos videbat esse fautores; neque facile Hispaniæ Regi initam cum Gallis societatem, multisque necessitudinis, atque utilitatis nominibus coagmentatam subito dissolvere. Illa etiam Reginæ Ungariæ insederat suspicio, simulata legatione, hæc ab Hispanis

man-

mandata interponi, quo aut ſuos ad Italicum bellum impetus remorarentur, aut Gallorum animum Campoſiano colloquio ſopitum, alterius æmulatione colloquii repungerent, atque excitarent.

Genuenſes porro, quum nova quædam in Italia miſceri, & concitari mala viderent, dieſque advenifſet, quo die Principem Civitatis (Ducem appellant) fieri ab ipſis in biennium per leges oportet, Franciſcum Brignolium-Salium, quem miſſum fuiſſe ad exercitum ſummo cum imperio demonſtratum eſt, Ducem crearunt, perſpectæ domi, foriſque virtutis hominem, ut, ſi qua eſſet formidoloſi temporis tempeſtas oblata, haberet in ſingulari viro magnum Reſpublica præſidium. Ita igitur omnia ſunt ſubito mutata, ut trepidare, ac fugere Borbonii inciperent, qui vincebant; in ſpem autem victoriæ venire auderent Auſtriaci, qui fuga ſeſe hactenus, & præſidiorum latebris occultaverant. Maximis enim coactis copiis alacres, ac fiduciæ pleni altera ex parte Lictenſtenius Viglebanenſem agrum parato, atque inſtructo exercitu tenebat: altera Berenclavius, domitis ille Boiis, direptiſque nobilis dux cum x. hominum millibus, quos jam flumen Adduam tranſduxerat, expugnato in itinere Codoneo, quo in loco præſidium Hiſpani habebant; & Loveſtenius Laude occupata Pompeja, fuſiſque aliquot, & fugatis ad Melignanum Hiſpanis, inſtabat: tum Brounius, & Pallavicinus Mantua profecti in Parmenſem agrum irrumpere conabantur, partem-

temque Hispaniensis exercitus, cui Castellarensis præerat, a reliquis copiis interclusam distinebant. Quibus rebus perturbatus Philippus tres modo menses ex Mediolanensi regno lætatus maturavit Mediolano discedere, Ticinumque contendit, quum levis armaturæ equites nonnulli Austriaci, Lambro amne superato, extremum ejus agmen male haberent, & carperent. Sed Ticinum quum esset ventum, castra Gagius apud Chartusianos habere eo consilio instituit, ut ad Padum, Placentiamque oppidum aditum haberet expeditum, utque simul Fulvii Forum respiceret, cui Sardiniæ Rex, expugnato Casali, propius jam imminebat.

Magnopere etiam hortari per literas, nunciosque, & suadere Castellarensem non desistebat, denique imperabat, ad se quamprimum ut veniret, ne hostes, quorum in dies copiæ augebantur, illius iter impedire, seque ab eo excludere possent: idque valde ad communem salutem pertinere arbitrabatur, quum, distractis viribus, neque Castellarensis satis firmus esset adversus hostes, neque partem exercitus validam negligere ipse posset. At Castellarensis aut sua nimium virtute ferox, aut ea fortassis gratia fretus, qua plurimum apud Reginam Hispaniæ valere dicebatur, vehementer Gagium contemnebat, & parere homini recusabat, omniaque ejus consilia criminabatur, remorabatur; id quod erat bello, summæque rerum adversarium maxime. Itaque a Gagio aperte dissentiens a Parmensi,

&

& Guardiſtallenſi agro non diſcedere perſeveravit.

Brounius intercludi Caſtellarenſem a reliquo Hiſpanorum exercitu poſſe ſperans, Nadaſtium mittit, qui in ſiniſtra Padi ripa oberrans nullo certo itinere ludificet hoſtem, pontemque ad Caſale majus ſimulet efficere. Quæ dum Nadaſtius exequi parat, Hiſpanorum ſtationes (ut omni dextra fluminis parte erant diſpoſitæ) inopinantes ab Auſtriacis nonnullis levis armaturæ, qui Padum ſilentio ratibus tranſgreſſi in eas impetum improviſo fecerant, opprimuntur. Brounius interim ad Burgumfortem effecto celeriter ponte, ſuiſque tranſductis copiis, Luceriam occupat; tum inde Lucelius, & Novatus Auſtriaci exercitus decuriones Rhegiolo, Nadaſtius autem Valterio potiuntur: quibus occupatis locis, Guardiſtallum, quod erat medium, circumvallare Auſtriaci, atque oppugnare, allatis tormentis, inſtituunt.

At Coraphæus præfectus caſtrorum Regis Neapolis, qui, ut antea diximus, oppido præerat, conatus eſt, eruptione facta, oppidum defendere, eique ad auxilium ferendum Caſtellarenſis advolarat cum omnibus copiis. Sed Nadaſtius uno fere tempore, & compulſo in oppidum Coraphæo, & primo Caſtellarenſis agmine ad Cruſtulum amnem fugato, illum quidem, deſperatis auxiliis, in deditionem venire, hunc, amiſſo Guardiſtallo, ſeſe Parmam feſtinanter recipere coegit.

Qui-

Quibus rebus Gagio nunciatis, omnibus consiliis antevertendum existimavit, ut Castellarensi subveniret, ne tanta exercitus pars tam longe abstracta in potestatem hostium veniret. Itaque Ticino cum omni statim exercitu profectus Placentiam venit, magnisque itineribus progressus, subsistere ad Florentiolam cogitur, propterea quod assiduis aucta tempestatibus Trebia pontes interruperat, partemque exercitus intercluserat: cujus moræ beneficio usi Lichtestenius, & Berenclavius suos & ipsi exercitus educunt, properantque Gagium præoccupare, si esset in perficiendis pontibus periclitandum, ut priusquam ille Tarum amnem transiret, ipsi Brounio adjungerentur. Quo facto, & Pallavicino, qui Castellarensem observaret, cum iii. equitum, peditumque millibus, & Pyrochitrophorum centuriis sex ad Parmam relicto, copias ad Tarum omnes contrahunt.

Gagius, refectis pontibus, expeditoque itinere ad vicum pervenit, qui Sanguinaria dicitur; ibique non longe a Taro castra facit, loco non satis quidem idoneo ad commeatus parandos, sed temporis brevitas, & rei cogebat necessitas. Postero die cum paucis equitibus ad exploranda loca profectus adversam fluminis ripam obtineri ad hostibus conspicatur: numero esse armatorum ad xxx. millia; Tarum autem nivibus solutis, & continentibus adeo pluviis crevisse, ut propter aquæ vim, rapiditatemque amnis omnino perficiendi pontis facultatem non daret. Itaque neces-

sa-

ſario iter ſupprimit, eratque uterque utrique exercitus in conſpectu, neque alter alteri nocere poterat, prohibente flumine: & crebris Gagii literis Caſtellarenſis incitabatur, quoniam primo præcepta, monitaque ſua ſpreviſſet, ut, cognito ſaltem periculo, Parmam relinqueret. Enimvero ille relicturum ſe negare, neque ullo pacto commiſſurum, ut Hiſpaniæ Reginæ urbs chariſſima hoſtibus indefenſa prodatur; in eoque perſeverabat. Sed pertinaciam ejus fregit tandem Philippus literis ſeverius ſcriptis, quibus placere ſibi demonſtrabat, ut, nulla interpoſita mora, quam primum Parmâ excederet.

Quibus acceptis literis, Caſtellarenſis, ad ſpeciem præſidii cum paucis militibus Carolo Lanfranchio Protrib. mil. relicto, in noctem ipſe conjectus cum reliquis copiis omnibus celeriter e conſpectu urbis Parmæ ſilentio diſceſſit. Profectionem ejus primo non ſenſerant hoſtes, poſtea cognita re, equites peditеſque miſerant levis armaturæ, qui conſequerentur, & deprehenſum in itinere opprimerent. Turrim vix dum ille Mulactianam attigerat, cum repente circumfunduntur undique hoſtes: omnes obſidentur viæ. Loca ſuberant aſpera, ſaltuoſa, omniaque erant nive, geluque oppleta; cælum coortis tempeſtatibus fœdum, nullum auxilium, ne ſpes quidem; fames urgebat. Tantis objectis difficultatibus non defecit animo Caſtellarenſis, ſed virtute, ac perſeverantia militum ſuorum ſummotis hoſtibus, factoque per Apuanos montes itinere dif-

ficillimo, Spediam octavo tandem die venit; magna & jactura suorum, & admiratione hostium, qui ex tantis emersisse illum angustiis persuadere sibi comperta vix re poterant.

Gagius, postquam conjunctas hostium copias, egressumque Parma Castellarensem cognovit, a Sanguinaria discedit, Placentiamque eodem, quo venerat, itinere exercitum reducit, castraque ad oppidum habere, & communire, pontemque in Pado facere instituit.

Capta hostes Parma, neque Castellarensis iter impedire, nostrorum virtute repulsi, neque regredientem insequi Gagium tempestatum, & fluminis magnitudine detenti potuerunt. Itaque necessario morabantur. Tandem, transducto Tarum exercitu, ad hostem proficisci constituunt, sive illum in muniendis castris occupatum, & nondum Castellarensis adventu confirmatum adoriri, sive obsidione premere possint. Namque illi horum alterutrum spectare maxime videbantur. Sed quominus adorirentur, assidui prohibuerant imbres, Gagiique effecerat solertia, qui & pontes interruperat omnes, &, expugnando Codoneum, illos diutius etiam impeditos tenuerat. Pignatellius enim legatus de exercitu Hispaniensi cum parte copiarum missus ad occupandum Codoneum, quum ad Lambri, & Padi confluentem pervenisset, primum quidem pedites, equitesque nonnullos Austriacos, qui ibi erant in statione, in fugam dedit, in ipsum deinde Codoneum vicum, quo sese recepe-
rant

rant fugientes, impetum celerrime progressus fecit. Resistebant acerrime hostes, domiciliisque occupatis repellere nostros confidebant. Sed quum nostri audacter succederent, allatisque securibus portas perfringerent, domosque ferreis palis subruerent, loco cesserunt, defensorumque pars in ipso certamine interfecta, fugataque, pars, Codoneo capto, capta est, in hisque Grottius fuit dux eorum. Quo facto Pignatellius sese ad Gagium in castra recepit.

Nostris ad Placentiam castris communitis, perfectoque in Pado ponte, relinquebatur Austriacis nihil, nisi ut obsidione Gagium premerent. Idque accidit.

Oppugnabantur interim Forum Fulvii a Durlacensi Principe, eodemque Trib. mil. Regis Sardiniæ, & defendebatur egregie ab Ascoisquio Hispaniensis exercitus Decurione, qui Philippi jussu oppido præerat, præsidiumque ibi Hispanorum habebat, & Helvetiorum de exercitu Neapolitano. At Malibojus multum ad belli rationem interesse existimans, prohibere, ne in tanta rerum perturbatione oppido potirentur hostes firmo, atque opportuno, simul distineri profectione sua hostium copias posse sperans, cum omni exercitu suo, quem etiam cohortibus Hispanis ii. Dertona deductis, & Genuensibus vi. adauxerat, relictis Novis, superatoque flumine, Bormia, fugataque ad Castrum Bajanum Subalpinorum legione, ad Forofulviensem oppugnationem disturbandam omni celeritate, & studio incitatus ferebatur.

Sed accidit perincommode, quod tantam Maliboii diligentiam, Præfectique constantiam commota elusit ab Helvetiis seditio magno rei militaris flagitio, qui sive spe sollicitati, sive metu perterriti, secessione facta, sese, quodque ipsorum erat custodiæ attributum, propugnaculum hosti dediderunt, eodemque, tanto illato incommodo, uti arcem traderet, hominem strenuum, & paratum defendere se Præfectum ipsum compulerunt. Qua re nunciata, Malibojus pedem retulit, conceptamque ex tam inopinata deditione iram in Statellates effudit, quorum ex itinere Castellum expugnatum diruit, atque in miseros Irienses, quos grandem sibi, præsentemque numerare pecuniam præteriens jussit.

Jam Castellarensis a Spedia profectus, & Genuensium diligentia, commeatuque adjutus in Gagii castra pervenerat, & summissus a Malibojo cum xii. Gallorum, Hispanorum, & Genuensium cohortibus Mirapiscensis adventabat, auctisque copiis repugnabat audacter Gagius, & cum equitibus, quorum magnum, & delectum habebat numerum, magis libere vagabatur, agrosque trans Padum integros habebat ad copiam commeatus, prædamque tollendam. Austriaci, præsidiis nostrorum Uxolengo, & Monteclaro rejectis, Ripaltam aggrediuntur. Ripalta vicus est a Placentia longe millia passuum octo in ripa positus Trebiæ, arce munitus, atque apud Gallos Cisalpinos Landorum dominatu, & Ascanii Sfortiæ Cardinalis fuga, & deditione insignis. Castel-

ſtellum ibi eſt aquæ fluminis Trebiæ, quæ depreſſis derivata foſſis Placentiam uſque deducitur, eratque magno Hiſpanis uſui. Eo majore tormentorum, & militum vi arcem hoſtes aggrediuntur, duce Berenclavio. Præſidiarii milites omnino a tormentis imparati, quod non tantæ eſſe arcem opportunitatis crediderant, ut defendi tormentis oporteret, quum ad horas octo fortiſſime pugnaſſent, crebris tandem confecti vulneribus ſeſe, atque arcem dedere coguntur. Illam ſtatim Auſtriaci, deditione facta, diripiunt.

Omnibus ad Trebiam captis locis, quæ dare aliquam Hiſpanis commeatus facultatem videbantur, & Lazariano occupato, communitoque (ſuburbanum quod erat Alberonii Cardinalis, hominis utraque fortuna notiſſimi, atque abeſt a Placentia mille circiter paſſus) premere acrius Lictſtenius Gagium a fronte, atque a tergo, ejuſque caſtra, collocatis tormentis, olliſque jactis incendiariis, ipſamque divexare Placentiam conatur. Gagius, quo arctius a fronte, atque a tergo premebatur, eo latius in Tranſpadanam regionem pabulatum equites mittebat, per quos commeatum omnem diligenter conquiſitum comportabat. Multum etiam ut eſſet frumenti, pabulique proviſum, & convectum curaverat, multarumque rerum facultates munitiſſimus ad Padum pons præbebat, quem quum interrumpere illi ſæpe tentaſſent, nunquam potuerant. Quanquam etiam contignationem ejus Padus interdum concuteret nimiis intumeſcens

tempestatibus. Tanta erat operis firmitas. Adactis præterea ex oppidi muro telis, & protegebatur pons, & ipsi vexabantur hostes, qui totis diebus munitiones proferre, castraque castris convertere cogebantur. Ita alter alterum observabat, magnaque vi in occupandis locis, præsidiisque uterque utebatur: Lictestenius, ut quam angustissime Gagium contineret; Gagius, ut Lictestenium eluderet, & quam posset latissime pabularetur. Crebræque ob eam caussam velitationes fiebant; id quod etiam necesse erat accidere in tanta exercituum propinquitate, atque animorum contentione.

Valebat Gagius equitatu, loco præstabat, defendebatur item pontis, atque oppidi munitione, adeout neque ad deditionem inopia, neque ad prælium oppugnatione cogi videretur posse. Frequenter etiam ex perfugis audiebat valetudine uti hostes non bona, propterea quod in locis gravibus, atque apertis calorum intoleranda vis, & restagnantium æstus aquarum corpora moverant eorum, Castrensesque morbos vulgaverant; a quibus quidem afficiebantur nostri minus, utpote quos tecta urbis atque umbræ recreabant; his rebus adductus Gagius bellum ducere parabat. Intelligebat enim maximos Austriacorum conatus ad nihilum recasuros, extracto in hyemem bello, viribusque eorum levibus præliis, morbis, eademque attritis inopia, qua nostrum delere exercitum ipsi sibi persuaserant. Verum erant in ipsis Hispanorum castris, qui jam famem, cæterasque obsidionis acer-

acerbitates miserabiliter jactarent, Gagiique consilium carperent, patientiam ejus obsessionem appellando. Ille autem in sua permanebat sententia, deque totius belli ratione dederat ad Philippum Regem literas uberes, ac diligentes.

At Philippus Rex per Hieronymum Grimaldum de compositione agere, instareque de conditionibus cum Regina Ungariæ non desistebat; quam minus, quam vellet, postulatis auscultare suis quum intelligeret, dissuadentibus aperte Hispanorum societatem Britannis, eique se de Camposiano colloquio purgante per exquisitissimas literas Rege Sardiniæ, statuit ipse summam rerum prælio committere, sperans (proinde quasi in Regum potestate eventus essent armorum) insigni aliqua victoria, aut Reginam Ungariæ ad interpositas conditiones compelli, aut dubios Gallorum animos confirmari posse. Instabat præterea uxor Regina Gallis infensa, quos suis adversari consiliis arbitrabatur, atque aliquid prius agere cupiebat, quam, languescente ira, & veteri, insitaque emergente in Gallos benevolentia, Philippi Regis animus labaret, Noalliensis etiam Gallicæ militiæ Magistri officiis impulsus. Namque hunc propter flagrantissimam apud eundem Philippum gratiam Rex Galliæ judicaverat idoneum, quem cum mandatis de Camposiano colloquio in Hispaniam mitteret. Recenti igitur adhuc illius invidia colloquii, & stimulante uxore, commotus Hispaniæ Rex scribit Gagio, Austria-

cos ut quamprimum ſine ulla dubitatione adoriatur. Ita, neglectis imperatorum conſiliis, abſentium plerumque regum nutu bella adminiſtrantur.

Gagius, quoniam Regi parendum erat, & quacumque ratione pugnandum, Philippi Regis de prælio mandata ad Philippum F. attulit. Philippus, quo firmior prodiret in aciem, omnibus fere, quæ circum ea loca habebat, deductis præſidiis, etiam atque etiam per literas ſua manu ſcriptas evocato Malibojo, qui prælio repugnabat maxime, quum eſſet, convocato concilio, conficiendi negotii dies, & ratio conſtituta; eos, qui aderant, hortatus eſt, quoniam fieret dimicandi poteſtas, ne uſu, manuque ſuam, Philippique patris expectationem fallerent: Philippum certe Regem eorum virtuti tantum tribuiſſe dicebat, ut, quum ad opprimendos hoſtes temporis forſitan opportunitatem expectare potuerit, virtuti maluerit eorum, quam temporis beneficio confidere. Hæc quum facta eſſent in concilio, ad ſuam quiſque exercitus partem inſtruendam, curandamque diſceſſerunt.

Quo die pugnatum eſt, dies fuit ad xvi. Kal. Quint. Ratio autem, ordoque agminis erat ejuſmodi, ut Galli, qui extra Antonianam Placentiæ portam caſtra fecerant, in tres diſtributi partes dextrum noſtrorum cornu obtinerent, iidemque in ſiniſtrum Auſtriacorum invaderent: ſubſidio iis adjungeretur Aramburus legatus cum xvi. Hiſpanorum cohortibus: ix. item Hiſpanorum cohortes mediam

te-

tenerent aciem: in ſiniſtro autem cornu reliquæ Hiſpanorum, Neapolitanorum, & Genuenſium cohortes in tres pariter diviſæ partes collocarentur. Omnes uno undique tempore, ſigno dato, concurrerent. Ex oppidi mœnibus, iiſque munitionibus, quæ propter viam, qua ad Lazarianum itur, productæ erant ab noſtris, tormenta interim ne ceſſarent: quæ res, & noſtros protegeret in prælium proficiſcentes, & prodeuntes deterreret hoſtes, eorumque munitiones, & caſtra vexaret. Equitatus, quod ejus inutilis opera propter interciſos foſſis campos non ſatis tamen prudenter videbatur, ab univerſa acie ſecluſus, atque ad omnem rei eventum paratus conſiſteret, eique Vievillæus, de exercitu Neapolitano legatus præeſſet. Ubi ea dies venit, ad eum modum, quem diximus, copias Borbonii ſuas inſtruunt, ſub occaſumque ſolis Auſtriacorum appropinquare caſtris incipiunt. Erant Auſtriacorum caſtra tormentis, propugnaculis, altiſſimiſque inductis aquis, foſſiſque munitiſſima, &, quod per exploratores perfugaſque cognoverant, reſque ipſa oſtendebat, ſuorum oppugnationem caſtrorum a Borboniis parari, ſuas item ipſi copias contraxerant, magnaſque munitiones addiderant, ipſeque Lictestenius, quem incommoda valetudo multos jam dies longe a caſtris tenebat, rei magnitudine commotus in caſtra venerat, ut prælio intereſſet. Caſtella, quæ erant ab illis poſita locis opportunis, noſtri, multis utrinque vulneratis, atque interfectis, expugnant, in iiſque expugnandis

no-

nocturnum omne tempus consumitur. Prima luce in ipsas irrumpunt munitiones, exuperatisque aggeribus ad fossas perveniunt, quarum tametsi quanta esset altitudo nostri nondum duces perspexerant, & ne sarmenta quidem, quibus eæ explerentur, comportari per equites jusserant, tamen earum difficilis, impeditusque transitus ardentes studio pugnandi milites, præsertim Gallos, adeo non tenuit, ut sese in eas audacissime demitterent, ibique pars magna militum aut confossa telis, quæ creberrima accidebant ex tormentis ad summa fossarum labra constitutis, aut inductis hausta aquis interiit. Sed nihil ea re nostri commoti per coacervata suorum corpora transgressi in superioribus locis consistunt: jamque Aramburus hostium munitione potitus viginti in ea & sex collocata tormenta occupaverat: qui quidem, si in ipso statim negotio consilium capiens erepta hostibus tormenta in ipsorum perniciem hostium vertisset, iisque perturbatis, spatium nostris dedisset confirmandi sese, accersendique equitatus, qui auxilio laborantibus accurreret, maximum certe ad victoriam momentum attulisset; neque ipse forsitan multis postea vulneribus confectus in potestatem Austriacorum venisset. Eodem tempore, &, quæ in media erant acie, Hispanorum cohortes Castellum quoddam hostium egregie munitum atque defensum, quanquam sæpius repulsi, tamen ad extremum redintegratis viribus, expugnaverant; & eodem impetu, eademque suorum atque hostium jactura, ne-

que

que minus explorata victoriæ ſpe a ſiniſtro cornu Gagius irruperat, neque multum aberat, quin totis Auſtriaci caſtris expellerentur: cum cl. Eugenianæ alæ dracones opportuniſſime ſummiſſi tanta vi in Gallos irruerunt, ut, qui incredibilem a principio virtutem præſtiterant, improviſo eorum incurſu adeo exterrerentur, ut omnes protinus, turbatis ordinibus, & equitatus ſubſidium nequicquam implorantes terga verterent, præoccupatiſque animis vano quodam terrore, non ducum cohortationes, non preces exaudirent: ipſeque Malibojus, dum, equo dimiſſo, fugientes increpat, & gladium intentans retinere conatur, reliquorum fuga, & tumultu abreptus pedem referre cogeretur. Quo feroces ſucceſſu Auſtriaci milites, equiteſque non negligendam ſibi occaſionem exiſtimaverunt, & profligatis Gallis, confertiſſimo omnes agmine in Hiſpanos impetum fecerunt. At Gagius ubi fugere Gallos, trepidare ſuos, ſeque urgeri a fronte, nudari a dextra vidit, & Belgarum, atque Hiſpanorum Prætorianorum cohortes, quibus maxime confidebat, omnibus fere ducibus aut vulneratis, aut occiſis ſuſtinere ſe diutius non poſſe, veritus, ne omnis circumventus deleretur exercitus, ſenſim cedendo furorem repreſſit Auſtriacorum, ſeſeque ad oppidum ſatis, ut in trepida re, quiete recepit. Biduo poſt quum nominatim ratio confecta eſſet, qui numerus ex noſtris fuiſſet eorum, qui capti ab hoſtibus, & vulnerati eſſent, & item, qui in acie cecidiſſent; captorum ſum-

ſumma reperta eſt iↄccccxv., vulneratorum iv. millia & ccccIx., occiſorum iii. millia & ccxx.: quo in numero ex Gallis comes Broſtellius præfectus Fabrum, Equeſque Teſſæus, ex Hiſpanis Duccæſius, & Romerius legati fuerunt, fortiſſimi viri. Virtius Helvetius de Neapolitano exercitu caſtrorum præfectus contrucidato corpore captus eſt. Atque hoc prælio ſatis conſtat excellentiſſimam virtutem militum fuiſſe, inſigni autem primorum ducum imperitia accidiſſe, ut, ſecluſo equitatu, quod unum eſt in præliis maxime neceſſarium, latera nudarentur, nullumque ſubſidium eſſet, quod ſummitti poſſet, ignorataque foſſarum altitudine, maximum ex loci iniquitate detrimentum caperetur, fugaque propterea, & cædes militum, & totius rei perturbatio fieret.

Hac victoria ſublati Auſtriaci tametſi ad iii. millia ceciderant, multo tamen erant alacriores ad continendos hoſtes, quos magno cum detrimento repulerant, omnibuſque modis huic maxime rei ſtudebant, ut pabulatione, commeatuque prohiberentur. Noſtris autem præter Cremenſem, & Laudenſem agrum, non regio, aditusve erat ullus reliquus ad copiam rerum neceſſariarum. Quibus ne interluderentur, implicatique hærerent, Malibojus, Gagiuſque paucis a Placentino prælio diebus, Caſtellarenſi cum circiter iv. hominum millibus Placentiæ relicto, ut oppidum, eoque belli collatum apparatum, qui erat maximus, tueretur, copias ipſi ſuas Padum transjecerant, in-

intraque Lambrum, Adduamque amnes, munitis fluminum ripis, constituerant, ad Codoneumque Philippus progressus suum ibi prætorium constituerat.

Sardiniæ Rex, post imperatas Novensibus pecunias, longo erat intervallo Malibojum insequutus, atque in magis magisque exploratam spem futurorum post Placentinum prælium ingressus, facto ad Parpanesum in Pado ponte, suoque tandem cum Germanorum copiis exercitu conjuncto, ad nostri exercitus reliquias delendas accesserat; eratque utriusque exercitus imperator appellatus summa omnium lætitia, & Subalpinorum, qui ab Rege suo imperatoriam ex Vormaciensi fœdere susceptam dignitatem gratulabantur, & Germanorum, qui ejusmodi copiarum conjunctione Sardiniensis denique in bello animum nudari existimabant.

At apud Borbonios adversa erant, plenaque perturbationis, & mœstitiæ omnia. Infirmitas virium, loci angustia, commeatuum inopia, magna in ducibus discordia, in militibus desperatio, parum in omnibus animi, nihil consilii: ut autem a principio belli aliud ex alio peccare non destiterant, sic, pravis consiliis ne adversa deesset fortuna, aliæ aliis calamitates cumulabantur. Nam tanta ærumnarum varietate jactatis accessit inopinatum subito malum, omniumque maximum.

Post Placentinam enim pugnam tertio & vigesimo die mortem repente obiit Philippus

is,

is, qui primus in Borboniam familiam Hispaniæ regnum intulit, & a quo nemo negaverit, aucto commercio, susceptisque bellis, senescentem prope sub Austriacis Regibus Hispanorum industriam, atque virtutem esse commotam. Erat militarium facinorum cupidissimus rex, &, grande ad bella incitamentum, accesserat uxor altera, quæ sive Parmam patriam suam servire Austriacis, sive liberos, quos ex rege susceperat, privatos vivere indignaretur, omnia certe superiore Italico bello moverat, & præsenti movebat, utque belli jure Carolum Neapolis, ac Siciliæ regem tunc fecerat, ita nunc aliquod in Cisalpina Gallia regnum quærere Philippo conabatur. Sed novo sub Hispaniæ Rege nova, ut plerumque fit, inibantur consilia: & quanquam vetera displicebant, nondum tamen nova coaluerant, neque dum regni artibus, regnandique magistris assueverat Philippi successor Ferdinandus, ex priore filius uxore, eademque Sardiniæ Regis sorore. Interea novercam Ferdinandus verbis consolatur amantissimis, datque ad Philippum fratrem literas, quæ bonum illum animum habere juberent, omniaque æque ab se fore parata dicerent, atque erant a Patre. Facta hæc esse pro tempore nonnulli interpretabantur, ne metu perterrita mutationis noverca cum omnibus opibus ex Hispania sese proriperet, neve Gallorum amicitiæ Frater confisus exercitum, summumque in Italia imperium arriperet. Sed in luctu acerbissimo neque Elysæ tantum erat consi-

filii, neque Philippo animi, ut difficillimam, graviſſimamque rem auderent: & tanta eſt in Ferdinando Rege morum probitas, ut ab omni officii ſimulatione abhorreat, decipique ipſe facilius, quam decipere alios queat.

At Ferdinandi literæ poterant illæ quidem Philippi animum confirmare, exercitum non poterant: quem recentis prælii metu perterritum, diminutis valde copiis, non tam inopia præſentis, quam futuri temporis angebat timor. Jamque Auſtriacorum pars Lambro, pars Abduæ appropinquaverat. Botta Præfectus Fabrum (nam Lictestenius morbi cauſa diſceſſerat) cum xx. hominum millibus ad oppugnandam Placentiam ſubſtiterat, & Lazariana domo, munitionibuſque diſturbatis, Goranum miſerat, qui cum parte equitum, peditumque levis armaturæ ab altera Padi parte iter faceret, repentinaſque noſtrorum eruptiones quam diligentiſſime obſervaret, ac demoraretur.

In his anguſtiis clamare Malibojus, deos hominesque conteſtans, non deſtiterat, iis quamprimum locis excedendum eſſe, &, dum vires ſuppeterent, eruptione facta, Dertonam revertendum; quod ibi propter loci opportunitatem neque eſſet commeatuum impedita ſubvectio, neque receptus, ſi quid durius accideret, adempta facultas. Quæ quum ille diceret, non tam inopiæ periculo commovebatur, quam incerta novi Regis Hiſpaniæ voluntate, quem fama erat ab Italico bello, & Gallica ſocietate abhorrere. Quo-

cum-

cumque autem fortuna inclinaret, tutum ſibi, ſuiſque in Galliam receptum dari volebat. At Gagius neque adeo rem eſſe in anguſto dicebat, ut ſit ſub oculis hoſtium eruptionis utendum conſilio tam deſperato, & quod ſemel jam nimium male ceſſerit; neque hoſtium copias eſſe tantas, vulgatis morbis, & recenti etiam, quod fuit neceſſe, acerrimoque prælio attenuatas, ut omnia longe, lateque loca inſidere, & cuſtodire poſſint. Non defore pabulum, non commeatum omnis generis, quæ ut anguſtiora fuerint, nimiam eſſe iſtam in milite mollitiem, non poſſe inopiam ferre pauliſper. Poſtremo ſeu manendum ſit, ſeu proficiſcendum, nihil ſe videre, cur temere quicquam, aut raptim agatur: & maneri ſine incommodo, & perrumpi etiam, ſi neceſſe fuerit, ſine periculo poſſe; ſi modo tanta res temporis potius beneficio, quam fortunæ temeritati committatur. Hæc conſiliantibus eis, nunciatur, ab Germanis Subalpiniſque cum duodequadraginta cohortibus, ſuperato flumine Lambro, Laudem peti Pompejam. Tum vero Malibojus, quid cunctaris, inquit, Gagi? an expectas, dum omni aditu præſepto, omnique conſumpto commeatu, aut fame intereamus, aut in contumeliam hoſtibus dedamur? Commemorat deinde quanto ſit æſtimanda momento totius exercitus, denique ipſius Philippi ſalus; cujus nullam, niſi in celeritate eruptionis, poſitam eſſe ſpem, dicit: premi jam undique, & pene teneri: quid futurum autem, Laude amiſ-

ſa

ſa Pompeja? Mirari porro ſe, tanta eſſe homines pertinacia, facere ut malint quod pœniteat, quam videri minus recte conſuluiſſe: quis vero dubitet, quin pœnitere eos quamprimum conſilii oporteat illius, in quo iniquiora fuerint omnia neceſſe eſt circumvallatis, fame confectis, erumpere fruſtra, ſeroque tentantibus? nam, ne erumpatur, quis audeat ſuadere, niſi turpiſſimæ idem auctor deditionis? quod ad mollitiem attinet, non eſſe fas eum arbitrari difficultate rerum frangi, qui mortis periculo non terreatur. Verum, inquit Malibojus, in conſiliis capiendis, non quid pati miles poſſit, ſed exitus quid rei poſtulet, imperatori cogitandum eſſe, arbitror, ne aut patientia militum abutatur, aut agendi tempora conſumat. Perſeveranti nihilominus in ſua ſententia Gagio literæ ab Hiſpania redduntur, quæ placere Ferdinando Regi nunciabant, ut Dertonam ipſe cum omni exercitu adipiſci properaret. Quibus ille literis coactus rem ſuſcipit arduam, difficilem, & in qua peragenda, quo minus ineſſe conſilii videbatur, hoc majore peracta animo, atque admiratione fuit. Nam quum ab hoſtibus pene circumdatus teneretur, iiſque invitis, ac repugnantibus flumen eſſet ipſi tranſeundum altiſſimum, latiſſimumque Padus, tantâ virtute, ac diligentiâ confecta ſunt omnia, ut incolumi exercitu erumpi potuerit, niſi unius temeritate legati ſatis in ea re peccatum eſſet. Præmiſſus enim erat ad Tidonium amnem Pignatellius legatus, eique mandatum erat a

Gagio diligenter Austriacos ne lacesseret, &, si ipse lacesseretur, sustineret, quoad essent impedimenta exercitus progressa, suumque copiæ omnes iter arripuissent. At ille ubi primum hostes conspicatur, quorum erat xii. millium numerus, quum ipse non amplius iv. hominum millia haberet, inconsulte progressus prælium temere committit. Malibojus, qui primo præerat agmini, incredibilique celeritate, atque animi magnitudine intra Tidonium amnem, Parpanesumque vicum pontes perfecerat, transierat Padum, Goranum submoverat, subito ab instituto deflectere itinere, laborantique succurrere Pignatellio cogitur. Interim Castellarensis, signo cognito profectionis, quod inter eum, & Gagium convenerat, abductisque, quæ poterat, tormentis, atque impedimentis, & tamen parte maxima relicta, proficiscitur Placentià, pontem, pontisque munitiones, ollis subjectis incendiariis disjicit, sineque ulla offensione noctuabundus ad Gagium pervenit.

Quibus rebus Bottæ nunciatis, relicto Nadastio, qui Placentiam reciperet, mittit primo Goranum cum Pyrochitrophorum delecta manu, post cum equitatu Serbellonium, postremo ipse omnem exercitum subsidio adducit. Auctis utrimque copiis, atrox oritur prælium. Berenclavius effrænatæ homo ferociæ, & magnæ habitus auctoritatis, Austriacorum dux occiditur. Vulnerantur Pallavicinus, & Brounius, præstantissimi viri. Multi ex nostris milites, multi item cadunt duces, in his de

Hi-

Hispaniensi exercitu Trib. mil. Julius Deodatus Lucensis summe spei, nobilissimaque ortus familia adolescens. Austriacos certa jam prope victoria, & toties fugatus hostis, Borbonios posita incitat in dextris salus, salutisque spes desperatione quæsita. Quum insolenter irruerent hostes, impugnarent acerrime Galli, resque esset in summum deducta discrimen; Gagius, qui mediam curabat aciem, in qua ipse erat Philippus, atque impedimenta omnia agebantur, jussis extremi agminis militibus imminentem morari Sardiniæ Regem, accelerat ipse, ut prælio intersit, laborantibusque subveniat. Longissimum erat agmen, magnaque impedimenta, iisque qui præerat, ignorantia loci deerraverat a via. Quæ res, retardato Gagii subsidio, majoris fuit causa cædis. Irrumpit tandem Gagius, & licet equo vulnerato dejectus afflictusque, instruere aciem, inferre signa, cohortari milites, ne labori succumbant; meminerint denique illo die, illa hora aut moriendum ipsis, aut ferro iter ad salutem aperiendum esse. Hoc idem facit Malibojus. Quorum virtute restituto prælio, repulsisque hostibus, superiores discessisse nostri videbantur: ire certe, quo intenderant, perrexerunt, ad Iriamque oppidum vulneribus, & lassitudine confecti, perturbatique sese receperunt. Hostes ab insequendo aut incredibilis audacia nostrorum, aut suorum jactura, aut denique prædæ tenuit cupiditas, qua, capta Placentia, potiti erant ingenti, & de qua, tormentorum maxime causa, celeriter est in-

ter eos orta dissensio, quum suam Subalpinus prædam, quæ sua in urbe, suam item Germanus diceret, quæ suo labore, suoque sanguine parta esset, atque iniquum videri vociferaretur, belli alios periculorum debere, alios velle præmiorum esse participes.

Dum hæc in Cisalpina Gallia geruntur, Rex Sardiniæ Philippum Marchionem Balestrinatem in provinciam irrumpere Genuensium jusserat ab ea parte, quæ spectat in occidentem solem, & quam Ligures incolunt Ingauni. Hac re fieri posse arbitrabatur, ut turbatis domi rebus, ab subministrandis foris auxiliis Genuenses retardarentur, & si Albingaunum Balestrinas, aliave ad mare loca occupasset, ut Borbonii ipsi receptu, commeatuque intercluderentur. Balestrinas, acceptis cohortibus iii. legionariorum, quas ex legionibus Casalensi, & Nicæensi, & item ea, quæ appellatur Maritima, deduxerat, multoque majore tumultuariorum militum, montanorumque peditum coacta manu, tum etiam Cisano ex itinere castello expugnato, direptoque, atque aliquot missis, qui Castrumvetus obsiderent, ipse cum reliquis copiis Saccarellum tribus ex partibus summa vi oppugnare instituit. Ea sunt Ligurum castella Ingaunorum. Anfrano Saulio, quem Genuenses Albingaunum, in eamque provinciam miserant cum imperio, quum id renunciatum esset, conari Balestrinatem ea occupare castella, maturat aliquod iis auxilium subito mittere: imparatus ab legionariis, quam maximum potest ex

a-

agris, vicisque tumultuariorum militum numerum cogit, eosque eo statim jubet proficisci.

Erat forte Albingauni Marchio Beriolensis Gallici exercitus decurio cum cohortibus duabus, iterque ad exercitum habebat. Hominem Saulius appellare, & multis obtestari verbis, aliquot e suis legionariis subsidio mitteret: occasionis esse rem, non prælii; ad quam quoniam illum fortuna obtulisset, insultare diutius in finibus Reipublicæ hostium colluviem ne pateretur: non de Borboniis ita Genuenses meritos esse, ut astantibus, & inspectantibus ipsis, agri vastari, castella expugnari eorum debeant. Negat Bariolensis sui arbitrii rem esse aut iter intermittere, aut sibi commissas diducere copias: proinde haberent per se Genuenses periculi sui rationem, sibique consulerent. Dejectus Saulius opinione Gallici auxilii, tamen animo non deficit. Evocat Astengium centurionem, qui non longe aberat. Astengius cum non amplius lxxxx. militibus partim legionariis, partim Pyrochitrophoris auxilium obsessis ferre contendit. Occurrit illi in itinere tumultuariorum manus, eique adjungitur. Interim castella arcte, graviterque, unoque tempore obsidione, & oppugnationibus premuntur. Resistitur acerrime ab præsidiariis. Accelerat Astengius, ut laborantibus subveniat. Francus Protrib. mil. de exercitu Genuensi, qui Castroveteri præerat, eruptione facta, Subalpinorum compluribus interfectis, & captis l., in arcem revertitur. Sac-

carellum autem quum longiorem sustinere oppugnationem non posset, in potestatem hostium venit. Habet illud Balestrinas contra fidem, & deditionis conditiones prædæ loco; pecunias imperat; qui forum ibi agebat, togatum hominem, & gravem vexari indignissime patitur ab suis. Montani vero pedites Subalpini assueti latrociniis, effusi per agros omnia diripiunt, vastant. Appropinquat Astengius. Ejus cognito adventu, visisque militibus, quos se sequi jusserat, subito hostes timore commoti Castriveteris oppugnationem relinquunt, ac profugiunt. Hoc idem facere Balestrinas conatur. At, fugatis montanis, Astengius suorum magis virtute fretus, quam memor paucitatis, proximos colles, & semitas præoccupari universas jubet, & trepidantem in arcem Saccarelli Balestrinatem compellit. Tum vero ille aquæ inopia confectus, frumento, commeatuque omni, & fuga interclusus, necessariam subire deditionem cogitur. In his præliis vulnerati sunt ex Genuensibus tumultuarii milites nonnulli, & Pyrochitrophori omnino vi. desiderati. Ex Subalpinorum copiis circiter lx. cecidere: sed in deditionem venerunt milites cccc., & nobilissimus homo Balestrinas ipse, & præterea duces xx. alii minores, inque his centuriones tres.

At Genuenses, repressis jam ab alpium parte, maritimoque ad occidentem litore summotis hostibus, majore animo, studioque in reliquum bellum incumbebant, novaque Mirapiscensi subsidia ad exercitum adducenda sub-

ſubmiſerant, neque tamen non magnopere perturbabantur, audita Philippi Regis morte, & cognitis iis, quæ ad Placentiam, Tidoniumque amnem erant geſta, verentes, ne tantæ aliquando calamitates ad perniciem ſerperent Reipublicæ.

Gagius defatigatum ex ſuperiore prælii labore, ac cæde exercitum ad Iriam oppidum contraxerat, confirmabatque, indeque Dertonam progredi, intraque ipſius Dertonæ, Serravallis, & Gavii præſidia locare caſtra cogitabat, quo facilius, munitiſſimis, atque opportuniſſimis locis, quantaſvis magnas hoſtium copias repellere poſſet, intereaque ex Hiſpania, Gallia, Genuaque ſubſidia, & commeatus convenirent, atque ita ſe reliquam belli rationem explicare poſſe prudenter ſane confidebat. Quæ dum parat, atque adminiſtrat; ecce tibi repente Marchio Mirenſis cum duabus apparet Ferdinandi Regis epiſtolis, quarum altera jubebat Rex Gagio, exercitum, atque imperium Minenſi tradere, altera Caſtellarenſi denunciabat, uti confeſtim Italià excederet. Atque ita virtute, quam felicitate major Gagius in Hiſpaniam rediit imperator ſeveritate, uſu, conſilio cum veteribus comparandus. Erant tamen qui tardum, parcumque nimis eſſe dicerent: ſed tarditatis culpam longiſſima ab Hiſpania uſque mandatorum expectatio minuebat, parſimoniam autem nulla de alieno præda etiam commendabat. Caſtellarenſi, qui & ipſe conſilio bonus, manuque ſtrenuus habebatur, contumacia obfuerat, qua

ferocius Gagio repugnaverat, ne idem sibi adversus successorem licere arbitraretur, & ipsius apud Elysam Reginam auctoritas, extincto Philippo Rege, criminis loco ponebatur.

Interim magna facta erat in Hispania voluntatum, & studiorum commutatio. Abhorrebat Ferdinandus natura lenis a vehementioribus novercæ consiliis, & Camposiano irritatus colloquio Gallis diffidebat: quædam etiam Philippi patris non probabat, inveterata successorum libidine immutandi semper, quæ priores fecerint: & erat ipse quoque uxori obnoxius, quæ viduæ Reginæ studiis adversabatur. Quippe hærebat animo, regnante Socero, contemptus sui, multaque erumpebant jam diuturnà dissimulatione compressa. Novorum pars Purpuratorum obsequio erga Reges assentiri præsentibus, pars odio Gallorúm, & æmulatione eorum, priore qui regno floruerant, damnare præterita, reique publicæ causa ad privatam obrepere potentiam pro se quisque cœperant. Nam quid aliud tot sumptibus, tot exercitibus, tot commeatibus, supplementisque quæsitum, quam vulnera, fugas, luctus, opes paucorum, egestatem omnium? satis credulitate peccatum; satis Gallis inservitum, qui quidem bellum alant ipsis opportunum, aliis perniciosum: respicerent aliquando vastitatem Hispaniæ, quæ facta esset Italicis bellis quærendo foris regna, & dominationes: denique commodius multo Philippo Regis Fr., quando armis jam non possit, pactione, aut fœdere consuli posse. Hæc jactabantur apud

Re-

Regem, hæc edebantur in vulgus, hisque de causis raptim, atque turbate educere Italià exercitum, relinquere socios, ad eaque conficienda, quum satis tuto committi literis non viderentur, missus erat summo cum imperio Marchio Minensis consiliorum gnarus omnium, & mira homo in simulandis negociis ingenii altitudine, maximeque admodum inimico in Gallos animo.

Suscepto Minensis imperio Dertonam statim progreditur; ad quem quum nonnulli de Hispaniensi exercitu Trib. mil. gratulatum venissent, ejusque ductu sese meliora sperare dixissent: Quid vos, inquit ille, meliora? an quicquam hoc non exercitu, sed exercitus nomine perfici posse speratis? Instantique Malibojo, ut Dertonæ subsisteret propter ejus loci opportunitatem, aliter Regi suo videri respondit; &, signo dato profectionis, evelli signa, & castra moveri jussit. Forte autem, quum iter Borbonii facerent, acciderat, ut Marchio Novatus, qui cum x. hominum millibus primum hostium agmen ducebat, in mediam nostrorum aciem temere illatus opprimi facili negotio posset; utque tanto ad vincendum fortunæ beneficio uteretur, magnopere erat Minensi auctor Malibojus. At illius mentem una occupaverat cura receptus. Itaque, spreto Maliboii consilio, ultra Ligusticas fauces sese recipere properabat.

Interea Genuenses magna afficiebantur sollicitudine, ne in tanto rerum motu destituerentur ab sociis, & variantibus ab spe, metu-

tuque animis, in partem disputabant utramque. Cur enim alius subito imperator? cur relicta Dertona? cur non oppressus Novatus? cur denique præceps adeo, inopinatusque Mincensis receptus, ut consimilis fugæ videatur? Movebat etiam eos auctoritas Gagii, cujus percrebuerat sermo, quem decedens habuisse inter cœnam dicebatur apud Augustinum Grimaldum in Arenario suburbano. Quum enim illum Genuenses nonnulli, qui salutandi hominis causa convenerant, paulo curiosius de exitu rerum percunctarentur: Me quidem, inquit Gagius, deposito imperio, Ferdinandi Regis consilia neque scire, neque interpretari decet; sed, si Dertonam, Gaviumque nostri reliquerint, non verisimile est, velle ab iis, aut omnino posse Ligusticas fauces teneri, sed ulterius progrediantur oportet. Occurrebant illa contra: Erunt igitur fidei, & beneficiorum immemores? optime de se meritos Genuenses deserent? Quid turpius? loci negligent opportunitatem? tantam commeatuum, tantam pecuniæ vim Genuæ collectam hostibus tradent? Regem Neapolis, cui, Genua amissa, submotisque Italia Borboniis, nulla fere spes, Regem socium, suorumque Regum fratrem, & consanguineum deserent? non verisimile videbatur. Itaque superabat spes, fore, ut circa Serravallem, Gaviumque consisterent, & Ligusticas saltem fauces tenerent. Verum multa in hominum vita accidunt inopinata, & nihil est spei, perplexisque hominum consiliis credendum. Nam Borbonii, paucis ad Octavium

vi-

vicum relictis centuriis ad speciem defensionis, omnem, citra Ligusticas fauces, ad Langenses exercitum contraxerunt præter utilitatem suam, atque omnium opinionem; ipsorumque spe hostium maturior Serravallensis arcis deditio facta est. Tum vero Genuenses, ad superiorum rerum metum additâ præsentium opinione, Borbonios fugere arbitrati, mittunt ad eos Dominicum Pallavicinum omni Italico bello legatione functum apud Philippum Ferdinandi Regis Fr., Philippoque ipsi, & Reipublicæ probatum, qui, si desperarent, animum perterritis adderet, si labarent, fidei desciscentes admoneret. Eorum consilio bellum Genuenses suscepisse: eorum causa, submissis auxiliis, patriam præsidiis nudasse; socios tam fideles hostibus tam incitatis conculcandos, diripiendosque ne relinquerent: neu nimis valde perturbarentur adversis: loca, homines, commeatus superesse ad repugnandum, exercitumque commode, & sine periculo habendum: denique recordari debere, quoties ad paucissimos redacti, redintegratis mox viribus una virtute, & perseverantia vicerint; qua post Camposanctense prælium, qua ad Velitras constantia exultantem in victoria hostem represserint: hostem ipsum aut inopiam non laturum in locis asperis, atque impeditis, aut fractum difficultate itinerum, & levium crebritate præliorum longius recessurum. Minensis, tametsi vera Pallavicinum loqui intelligeret, tamen ipse longe diversa animo agitabat ea spectans, quæ erant apud Regem

in

in Hiſpania conſtituta. Itaque ingenio uſus ſuo in occultandis negociis, & fortaſſe ab Genuenſibus metuens, ne in receptu impediretur, conſilium profectionis quo diligentius obtegeret, ſtudium manendi vehementiſſime ſimulabat. Pallavicinum ſuo, ſuique Regis nomine ſine cura eſſe jubet, de ſtatu belli, de locorum natura, Ceciienſi adhibito Genuenſium copiarum legato, conſultat, denique bene pollicetur.

Hæc a Minenſi, hæc a Muniaino, quicum ſummis de rebus Philippus communicabat, publice, privatimque inculcabantur, hæc eadem iterabantur a Gallis vel ignaris, vel neceſſaria erga Hiſpanos obſequentia, conniventibus quidem certe; eratque unus omnium ſermo, intercluſuros ſuomet ipſos ſanguine hoſtibus aditum, & pro Urbis Genuæ mœnibus tanquam pro patria pugnaturos. Quibus rebus confirmati Genuenſes, & eo decepti, quod neque cauſam viderent, quare ſuſpicarentur, neque ſine cauſa ſuſpicandum putarent, defenſione urbis neglecta, ad ſublevandas Borboniorum copias curam omnem, & diligentiam conferunt; &, quum id Minenſis ſtudioſius expeteret, quas ad Urbis præſidium cohortes reſervaverant, eas etiam Savonem verſus ad continendos ab ea parte hoſtes, ne, ut ipſe ajebat Minenſis, Borbonii intercluderentur, proficiſci jubent.

At Borbonii eadem uſi ſimulatione Marchionem Villadarienſem Genuam mittunt, ut coram ipſe quoque defendendæ Urbis opinionem

nem monendo, consulendo, Feginum denique ad castra locum designando excitaret. Dum autem Genuæ, atque in castris ad Reipublicæ defensionem multa consuluntur, Respublica indefensa relinquitur.

Sextum jam Philippus progressus, Varum amnem Galliamque Narbonensem spectare videbatur. Erant omnes ad litus appulsæ actuariæ: tormenta, commeatusque exercitus convehebantur ad mare; imponebantur; mare omne, litusque nautis, navibusque, impedimentis, atque operis strepebat, discedere properantibus. Quæ quum fierent, erat eadem in ore Gallorum, atque Hispanorum de Urbis defensione affirmatio, Pallavicinumque Philippus, negotium ut tandem conficeret, postridie redire jusserat.

Austriaci, dimisso in Cisalpinam Galliam omni fere equitatu, quod ejus in montibus inutilis opera videbatur, neque satis esse pabuli poterat, & relictis, qui Dertonam, quique Gavium obsiderent, receptâ, ut diximus, in itinere Serravalle, occupatisque Novis, bipartito copias dividunt. Subalpini Savonem, Finariumque versus eruptionem facere contendunt; Germani autem, Ligusticis primo impetu faucibus potiuntur, quum, quæ præsidio ibi erat, Hispanorum manus, commisso vix dum prælio, sese ad suos magis recipere, quam aliena tueri cogitaret.

Postridie mane Sextum Pallavicinus redibat, ut, quo tantæ demum Borboniorum pollicitationes erumperent, videret. Atque ei mil-

millia passuum aliquot progresso nunciatur, paulo ante discessisse Philippum, omnes duces, omnem exercitum properare, atque esse in itinere. Itaque, infecta re, in Urbem revertitur. Paucis post diebus, quum jam Austriacorum adventu in maxima Genuenses essent perturbatione, ac luctu, apparent a Muniaino literæ, quas scripsisse is dicitur Ovalii Hiberni callidissimi hominis admonitu, ut a Borboniis relictionis invidiam averteret in eos ipsos, qui relinquebantur. Insimulabantur Genuenses, per inde quasi nimia libertatis cura recipere intra Urbem auxilia noluissent, quæ maxime imploraverant, aut per quasdam conditiones placare Austriacos tentassent, a quibus durissima quæque patiebantur. Muniaino ex auctoritate Senatus Pallavicinus omnium earum rerum testis, atque actor respondit; iisque eum sententiis, rebus, & temporibus adeo repugnantibus scripsisse, quæ scripserat, demonstravit, ut liquido constaret intempestivam expostulationem longe plurimum a vero abhorrere. Tam autem anxia profectionis occultandæ religio eo spectasse videtur, ut impeditis circa Genuam deditione, prædaque Austriacis, quietiorem Borbonii receptum haberent.

Austriaci Genuæ appropinquabant, in Arenariumque suburbanum pervenerant, magnaque erat in Urbe perturbatio, magna concursatio sciscitantium quo loco Austriaci, quo Borbonii essent, & augebat tumultum agrestium mulierum, virorumque turba, quam, ad-

adventantibus Auſtriacis, repentinus in Urbem pavor compulerat. Erat hoſtis ad portas, nullum foris auxilium, nullum intus præſidium, non pecunia, non milites, exhauſto ærario, diſtracto exercitu, paucis relictis cohortibus, iiſque ex transfugarum genere infideliſſimo ſuppletis. Urbana quum vocaretur ad arma plebs, aut nomina non dabat, aut dilabebatur. Irritata enim Borboniorum receptu, & capta compendio, quod locandis operis, venalibuſque vendendis belli tempore fecerat, deteſtabatur magis ſociorum perfidiam, quam hoſtium horrebat adventum, minuſque ſervitutis quietæ opinione, quam ancipitis belli metu perturbabatur. Apud Patres variæ erant ſententiæ, & erat magis in promptu, quid ſequerentur, quam quid ſequi e Republica foret. Mittendum tamen Eſcerium caſtrorum Præfectum cenſuerant, qui Brounii eliceret animum; namque is Auſtriacis tunc copiis, abſente Botta, præerat. Sed quum acerbius eſſet Eſcerius tractatus, & negligenter auditus, miſſi ſunt Raynerius Grimaldus, & Auguſtinus Laumellinus, qui, Brounio convento, ita loquuti ſunt: Bellum Genuenſes nemini, minimeque omnium Reginæ Ungariæ intuliſſe, quam ſemper ſingulari obſervantia coluerint: ejus rei teſtimonium eſſe, quod eorum Legatus nunc quoque Viennæ apud ipſam ſit, neque certe, niſi ſalva amicitia, liceret eſſe: ad Borboniorum ſocietatem coactos deſcendiſſe, atque omnia prius de compoſitione expertos; arma ſumpſiſſe defendendi

di sui causa, ne sua sibi eripi si inermes sinerent, ignavissimi mortalium haberentur. Quare neque insectandos videri, qui sua defenderint, neque hostium numero habendos, qui nunquam ab amicitia discesserint. Immo vero acerbissimorum hostium, inquit Brounius: quid enim sine vobis Borbonii potuissent? iis vos auxilia, vos commeatus subministrastis, & sexennium fere, frustraque nitentibus vos soli, Genuenses, patefecistis aditum ad ea conanda, quæ si valuissent, Austriacum in Italia nomen deletum esset. Irent propere, Senatuique renunciarent, omittendum esse in præsentia amicitiæ nomen, easque leges accipiendas, quas victoris ira imposuerit. Missurum se cum iis Comitem Goranum, qui eas perferret, Senatuique de scripto pronunciaret.

Biduo, quo hæc gesta sunt, Novis Botta profectus ad exercitum advolavit, ne quis deditæ Urbis gloriam, prædamve alius interciperet, & improvisum accidit Austriacis incommodum. Nam quum in ipso Porciferæ amnis alveo tetendissent, qui latissimus est, & erat a diuturna serenitate, exsiccatus, tantus repente imber coortus est, ut nunquam illis locis majores aquas fuisse constaret, & milites, tabernacula, equites, equique rapidissimo amne abrepti gurgitibus haurirentur, eaque tempestate homines ad mille perirent.

Bottæ adventus, ut in malis, gratus Genuensibus fuerat, propterea quod recordatione

ne

ne civitatis, qua familiam suam cum suffragii jure honoris causa donaverant, & affinitatis, quæ erat ei cum nonnullis Genuensibus, facilem, mitemque sperabant. Ad quem quum Augustinus Laumellinus, & Marcellus Duratius (nam valetudine Grimaldus impediebatur) in castra venissent, precibusque ab eo petissent, ne hostis animo, qui civis esset, ad communem quodammodo patriam evertendam accederet, eum ingressos in sermonem Botta interpellavit, & loqui plura prohibuit: Quid enim, inquit, verbis opus est? aut resistendum vobis est, aut statim facienda deditio. Si resistitis, ego Urbis ruinam actutum futuram puto; sin deditionem facitis, accipite. Explicat codicillos, in quibus ejusmodi erant scriptæ conditiones: portam Urbis unam statim traderent: quæ in arce Gavii, quæ item in Urbe præsidia essent, se uti Austriacis dederent, Senatus censeret: Austriacos bellum gerentes, eorumve socios oppidis, arcibusque reciperent: omnes Reipublicæ portus, stationesque Austriacis sociisve nautis, Navarchisque paterent, atque immunes essent: adversus Austriacos, eorumve socios hostile quicquam ne tentarent Genuenses, neu tentari paterentur ab suis: arma, commeatus, tormenta, quæ Gallorum, Hispanorum, ac Neapolitanorum essent, sine mora traderent; qui item Galli, Hispani, Neapolitanive milites, ducesve essent apud ipsos, eorum sine ulla exceptione nomina profiterentur: qui bello capti, quive transfugæ ex Austriacis es-

ſent, recte omnes redderent: Dux, cumque eo Senatores ſex Viennam proficiſcerentur, advolutique Reginæ pedibus clementiam ejus implorarent: obſides, ea ita futura, Senatores quatuor darent Mediolanum deducendos; & tricies HS., quod exercitui congiarii nomine donaretur, penderent in præſenti, & tantumdem præterea pecuniæ Comiti Cotechio Italici exercitus Quæſtori curarent, quantum conveniret: de his omnibus rebus xx. horarum ſpatium ad deliberandum haberent. Hoc a me, inquit Botta, beneficium habetis, ut aliquæ ſint conditiones, quibus vitam, ac libertatem paciſci poſſitis; quas non ademiſſe erit vobis argumenti loco, me nec humanitatis, nec, quando ita vultis, patriæ oblitum eſſe. Si cui vero conditiones latæ graves, atque acerbæ videantur, reputet ipſe ſecum, quanto illa graviora æſtimanda ſint, expugnari domos, diripi fortunas, abſtrahi in ſervitutem, cædes fieri, incendia, rapinas, quæ omnia neceſſe eſt accidant victis, victoribuſque parere recuſantibus. Perlectis Legati conditionibus, auditiſque Bottæ minis ingemuere, & quo ſunt, quæ præter opinionem accidunt, acerbiora, eo vehementius Bottæ oratione commoti ſunt. Facilis enim qui putabatur, ad eas conditiones, quas Senatui Goranus ediderat, duriores ipſe multo addiderat: ut autem ſpatium intercedere poſſet, dum his malis remedium aliquod inveniretur, negarunt Legati xx. horarum negotium illud eſſe, in quo de totius Reipublicæ ſtatu agere-

tur,

tur, quum præſertim lege apud ipſos ſancitum eſſet diligenter, ut, nequid eadem die de eadem re & conſuleretur, & ſtatueretur, neve quid prius ſtatueretur, quam Senatus antea cognoviſſet, & Concilium poſtea Minus approbaſſet. Tum Botta barbare irridens, quam vos mihi, inquit, legem, quem Senatum narratis? una eſt hodie vobis lex parere victori, neque armatis hominibus cogitandum eſt, quid veſter ille Togatorum conventus decernat. Legati, deſperata re, in Urbem revertuntur.

Habetur ſtatim noctu Senatus: ac tametſi plerique accipiendas confeſtim a victore leges, &, poſita ferocia, fortunæ cedendum exiſtimarent, tamen non deerant, qui in extremis rebus ab animi magnitudine auxilium petendum eſſe arbitrarentur, conſtantiam, & fortitudinem, veterumque Romanorum non accommodata temporibus exempla uſurparent, præſtareque dicerent omnes perpeti acerbitates, quam, tanta accepta ignominia, & libertate amiſſa, precaria ſalutis ſpe pendere. Vicerunt ii, qui neutrorum neque approbata, neque improbata ſententia, placere ſibi cenſebant, uti antequam quicquam de tanta re ſtatueretur, evocarentur Præfecti copiarum, deque ſtatu mœnium Urbis, ac defenſorum interrogarentur. Evocati raptim, interrogatique num his mœnibus, his militibus defendi Urbs poſſet, ad unum omnes non videri reſponderunt. Senatus, quum nihil in mœnibus, nihil in militibus præſidii eſſet, & præſenti vi

cogeretur ad inique paciſcendum, moveretur autem miſericordia populi ſui, quem in expugnatione Urbis diripiendum, atque interficiendum videbat, neceſſitati parendum cenſuit. Sic fuga ſociorum, infirmitate præſidii, terrore præſentis exercitus inducti Genuenſes, compulſi, coacti conditiones a Botta latas accipiunt. Fit in eam ſententiam S. C., quo ex S. C. Gavii arx munitiſſima Auſtriacis deditur, frementibus præſidiariis, ægreque ipſo arcis Præfecto Joanne Luca Balbo ferente, juſſu Senatus ad deditionem compelli, quum duodecimum jam diem ſumma vi oppugnantem Picolominæum contemnerent. Mittit ipſe continuo Botta, qui portam occupent, quæ ad Pharum, novorumque mœnium ambitum pertinet, neque ea contentus mittit etiam, qui Thomaſianam portam obtineant, quæ in veteri Urbis muro ædificata eſt; quum Legati Reipublicæ infirmari conditiones fruſtra teſtarentur, ſi duas pro una portas occuparet; ille autem portam nequicquam tradi diceret, quæ introitum non daret in Urbem. Harum enim portarum ſitus is eſt, ut altera alteri includatur, neque adiri ad alteram niſi per alteram poſſit. Urbs autem ipſa duplici murorum ambitu veteri, novoque cingitur.

Oppreſſa Genua, fugatis Borboniis, inſperata rerum commutatione elati Auſtriaci, nactique ex diuturna egeſtate copiam ſubito rerum omnium majores ſumere ſpiritus, majoraque multo agitare animo cœperunt, neque poſſe ad ea conficienda quicquam deeſſe ar-

bi-

bitrabantur, quum Urbem haberent refertissimam, quam primum consilium erat penitus exhaurire; & iis, quibus vitam, atque arma relinquebant, mala minitari, spoliaque omnia extorquere instituerunt.

Quæstor Cotechius, quum in Arenarium suburbanum venisset, petiit statim a Senatu per literas, uti nobiles sibi aliquot daret, quibuscum colloqui, & de summa, quæ Reginæ Ungariæ nomine curanda esset, convenire posset. Gravissimi viri, & summis honoribus usi Joannes Baptista Grimaldus, & Laurentius Fliscus designantur, qui ea de re cum Botta, & Cotechio agant: atque iis, quum ad Quæstorem venissent, priusquam colloquerentur, ipse ultro Cotechius edictum obtrusit, quo Senatus compellabatur, & in quo de clementia Ungariæ Reginæ erga Genuenses multa prædicabantur: ejus beneficio suis legibus vivere, quos in potestatem redigere belli jure potuisset; & ne nunc quidem id illam agere, ut omnia illata bello damna dissolvantur ab Genuensibus, & compensentur pecunia, quod tamen esset æquissimum; sed multum remittere, exiguaque esse parte contentam. Darent millies octingenties HS. tribus descriptum pensionibus æquis; quarum ex qua die, quave hora hæc scripta, editave postulata essent, uti ex ea die, eave hora intra viii., & xl. horas prima pensio, altera intra octavum diem, intra quintum decimum tertia solveretur. Ni id ad certam diem factum sit, Reginam suæ oblitam mansuetudinis igni, ferro, omnique cla-

dis genere in Genuenſes animadverſuram. Legati, demonſtrata, deplorataque ærarii inopia, orant hominem, atque obſecrant, ne civitatem atroci evertat edicto, quod futurum provideant, ſi tot malis confecta alio inſuper tributo, ac fœnore trucidetur; multaque & de iniquitate imperandi, & de acerbitate exigendi conqueſti ſunt. Ad ea nihil Cotechius, niſi parvulam temporis dilationem multis precibus expreſſam concedere. Re Senatui nunciata, quum propter negotii gravitatem, temporiſque anguſtias, exploratis omnibus rebus, quo confugeret, non eſſet, decurritur ad ultimum illud miſerum & grave, quo ne turbulentiſſimis quidem Reipublicæ temporibus nunquam antea ventum erat, uti pecunia, quæ eſt ad Georgii, efferatur, ex eâque prima penſio ſolvatur. Erat illa quidem publicâ ibi fide non ſolum ab Genuenſibus, ſed etiam a reliquis pleriſque Italis, ac Tranſalpinis depoſita pecunia, eamque Georgianæ menſæ tuendæ Octoviri diligentiſſime adſervabant; ſed extremis malis aliis malis remedia dabantur. Tot, tantique acervi nummorum partim in triremem impoſiti, partim plauſtris exportati terra, marique deferebantur in Arenarium ſuburbanum ad Auſtriacum Quæſtorem, palam inſpectante populo, atque ingemiſcente. Et Botta flagitare pabulum, flagitare frumentum, tabernacula, vecturas non deſiſtebat increpitans, minitanſque, & cujus modo rei nomen reperire poterat, hoc ſatis eſſe illi ad cogendas pecunias, vexandoſque Genuenſes videbatur. Contrahe-

trahebat naves,bellumque adverſus Neapolis Regem parari,idque Genuenſium commeatibus, atque auro adminiſtrandum eſſe dictitabat; ſeu quod iſtud, ſi Genuam cepiſſet, a Regina Ungariæ mandatum haberet, ſive eo quod deſiderium ejus interpretaretur, bellique apparatu præveniret. Namque Regina ardenti, veterique Neapolim cupiditate rapiebatur, quam cupiditatem tot jacentem adverſis, tempus opportunum, & ſecundæ ſubito res excitaverant, accendebantque turbandarum rerum nunquam abjecta ſpes, irritique ſemel ad Velitras dolor conatus.

At Neapoli, hoc literis, nunciiſque divulgato rumore, trepidatur. Carolus Rex, etſi Ferdinandi Fr. egregiam in ſe voluntatem ex literis cognoverat Plumbini Ilvæque Principis, quem ſuæ Præfectum domus, audita Philippi Patris morte, in Hiſpaniam miſerat; neque dubitabat, quin, illato bello, Hiſpanorum auxiliis defenderetur, tamen rei ejus moram, temporiſquè longinquitatem timebat; quod exercitus ſui receptu, noviſque regni conſiliis occupatus Frater non ita celeriter juvare eum poterat. Relinquebatur, ut ſuis ſe copiis tueretur: ſed veteranæ Italico bello diſtractæ, ac vehementer erant diminutæ, reliquæ ex provinciali delectu ita recentes, ut neque expectandum ab iis ſolis, neque committendum iis quicquam eſſe videretur. Itaque non egredi regno, quod fuerat Veliterno bello utiliſſimum, neque hoſtibus, ſi advenisſent, occurrere cogitabat, ſed communitis ad regni fines, defenſiſque arcibus, repugnare,

intereaque veteranas suas, atque auxiliares Hispanorum copias, quæ infesto Britannis mari, ægerrimeque coactis actuariis, Neapolim identidem commeatibus confluebant, expectare, &, si gravius accidisset, in Siciliam navigare constituerat. Verum Austriacorum spem, metumque Neapolitanorum Caroli Regis videtur fortuna quædam dispulisse, quæ aliam Britannis Regique Sardiniæ, aliam Austriacis mentem injecit. Britanni propiorem multo, atque infestiorem hostem Gallum persequi, in Galliamque propterea penetrare Narbonensem cupiebant, illa etiam spe ducti fore, ut adventu suo per causam religionis excitarentur in Occitania seditiones, conflatoque domi bello, abstraheretur Galliæ Rex ab oppugnando Belgio, ad suaque defendenda revocaretur. Sardiniæ Regi non iisdem de causis eadem erat mens. Ille neque longius a finibus suis, hostem veritus, discedere Germanos, neque recepta Neapoli, nimium convalescere suis utile rebus arbitrabatur, implicatisque bello Gallis, magis libero solutoque animo Savonem occupare, eaque occupata (quod erat illi maxime propositum) optimo tandem portu potiri meditabatur. Villetius Britannorum, & Riccæcurtius Austriacorum Legati in Arenarium suburbanum conveniunt, eoque Marcianensem Comitem Sardiniæ Rex mittit. Quum Britanni Sardiniæ Regi cuperent, Austriaci autem Britannis obsequi cogerentur, constitutum communiter est, ut, deposito invadendæ Neapolis consilio, in Galliam quam-

pri-

primum Narbonensem eruptio fieret, eoque Brounius proficisceretur, ad quem summa imperii respiceret.

Rex Sardiniæ ex maxima in Bormiensi valle itinerum difficultate Ligusticam nactus oram, quæ est ad occasum solis, cum omni fere exercitu suo Savonem oppidum ingressus, arcem ad deditionem compellere statim non potuit. Defendebat eam Augustinus Adurnius Genuensis excellenti virtute: neque ulla denunciatione periculi, aut desperatione auxilii, aut denique defensionis iniquitate permovebatur. Nam, quod erat, ut diximus, in deditionis conditionibus adscriptum, ut ne adversus Austriacos, eorumve socios hostile quippiam Genuenses tentarent, neu tentari paterentur ab suis, ejus usi fœderis calumnia Britanni postulaverant, ne, quæ adversus arcem instituebantur, Subalpinorum opera a præsidiariis disturbarentur, adeout jugulum armatis hostibus prius Genuenses dare cogerentur, quam se defendere possent. Relictis Rex cohortibus, quæ allatis, & constitutis quietissime tormentis arcem oppugnarent, ipse Finarium progressus, receptis arcibus, oppido potitur, quæ causa imprimis Italici belli fuerat. Aliquantum fuit ad Albintemelium moræ, quæ urbs est in finibus Liguriæ loco posita excelso, & arce satis munita. Sed ea quoque advectis mari tormentis, octavo capitur die. Dejectis inde Montealbano, Villaque Franca hostium præsidiis, Nicæam Rex venit, pustularumque ibi morbo tentatus lenissimo, paucis-

que

que propterea diebus recreatus reliquam in eo oppido agere hyemem constituit.

Hispani, Gallique in fugam conjecti nihil de resistendo cogitabant, sub adventumque hostium omnibus statim locis excedebant, Varumque flumen transgressi sua ipsi, & aliena, necui essent Austriacis insequentibus usui, evastabant, parsque tandem in Galliam Narbonensem ultimam penitus recesserant, pars intra Allobrogum saltus, montesque sese abdiderant. Ita Borbonii Italia cesserunt non tam hostium virtute, quam suis devicti consiliis.

Brounius, præmisso terra Gorano, qui loca exploraret, extremumque carperet hostium agmen, quique ad Tropæam in ipso expeditionis initio jaculo transfixus interiit, ipse ab Arenario prospera tempestate solvens, Britannicaque ad Villamfrancam navi delatus, Nicæam biduo post pedibus pervenit: & quum intelligeret in illis locis sibi bellum gerendum, ubi propter itinerum angustias, agrique minime uberis naturam, & per quem etiam superioribus diebus hostis prædabundus incesserat, futura esset in magnis res difficultatibus, atque unde xl. ante annis Princeps Eugenius tantæ auctoritatis imperator, gravi accepto incommodo, profugisset; non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat. Itaque, convento Rege Sardiniæ, communicatisque consiliis, quum supportaturos Genua tormenta, commeatusque Britanni in se recepissent, expectabat ipse, dum reliquæ ex Subalpinis, Gal-

Galliaque Cisalpina, Liguriaque ad eum copiæ convenirent, iisque augerentur, quæ, extrema jam fame coacta ad deditionem Dertona, adventabant; atque omnibus rebus paratissimus non dubitabat, quin bellum ex sententia conficeret, ad eamque gloriam, eumque diem properabat, quo ipse, perdomita Gallia Narbonensi, Principi Eugenio rei gestæ famà anteponeretur.

At Genuæ Austriaci jure belli, & patientia abutebantur deditorum. Nam Botta hibernorum instrumentum, aliaque multa, Cotechius alteram pensionem suo more flagitabant, cædem videlicet, incendia, rapinas, ni id esset celeriter factum, denunciantes. Senatus jam a principio summos viros Cæsarem Cattaneum, qui biennio post Dux fuit, Matthæum Fransonium, Augustinum Gavottum, Augustinum item Laumellinum proficisci Viennam jusserat, qui Reginam de his rebus certiorem facerent, iratamque placarent Reipublicæ. Verum ne hoc quidem juris obtinere potuit, ut clarissimorum Civium legatione totius exitium Civitatis deprecaretur. Adempta spe deprecationis, calamitates augentur, efflagitationes, minæ. Tantæ conficiendæ pecuniæ ratio quærebatur. Tresdecim viri huic negotio præficiuntur. Tributum extra ordinem locupletioribus imperatur. Erat tamen ad id, quod vehementissime flagitabatur, perexiguum. Effertur iterum ex Georgiana mensa argentum, eoque altera Austriacis pensio solvitur. Qua vix dum soluta, exposcitur statim tertia. Fit

ma-

magnus dolor, & gemitus populi, totiusque admiratio Italiæ, tam grandem, tamque impudentem Genuensibus mulctam irrogari, neque aliud criminari, quam voluisse ab sese potentioris injuriam propulsare. Ipse Benedictus XIV. non tam, quod Pontifex esset, paterna quadam benevolentia, quam quod communem Italiæ fortunam miseraretur, cujus periculum in Genuensium calamitate agebatur, omni a Regina studio contenderat, ut leniret se tandem miseræ, atque oppressæ Civitati, imperatæque pecuniæ partem remitteret. Ac primo auctoritate Pontificis commota flectebatur animo Regina, Legatoque ejus partem remittere pecuniæ benigne receperat, postea vero vel inopia pecuniæ, quæ erat ei ad maximum bellum necessaria, vel eorum adducta consilio, qui Genuenses oderant, præcise negavit; &, quasi facilitatis pœniteret, non solum tertiam exigi subito pensionem, sed etiam sexcenties HS. hibernorum nomine imperari jussit. Tum vero nemini dubium fuit quin plane totius impenderet interitus Reipublicæ. Adeunt Bottam Legati, orant, atque obtestantur, ut, si quis locus misericordiæ relinquatur, det aliquam extrema tolerantibus veniam. Flecti Botta videbatur, at Cotechius concitabatur, quum interim miseri jactarentur Genuenses, & crudeliter illuderentur. Sed perseverantibus Legatis Botta respondit: Nequicquam ejus Reipublicæ inopiam prætendi, quæ cives habeat ditissimos: quum adeo patriam amarent, atque ejus incommodis tam vehemen-

menter commoverentur, satisfacerent illi de suo, qui maximam apud exteros populos pecuniam occuparint. Quæ Bottæ mandata contra jus omne publica privatis permiscentis quum Senatui renunciata essent, extremumque, si reiicerentur, malum instaret; omnes autem quibus Viennæ, Mediolani, reliquisque in locis pecunia erat in nominibus, fortunas suas pro Reipublicæ salute libentissime offerrent, iisque caveri, oppigneratis Reipublicæ vectigalibus, æquissimum videretur, de his rebus omnibus Dux ad Concilium Majus retulit.

Quo in Concilio nonnulli nobiles, quum vel propriis impediti malis Reipublicæ non satis calamitate moverentur, vel rerum ignari in publica obligata fide bona quoque sua, corporaque obligari falso crederent, conati sunt, quum perrogarentur sententiæ, strepitu, admurmuratione, turbatis denique suffragiis impedire, quominus decerneretur. At Philippus Franciscus Spinula grandis natu, jurisque consultus, quum silentium fecisset, consenuisse se, dixit, in Republica, neque unquam ejusmodi turbis nobilissimum Conventum agitari vidisse: debere quidem ferendorum suffragiorum libertatem servari, sed turbandorum licentiam a dignitate loci, atque hominum, qui nihil sapere plebejum deberent, longe abhorrere. Hic tum Augustinus Gavottus surrexit, & placere sibi censuit, ut cognoscendæ rei spatium daretur iis, qui non seditionis cupidine incitati, sed rei prolapsi ignoratione infre-

fre-

fremuerint. Visa est æquior sententia; itaque Concilium dimissum est. Quum autem Botta, immutata repente voluntate, non syngraphas sibi dari, sed numeratam appendi pecuniam juberet, res dilata est, totaque demum, conversis temporibus, populari motu interpellata refrixit.

Non remittebat interim furor flagitantium, minitantium Austriacorum; neque in Urbe solum, sed in vicis, castellisque singulis, ubi reliquæ Austriacorum copiæ ad divexandam Liguriam cum Botta relictæ hiberna constituerant, eadem denunciabantur, eadem imperabantur, acerbissimeque exigebantur. Ipsum in portum ingressa Britannica navis bellica Urbem, portumque inaudito prædandi genere habebat infestum; dicebaturque a Rege Sardiniæ, cujus arbitrio Britannica ad mare inferum classis administrabatur, eo consilio submissa, ne opulentæ Urbis præda omnis Austriacis cederet: ægreque is tulerat illos, ipso neglecto, cum Genuensibus transegisse. Comes Christianus Ligur, magnus Scriba Mediolanensis, Genuam improviso advenerat, certamque, non consentiente Senatu, cujus erat is beneficio cum suffragii jure civis Genuensis, tabellariis Mediolanensibus sedem constituerat, dataque iis immunitate, discesserat. Damnati majestatis, vinctique Rivarolæ turbulentissimi in Corsica hominis filii, seditiosi ipsi solvuntur, exorante quidem Botta, sed armati, & victoris preces imperantis habere vim videbantur. Erat in Urbe justitium quod-

dam,

dam, nihil, invitis Austriacis, Senatus, nihil reliqui poterant Magistratus. Movebat maxime multitudinem sui Ducis, prout videbatur, spreta majestas. Nam, quum mos esset, quoties prodiret in publicum, ut instructi milites Reipublicæ fora, viasque obsiderent, hanc honoris speciem removeri Dux, sive casu jusserat, sive temporis iniquitate commotus: id tamen in Austriacorum importunitatem conferebat vulgus inquietum, suspicax, &, præoccupatis semel animis, etiam fortuita durius accipiens. Contemnebatur nobilitas, maledictis omnes, contumeliosisque vocibus exagitabantur; atque ita ad jacturam rei familiaris adjungebatur contumelia, quam pati Itali homines difficillime possunt: eratque utrumque acerbum admodum ferocissimo populo, & lucri cupidissimo. Opifices, & tabernarii aut se suis artibus removerant, aut palam vi, malo, plagis adducebantur, ut merces venderent, non quanti esset æquum, sed quanti cogerentur. In his angustiis minuebantur ab opulentioribus sumptus, egentiumque propterea, & perditorum numerus augebatur. Nonnulli ex nobilitate, & cujuscumque loci honestiores, patriæ eversionem quum audire mallent, quam videre, cum liberis, & uxoribus profugerant, multoque plures profugissent, nisi Concilii Minoris decreto fuga repressa esset, quo decreto Senatori, Nobilive, qui Concilio Minori interesset, abesse ab Urbe ad annum vetabatur, mulctaque dicebatur, si abesset: adeo, desperatis omnibus rebus, plena erant omnia mu-

mœroris, luctus, & tristissimi cujusdam silentii. Austriaci contra milites, ducesque vagabantur passim læti, atque erecti cum ingentibus minis, & barbaro, atque immani terrore verborum, oculis, manuque loca, domosque designabant, quas occuparent, quas prædarentur. Est Genuæ locus, extruso mari, magnifice exstructus, ubi publice, privatimque merces asservantur diligenter. Eo irrumpentes Austriaci insolenter obequitabant, & mercatorum bona suam esse prædam dictitantes, omnium ejus ordinis odia in se stultissima jactatione concitaverant. Audiebantur voces quasi vaticinantium: madefactum iri minus octo diebus Genuam sanguine, futuramque stragem cæde ipsa fœdiorem. Ipse imperator Botta Legatis Reipublicæ pro patria orantibus dicebatur dixisse, nihil se Genuensibus præter oculos relicturum, quibus miseriam possent Civitatis, atque Urbis flere vastitatem.

Brounius, transducto Varum flumen exercitu, cum lxiii. cohortibus, quo in numero xx. erant Subalpinorum, & xlv. equitum turmis in Galliam Narbonensem eruptionem fecerat, & quum mare tenere, commeatusque vellet, qui Britannicis ab Genua navibus supportabantur, primum omnium Antipolim oppugnare cogitabat; qua capta, reliquum facile bellum explicare posse confidebat. Nulla erat Hispanis permanendi in Gallia voluntas, nullæ Gallis eo loco ad resistendum vires. Qui ex Italia redierant continuis prœliis, atque itineribus attriti vix se sustinebant: qui a Belgio

gio abſtracti ſubſidio accurrebant, atque expectabantur acerrime, aberant longius. Hoſtes imminebant; legebant littus Britanni; & ſeditioſis in Occitania animus accellerat. His omnibus rebus tantus, adventu Auſtriacorum, univerſæ provinciæ terror inciderat, ut alii res ſuas in Lerinam, Planaſiamque inſulas, qua minime adire hoſtis videbatur, conferre properarent, alii, projectis omnibus, longioris fugæ conſilium caperent. Maſſiliæ, Telonis, atque ipſas ad Aquas Sextias, ubi Philippus Hiſpani Regis Fr. conſtiterat, metus erat ſummus, & de deditione ſermo nonnullus, jamque corrogabantur pecuniæ ad direptionem, cædemque redimendam.

Sed debebatur fatis, ut Galliæ ſalus, Italiæque libertas una Genuenſium virtute ſtaret. Nam, quum ad oppugnandam Antipolim tormentis opus eſſet, eaque aſportari, ſupportarique Genua placeret, miſit continuo Botta magis ad ſpeciem officii, quam quod denegaturos crederet, qui ab Duce, Senatuque peterent, ut ea ſibi confeſtim traderentur. Negavit Dux concedi cuiquam poſſe, quæ uni Reipublicæ in defenſionem reſervarentur; neque decere Senatum, qui ad patriæ cuſtodiam delectus eſſet, ipſum tradere aliis patriæ præſidia. Quando vero omnia vi, miniſque agerentur; quid Botta precibus peteret, quæ per vim poſſet auferre? Hoc accepto reſponſo, aliquot ſtatim milites proficiſci Botta juſſit, qui tollenda ę mœnibus tormenta, aſportandaque curarent. Hic tum populus, atque uni-

versa multitudo paulo apertius queri & clamare cœperunt: ereptum argentum, ereptam libertatem; etiamne constituta a majoribus præsidia, atque ornamenta Urbis barbari eriperent? id enimvero agi, & parari, ut, inermes quum fuerint Genuenses, pecudum more jugulentur. Namque erat callide vulgatum, & temere creditum, futurum paucis diebus ut omnia ferro, flammaque delerentur: & nobiles, qui Minori intererant Concilio, sueti antea severissima religione occultare arcana Reipublicæ, nihil jam de Bottæ minis, immanique Austriacorum cupiditate reticebant. Ipse Dux Brignolius in tanta rerum perturbatione, incredibili animi robore, consiliique præstantia neque nimis populari concitationi indulgebat, neque satis repugnabat. Venientes enim ad se cujuscumque generis homines, impotentissimumque Austriacorum dominatum, & plebis jam ex dolore insanientis rabiem commemorantes leniebat magis, quam coercebat, ne aut coercendo Austriacorum vim approbare videretur, aut incitando armati exercitus furori populum, totamque Rempublicam obiiceret. Simul videbat populares motus, si leves sint, facile quiescere, si implacabilius exarserint, ambiguis verbis multo magis inflammari. Itaque moderabatur orationi suæ, temporique, & Reipublicæ serviebat.

Sed tot publicis, privatisque de causis ingentem in populo irarum molem tacite jandiu grassantem inopinatus repente casus accendit. Asportabatur æneum ab Austriacis mortarium,

quo

quo uti in bello consuevimus ad ollas jaciendas incendiarias. Degravata forte pondere via subsedit, mortariumque dejectum est. Illi plebem, ut educeret, accire, & repugnantem vi, verberibusque cogere incipiunt. Agebantur hæc in frequentissima Urbis parte, quæ Porta Auria dicitur, eratque ingens multitudo, majorque multo rei cognoscendæ studio convenerat. Qua ex frequentia proripit se subito singulari puer audacia, &, incœptone opus esset, reliquos interrogans, saxum in milites jecit. Fit magna continuo lapidatio. Dant sese in fugam male mulcati milites; quibus fugatis, & clamore sublato, excipit rursus ex omnibus Urbis partibus clamor. Vocatur ad arma populus. Tumultuantur: direptaque odio gentis Austriacæ tabellariorum Mediolanensium domo, ad fores Prætorii, in quo erat armamentarium, catervatim convolant, arma sibi dari postulant, arma clamitant. Habebatur eodem tempore Senatus, qui ferocientis multitudinis fremitu commotus, grandes natu cives, quos auctoritate, & populari gratia præstare cognoverat, ire statim, plebemque blandissimè appellando sedare jussit. Quorum oratione, maximoque coorto imbri, plebis paulisper impetus resedit, quum potissimum, nocte ingruente, timeretur. Mittitur etiam ab Senatu Nicolaus Jovius, qui Bottam commonefaciat; videret, quid ageret, quo progrederetur: ignoscendum plebi, quæ militum commota injuriis dolorem suum vehementiori animi contentione persequuta fuerit: tumultum vix potuisse hesterna die

ab Senatu comprimi, internunciis nobilissimis viris: plebis patientiam ne ultra, quam satis est, tentaret: orare, monere Senatum, & denunciare etiam, caveret, ne res neglecta maximæ denique Austriacis fraudi foret. Ad hæc Botta jam a principio plebem despiciens Genuensem, neque se temeritate vulgi commoveri respondit, neque arbitrari milites suos, qui gravissima prælia fecerint, Borboniosque devicerint, furentis plebeculæ ululatu posse terreri. Sed nihil in bello oportere contemni ea quoque res docuit, pravoque esse usum consilio Bottam, qui, dimissis in diversa hiberna copiis, paucisque apud se relictis cohortibus, despexerit imparatus tot hominum millia, tantosque sine armis terrores jecerit.

Postridie mane minaci vultu, intentisque armis centum Urbem Pyrochitrophori ingrediuntur. Horum adventu redintegratur tumultus. Jaciuntur undique lapides, iterumque ad arma conclamatur. Fugam Pyrochitrophori arripiunt. Nacta plebs duces Bavam, atque Asseretium, audaces homines nec infacundos, arreptis, quæ cuique sors offerebat, armis, adductisque tormentis vias, quæ ad portam pertinent Thomasianam, occupat omnes, easque trabibus inductis præsepit, sic parata, (ut videbatur) quidvis perpeti, & conari ut mallet, quam non se a perpetua avarissimorum hostium importunitate liberare.

Austriaci, redintegratis viribus, acriusque in plebem impetu facto, eam repellunt, qua repulsa, unoque capto tormento, audacius jam
cum

cum parte equitatus ſeſe in viam, quæ appellatur Balba, effundunt. Sed lapidum, jaculorumque multitudine, quæ undique ex tectis etiam, ac feneſtris mittebantur, perterriti, rurſus ad Thomaſianam ſeſe portam recipiunt.

Senatus iterum per Legatos ſuos liberius jam, conſtantiuſque monere Bottam, ne incitatis militibus efferatam plebem, armorum ſuorum gloriam inſanienti plebi committeret: progreſſum præcipitem, regreſſum inconſtantem eſſe. Ille contra nihil niſi atrox, & ſævum cogitare, & loqui: ſuccenſere Senatui, contemnere plebem, minari omnibus. Ac ſpretis Legatorum monitis, quas Novis, quas in Liguſticis oris eſſe juſſerat, confeſtim ſibi copias adduci imperat. Portam firmari Thomaſianam, Benigni, quam vocant, munitionem, quæ Pharo imminet, mortariis inſtrui, itemque eum locum, quo animi cauſa Philippei ſodales convenire ſolent, qui in Balbam viam devexus eſt, duobus communiri tormentis jubet, eo conſilio, uti Urbem, ollis jactis incendiariis, teliſque e loco ſuperiore dirueret, populumque tormentorum vi, atque Urbis ruina perculſum ad deditionem compelleret, omniumque ita rerum potiretur. Simul ab Senatu petit, quoniam ipſe a plebis conſiliis abhorreat, tumultuantem a tergo plebem a militibus concidi Reipublicæ jubeat. Exiſtimabat enim hoc facto aut adverſus Senatum, ſi repugnaret, cauſam quærere ſe poſſe inimicitiæ, aut, ſi concederet, plebem ancipiti periculo diſtractam facilius opprimere. Summa

Senatorum indignatione excepta est postulatio tam impudens, & constantissime repudiata: neque enim postulandum ab Senatu, ut civibus vim, & manus afferat, & quasi sanguinem hauriat suum.

Austriaci, quum, multis in tecta dilapsis, infrequentiores excubare populares animadvertissent, concubia repente nocte erumpunt, fanum, domumque occupant Equitum Jerosolymitanorum, ibique se communiunt, quo tutius progredientem, aversamque percellere plebem superiore ex loco possint. Ii vero, qui ex altera Urbis parte ad Bisamnatem vallem in Albarensi suburbano consederant, allato de plebe concitata nuncio, portæ Urbis, quæ Romana dicitur, appropinquabant, quod neque a militibus Reipublicæ pro porta excubantibus timerent, quos utpote dedititios sumere arma adversus se non arbitrabantur, & ea transgressi, perque spatium illud procedentes, quod inter veterem, novumque murum intercedit, circumire Urbem, suisque sese ad Pharum adjungere confidebant. Quod quum Albarenses providissent, Genuensium excitati exemplo prodeunt armati, locum præoccupant, interclusosque hostes, & dissipatos diversas in villas compellunt, atque obsident. Quin confestim irrumperent, Augustini Ayrolii obstitit auctoritas, qui Senatus jussu iis erat in locis cum imperio. Hic dubitans, concursansque, neque gnarus reconditioris Senatus consilii, accepta fide, nihil Austriacos adversus Genuenses tentaturos, illos continebat a prælio. Sed au-

auditis paulo post Albarenses, quæ Genuæ erant acta, rursus in Austriacos impetum fecerunt, iisque, Petri Canevarii Protrib. mil. legionis Liguslicæ, nobilissimi fortissimique adolescentis interventu, deditionis uti conditionibus permiserunt, atque Ayrolio irasci simulantes, quod stetisse per eum, quominus cædem Austriacorum facerent, videbantur, cæterum prædæ cupidi villam ejus incenderunt. Deditorum autem in numero cohors fuit legionis Cailianæ.

At populus audacior jam factus, quod complures nobiles, & militares viros patriæ charitate, atque Austriacorum injuriis permotos sensim in causam descendere, plebeiisque obvolutos penulis consilio, manuque adesse perspiceret, alacer, speique bonæ plenus hostes aggreditur. Botta, quum contra atque ipse existimaverat, augeri populo animum, numerumque videret, atque ex constantia Senatus aliquid subesse gravius suspicaretur, qui nihil primo timuerat, nimium postea timere, suisque diffidere viribus cœpit. Itaque, ut spatium intercedere posset, dum milites, quos evocaverat, conveniret, aliquid interim agere de compositione constituit, Ocheliumque Trib. mil. ad Auriam mittit Melphitanorum Principem, quem populo acceptum, facillimisque moribus cognoverat. Cum eo ita Ochelius egit: misericordia Genuensium commotum imperatorem, quibus extremum jam fatum impendeat, petere a Melphitanorum Principe, ut populum ad interitum ruentem vo-

luntarium pro ſua ipſe auctoritate retineat, patriæque conſulat univerſæ. Quibus Auria rebus cognitis Ducem Brignolium extemplo convenit, & quanta ſit conciliandarum rerum oblata facultas, oſtendit, ſuumque ad eam rem ſtudium ultro pollicetur. Dux, etſi recte intelligeret, quo hæc omnia Bottæ conſilia pertinerent, neque ſine cauſa nobiliſſimum, atque optimum virum productum exiſtimaret; tamen, ne videretur per ſe ſtetiſſe, quominus componeretur, palam liberaliter Auriæ reſpondit, eumque collaudavit, ſui, ſuorumque Majorum memorem eſſe juſſit: clam per certos homines, quos Reipublicæ cauſa officiis, largitionibuſque allexerat, populum monuit, ne nimium hoſti crederet, neve ullam, niſi traditis ſtatim portis, omnique de argento exigendo, aſportandiſque tormentis ſublata mentione, conditionem probaret. Itaque, quum ad populum Auria, adhibito Auguſtino Laumellino, de conditionibus loqueretur, conclamat omnis multitudo, denunciandum Auſtriacis eſſe, ut portas confeſtim traderent, tormenta ne attingerent, neve ullum unquam amplius de argento ſermonem inferrent. His Bottæ mandatis renunciatis, diem ille ex die ducere, quædam reiicere, nonnulla accipere, portas vero traditurum ſe negare: & tamen, ut manerent induciæ, non diſſimulanter petere. Populus, ubi ſe diutius duci intellexit, redire Auriam, Laumellinumque, denunciarique Auſtriacis jubet, ſi rem conditionibus, quæ eſſent allatæ, componere velint, ante

ho-

horam v. alterius diei ſine periculo licere, poſt id tempus non fore poteſtatem. Illi redeunt, iterumque populi mandata exponunt. Victus Botta conſentientis Populi pertinacia accipere ſe ait conditiones, & portam tradere. Agnovit Laumellinus verbum, veritusque, ne, quod ab Senatu poſtulaverat, in ſe Botta recuſaret, portamque tradens Thomaſianam, alteram ad Pharum teneret, non portam, inquit, Imperator, ſed portas tradi ſibi Populus poſtulat. Quo ille dicto adeo excanduit, ut Auriam, Laumellinumque retineri juſſerit; atque aliquot poſt horas, ne ſanctum ad omnes gentes Legati nomen violaſſe videretur, dimiſit. Poſteaquam in vulgus hominum elatum eſt, qua iracundia uſus Botta Populi Legatos detinuiſſet, eaque res colloquium ut diremiſſet, nemini dubium fuit, quin per cauſam compoſitionis inſidiarentur Auſtriaci tempori, expellendique eſſent, priuſquam illi ſeſe evocatis ſubſidiis confirmarent. Tota it ad arma Civitas. Non religio, non ſexus, non ætas ſatis eſt cuiquam cauſæ, quare ſe domi teneat. Prodeunt armati, ſeſeque invicem adhortantur. Nemo imperat, omnes exequuntur. Rapiuntur e navalibus, mœnibuſque tormenta, atque opportunis locis collocantur. Arduus ad eum locum, qui Petraminuta appellatur, & ad viam Balbam pertinet, difficiliſque adeo eſt adſcenſus, ut expeditus ea homo vix poſſit repere. Illuc e veſtigio bajulorum, puerorumque multitudo, incitato curſu, mortarium advehit æneum maximi pon-
de-

deris. Tanta vel patriæ charitas, vel puniendi doloris erat cupiditas, aut etiam, quæ permultum valet apud mortales, exempli vis.

Ibi tum Visettius Jesuita, qui antea etiam privatim cum Botta egerat quadam notitia productus, quod erat ei cum Bottæ Fratre amicitia, imperatorem convenit, eumque, neu se, neu populum in apertissimum deducat discrimen, monet, atque obsecrat, & de conditionibus loqui incipit. Cujus mediam orationem interrumpunt undique subito tela immissa. Omnia statim e sacris turribus repulsa æra personant, exceptusque longe, lateque fragor perturbat hostes tanto obstupefactos strepitu. Acerrimo contenditur prælio. Deturbare Austriacos e fano, domoque Equitum Jerosolymitanorum quum Genuenses jaculis non possent, adactis procul a maritimo propugnaculo telis, fani turrim concutiunt: qua concussa, qui ibi sunt Austriaci proiicere arma, & deditionem facere coguntur. Botta post Thomasianam portam in area, quæ est ante Principis Auriæ domum, equitum, peditumque aciem instrui jubet. Tela accidunt creberrima, superincidentibusque e Petraminuta ollis incendiariis perturbatur equitatus. Interim, qua est inter veterem Urbis novumque murum aditus, instructi proruunt Genuenses, refractaque Thomasiana porta dant reliquis, qui in Urbe erant, erumpendi spatium. Hoc omnibus audacius viis Genuenses succedunt. Multi ex Austriacis capiuntur, multi interficiuntur. Ipse, dum in foro Nigriano milites re-

retinere, atque instruere fugientes conatur, Botta impacto ad murum quendam telo, lapideque disjecto leviter in faciem vulneratur; eodemque ictu Comes Castaleo, qui Bottæ aderat, perfosso equo dejectus magnum adierat vitæ periculum. Tum vero popularium multitudine, suorumque cæde perterritus imperator terga vertit, eodemque acti, perturbatique timore permixti cum equitibus pedites Pharum petunt. Genuenses ab summis, novisque mœnibus proximos nacti colles horribili & multitudine, & specie descendentes cernebantur. Illi, ne a tergo circumvenirentur, veriti Pharum ipsum, Benignique munitionem relinquunt, seseque ad Arenarium fugientes recipiunt. Ea statim loca Genuenses occupant. Nox appetebat, & totius diei labore, & pugna defatigati ab insequendo desistunt. Portas valido præsidio firmant, & tanto alacres successu in Urbem revertuntur. Unus de plebe homo Joannes Carbo, ut erat a prælio horridus, & cruore oblitus Prætorium ingreditur, atque ad pedes accidens Ducis, portarum traditis clavibus, victoriam ejus diei Duci, Senatuique gratulatus est.

Eodem fere tempore qui Recci, quique Nervii erant, nonnullique item, qui, ut se Bottæ adjungerent, accelerabant Austriaci nova re perturbati, interclusique in Genuensium potestatem venerunt. Qui vero a Claverino ad Segestam Tigulliorum litus omne præsidiis tenebant, periculum veriti, quod ejus homines oræ Genuensis prælii fama excitati ad vim,

at-

atque ad arma ſpectabant, diſcedere properarunt, Sergianumque profecti, Sergianiolum ſi arcem ſatis natura munitam occupaſſent, ibi ſubſiſtere cogitabant. Sed quum fortiter defenderet Petralba Protrib. mil. de exercitu Genuenſi, nullaque illis propter aſſidua, quæ ex arce adigebantur, tela, ſuſpectumque oppidanorum animum conſiſtendi in oppido facultas, nulla item commeatus, omnibus circa locis infeſtis, nulla effugii ſpes eſſet, pactis, quas Petralba voluit, conditionibus, datiſque obſidibus, inde emiſſi ad Aullam ſeſe, omni dimiſſa Liguria, contulerunt.

Botta, quum in fuga a ferociſſimis hominibus, qui Porciferam vallem incolunt, opprimi facile ad anguſtias locorum potuiſſet, dum alii morantur, & dubitant, quid ſit capiendum conſilii, alii exitum rerum ignorant, incolumis evaſit. Erat eo præterea uſus dolo, ut, antequam rei fama latius manaret, pronuntiari juberet: omnia conveniſſe; ipſum, facta cum Genuenſibus pace, diſcedere. Qua ſimulatione deceptis, & nonnullia largitione permulſis ruſticorum animis, ipſe, relictis ægris, abducta pecunia, Liguſticas raptim fauces tranſcendit, mutilatumque Novas exercitum reduxit. Ita Auſtriaci, converſis ſubito rebus, maximam ſpem, maximamque utilitatem amiſerunt, Genuaque pulſi ſunt ab iis, quos neque inimicos tollere, neque amicos parare cognoverant.

CA-

CASTRUCCII BONAMICII COMMENTARIORUM DE BELLO ITALICO

LIBRI III. PARS II.


Enuæ plebs partà victorià ferox Academiam Jesuitarum, quæ est in Balba via, sedem concilio suo delegerat. Cujuscumque loci homines arma ferre, pro portis, stationibusque excubare cogebat, neque satis habere videbatur expulisse Urbe Austriacos, sed arcem e vestigio recipere Savonensem contendebat; ad eamque rem, quantum gratia, auctoritate, pecunia valebat, nobilitas nitebatur, exemploque præibat. Comparatis cibariis, & aliquot præmissis Reipublicæ militibus, signum datur profectionis. Armata celeriter magna convenit multitudo, fiduciæque plena proficiscitur. Hic cognosci licuit, quam vana sit animorum alacritas nullo certo duce, atque imperio firmata. Nam portis egressa plebs, quum commeatus quosdam, impedimentaque Austriacorum offendisset, ad ea diripienda statim dilapsa est, neque optimatum precibus retineri potuit: illorum esse prædam, atque illis reservari quæcumque Austriaci reliquissent: liberatæ patriæ gloriam ne tenuissimæ modo spe prædæ contami-

mi-

minarent. Non homines laus in ſordibus, tabernisque natos, non, ſoluto legum metu, arrogantes pudor coercet. Ipſa oberat opulentiorum liberalitas, qui plebem in captandis nummis occupatam ſegniorem largitione reddebat. Invitati præda longius procedunt populares, aliique aliam in partem diſſipati feruntur; atque ex tanta properantia rem negligunt, quæ, perterritis Genuenſium adventu Subalpinis, qui pauci erant, facile perfecta maximæ fuiſſet ad omne bellum opportunitatis. Eo acrius, priuſquam auxilia concurrerent, oppugnant Subalpini, alias evocant copias, alias proferunt munitiones, vexare arcem telis, atque ollis incendiariis diem, noctemque non deſiſtunt. Ac tandem, qui oppugnabantur, dejectis propugnaculis, labefacta magna parte muri, adacto cuniculo, qui arcem ſubruebat, atque omnibus deſperatis auxiliis, ſeſe dedere coguntur; quum eorum virtus, Adurnique Præfecti conſtantia ab ipſis eſſet hoſtium ducibus collaudata.

Auditis, quæ Genuæ acciderant, varius per univerſam Europam motus fuit animorum. Aliis præclarum, veterique Roma dignum, aliis periculoſum, nonnullis vix credibile videbatur. Fractas Auſtriacorum ſpes, irritos in Italia conatus gaudebant Borbonii Reges, imprimiſque Galliæ Rex, cujus in finibus hoſtes verſabantur, certoſque miſerat homines Genuam, qui, quid rei eſſet, cognoſcerent, ſibique renunciarent. Regina contra Ungariæ gravi commota caſu Joſephum Spinulam

nulam Legatum Reipublicæ finibus excedere suis, & quæ essent in suo regno bona Genuensium publicari, obsidesque Mediolani in carcerem condi, & redintegrari statim bellum jusserat.

Botta perfidiam Genuensium, qui neque colloquii, neque induciarum jura servarint, suamque in illos indulgentiam prædicat, neque interim populariuin animos literis, nunciisque tentare desistit. Deduci præsidiis, evocarique tota Cisalpina Gallia milites, atque ad se adduci jubet. Omnibus circa locis pecunias imperat; quos ad eos, qui erant e nobilitate Genuensi, agros pertinere cognoscit, illos habet prædæ loco, ut maxime iraci nobilitati videatur. Qui Genuenses, Liguresque arma posuerint, iis veniam pollicetur, reliquis malum denunciat. Quibus rebus confectis, levis armaturæ pedites, quorum magnum habebat numerum, præmittit, eisque, ut Ligusticas iterum fauces transcendant, imperat, iniiciendique terroris causa, omnia cædibus, incendiisque permisceant. Illi primo impetu Ruscinone, Campoque frigido potiuntur, difficilesque aditos, atque opportunos in illis montibus aditus occupant. Quum longius progredi vellent, ab Hieronymo Balbo Equite Jerosolymitano, qui eo, coacta Ligurum manu, advolarat, repulsi sunt; & quum arcem Masoniam ad deditionem minis compellere tentassent, defendente Anfrano Saulio, non potuerunt.

Ge-

Genuenses sua apud Langenses præsidia posuerant. Hostes subnubilam nacti tempestatem prima luce ad Genuensium stationes, triplici instructa acie, improviso accedunt, Liguresque subita re, illatisque ignibus perterritos in fugam coniiciunt, Pontemque decimum occupant, ipsumque expugnare Langensium pagum summa vi conantur. At Gaspar Basadonnius, qui Porciferæ valli præerat, ea re nunciata, militum, Ligurumque contractas copias ad Pontemdecimum ducit, Augustinumque Pinellium, qui illi in itinere occurrerat, adoriri a latere hostes jubet. Impetu facto, multis interfectis, loco hostes pelluntur, depulsosque ad eorum usque munitiones Genuenses insequuntur, atque ad Langensium deinde pagum conversi, liberatis suis, fugatis hostibus, in sua se præsidia recipiunt.

Interea Genuæ Senatus, quum, accepta ignominia & dilata ultione, iratiores reverti Austriacos videret, pro magnitudine periculi defensionem parabat. Franciscum Auriam proficisci in Britanniam jubet, qui cum Rege agat, & in Genuensi tumultu nihil publico factum consilio, populumque licentia militum, vecordibusque ducum minis efferatum ad vim descendisse demonstret, atque omnibus, quibus possit, modis abalienatam malevolorum sermonibus Regis voluntatem ad pristinum erga Rempublicam studium revocare conetur. His acceptis Auria mandatis proficiscitur, commodaque per summam hyemem navigatione usus in Galliam exit Narbonen-

sem,

fem, atque ex itinere Bellinſulanum æſtuantem dubitatione propter varios, qui de rebus Genuenſibus effluebant, rumores ad ſubmittenda auxilia Senatus nomine confirmavit. Lutetiam quum veniſſet, cognoſcit ibi, ut in Britanniam tranſmitteret, impetrari a Britanniæ Rege non potuiſſe, quod gratiſſimum ſibi quidem Genuenſis Legati adventum fore,ſed vereri diceret Rex, ne daret ea res anſam Auſtriacis ad ſuſpicandum. Quo cognito, Senatus optimum factu cenſuit, Auriam in Gallia remanere, faciles qui apud Gallorum Principes, Regemque ipſum Galliæ aditus haberet. Legatis item aliis ſcriptum ab Senatu eſt, ut Borbonios orarent Reges, atque adhortarentur, ut celerrime Reipublicæ ſubvenirent, quos tamen ipſa temporum inclinatione, relictæque ſocietatis pudore, & communis cauſæ cura incitari exiſtimabat: plurimumque ei rei extemplo profuiſſe certum eſt Joannem Franciſcum Pallavicinum, qui Reipublicæ apud Galliæ Regem Legatus erat, & ſingulari fidei, ſolertiæque exiſtimatione florebat. Muros Urbis aut vetuſtate parum utiles ad præſentis uſum belli, aut diuturna pace neglectos refici, & communiri jubebat. Idoneos deligebat homines, qui cives hortarentur omnes, ut ſuæ & communis ſalutis cauſa arma ſumerent, brevique tempore tota eſt regionatim decuriata Civitas, nobileſque ipſi potentiores, omni in tanta perturbatione ſublato dignitatis diſcrimine, promiſcue deſcribebantur. Nautas, mercatoreſque in ſumma charitate, quam prædatoria claſſis,

& belli metus adauxerat, præmiis, atque immunitatibus alliciebat, ut essent, qui Britannos fallere, frumentumque in Urbem importare auderent. Pecunia deerat, hærebantque in ea expedienda Patres vehementer, quum & cives, universis imperatis pecuniis, ad tributi nomen obsurdescerent quotidie magis, &, Georgiana exhausta mensa, fides concidere publica videretur. Tum Brignolius Dux, de Senatus sententia, quum esset ea de causa Concilium Minus coactum: Non recte consuli posse Reipublicæ, dixit, cum privati ad consulendum sensus afferuntur. Si Patriæ salutem, si ejus conservatæ gloriam quærerent, ingressi Concilium obliviscerentur omnium suorum, curam abiicerent rei familiaris. Maximas a Majoribus ædificatas, ornatasque classes, maximos esse factos privatim sumptus, ut transmarinas imperio Genuensi provincias adjungerent: quid posteri dubitarent, paululum conferre argenti, non ut augeantur opes Reipublicæ, sed ne deleatur nomen? non ut hostem in longinquo Oriente scrutentur, sed ut a patriæ mœnibus, tectisque repellant? nequicquam privata servari, si publica conciderint: eam esse Rerumpublicarum rationem, ut bona, malaque earum ad omnes cives pertineant: oportere eos, qui Reipublicæ præsunt, omnia, quæ gerant, non ad propriam utilitatem, sed ad commune bonum conferre; æquissimumque porro haberi, ut qui reliquis honore, atque opibus antecellunt, amore etiam erga patriam, & liberalitate præstent. Ego equidem, inquit,

ad

ad hunc principem locum. inclinata belli forfortuna, quum vocarer, non eram, P. C., tam ignarus rerum, ut multa Reipublicæ mala impendere posse, titubantibus sociis, auctis hostium copiis, non præviderem, eumque me fortasse futurum Ducem intelligebam, cui vigilandum præ cæteris, nullique rei pro Republica parcendum esset. Sed recreabat me præstantissima Senatus sapientia, ex cujus auctoritate ordinis Rempublicam gerere debebam, & tantum me, amplissimo præsertim accepto beneficio, patriæ debere existimabam, ut vitam, nedum pecuniam, ejus salutis causa profundere jucundissimum ducerem. Hoc quidem tempore, quanquam & tempestas opinione mea major coorta est, & omnia in tantis Reipublicæ tenebris metuenda sunt, tamen eo sum animo, P. C., ut neque deesse patriæ, neque superesse velim. Hac Ducis oratione, & quod extra ordinem habebatur (nam moribus Genuensium Duci verba publice facere, nisi ex S.C. non licet) & quod maximum sui, optimeque cælati argenti pondus ad Monetam deferri ipse jusserat, & voluntaria statim facta erat omnium Senatorum collatio, tanta innata est alacritas, ut adjuvandæ Reipublicæ certamen excitaret omnium animos, & pro se quisque factum, signatumque argentum contribuerent; Matronæque ipsæ opulentæ, atque optimates, ne in amore patriæ suis cessisse viris viderentur, auribus gemmas, collo monilia detraherent, atque in publicum conferrent. Insignis cum primis ex-

titit Auguſtini Gavotti, Joſephique Duratii liberalitas, quorum alter iv. millia, xv. alter millia aureorum Reipublicæ donavit.

At plebs immoderatæ libertatis vitio inſoleſcebat more ſuo, latrocinandique cupiditati defenſionem patriæ, atque Auſtriacorum obtendebat odium. Simulans enim occultari bona hoſtium, domos ſcrutabatur, & multis ſe rebus pro patria pugnantem egere dictitans pecuniam precibus flagitabat, quibus contradici non poterat. Erant exploratores hoſtium, erant improbi, & ſcelerati homines, qui, turbatis rebus, ſeditionis, & prædæ cauſam quærerent. Silebant leges: tacitus obſidebat curiam Senatus, neque illud eſſe tempus animadverſionis exiſtimabat. His malis hæc ſubſidia ſuccurrebant, quominus omnis immutaretur ſtatus Reipublicæ, quod & honeſtiores populares ſeditioſis motibus adverſabantur, optimeque de Republica ſentiebant, & plebs partim illuſtrium familiarum ſplendorem, atque opes aſſueta mirari ſui gregis ſordes aſpernabatur, partim lucro, prædæque addicta nihil de regno cogitabat; & mitiſſimi etiam, optimique nobilium imperii memor, comparatione deterrima præſentem tumultum faſtidiebat; ejuſque erant duces adeo rudes, ut regerentur magis plebis furore, quam ipſi regerent plebem; apud eamque ſuſpicione fraudis, & non æquabili prædæ partitione offenderant. Itaque paucis diebus corruebant, magnoque erant odio omnibus. Adjuvabant rem proclinatam, qui vel a nobilitate ſubmiſſi, vel plebe-

be-

bejam ipsi per se pertæsi arrogantiam Senatus vigere auctoritatem, &, remotis ducibus, plebis languescere insolentiam cupiebant. Quibus rebus extimulata plebs suapte naturâ mobilis, & temeraria repente adorta est deprimere, quos paulo ante in cælum extulerat laudibus. Latrones illos, hostes, proditores esse vociferabatur. Comprehensos, atque omni contumelia vexatos in Prætorium adduxerat, Senatumque, ut in eos animadverteret, obtestabatur. Illos statim Dux in carcerem duci jubet, & daturos pœnas affirmans a præsenti exitio subtrahit; monet deinde, quam potest mitissime, plebem, ut eorum ignoscat imperitiæ, qui legum, & Reipublicæ gerendæ ignorantia peccaverint: non posse bene geri Rempublicam imperiis stolidorum. His dictis mitigata dilabitur plebs, Ducis mansuetudinem, & æquitatem collaudat. Illos postea Senatus, repetitis rebus, non modo iniquissima invidia liberavit, sed etiam honore habito declaravit, nihil esse ab iis unquam de Republica nisi optime cogitatum. At plebs curarum, turbarumque tædio petit ab Senatu, ut alios sibi det duces, qui Concilio suo præsint, atque intersint. Itaque ex auctoritate Senatus delecti sunt nobiles iv. Joannes Baptista Grimaldus, qui de omnibus rebus ad concionem referre consueverat, & Joannes Scalea, Jacobus Laumellinus, Carolus Furnarius. Horum facilitate, solertiaque permulcebatur multitudo; his auctoribus, controversiæ minuebantur, non dissentiente Senatu, cui suam obtinere auctori-

tatem nondum maturum videbatur. Erat plebs suorum magistratuum imagine alacrior ad defendendam Rempublicam? & quum nonnulla periculosissimo tempore fieri oporteret, quæ abhorrerent a moribus, videbantur ea melius in plebis temeritate, quam in amplissimi ordinis consilio delitescere: plurimum etiam valebat in vulgus opinio benignitatis, qua erga populum Dux utebatur, qui nullius stultitiam, atque humilitatem fastidiebat, interdiu, noctuque faciebat omnibus conveniendi sui potestatem. His rationibus manebat domi concordia, commode administrabatur Respublica, cum subita seditio oborta est.

Postremi quidam projecta audacia homines fæcem multitudinis ex facinorosis, atque egentibus congregatam in Senatum, & nobilitatem concitare seditiosis vocibus cœperunt: immortuam nobilium tyrannidem versari diutius in Republica non esse ferendum: illos primum auctores belli, prodita plebe, separatim sibi consuluisse; illos nunc de ejus cæde cum Austriacis consentire: &, quum forte nunciaretur, venire Austriacos, conclamatumque propterea ad arma esset, unus ex iis præcipiti furore inflammatus: quid vos, inquit, Austriacos persequimini, quum domesticum in Urbe hostem habeatis? delete Senatum, qui, ut sibi, suisque nobilibus provideat, vestrum cum Austriacis exitium pactus est. Cur enim arma capere vetamur? cur publica occluduntur armamentaria? nempe id agitur, nisi præcavemus, ut omnes, qui nobiles non

sint,

ſint, ex inſidiis opprimantur. Sed præda oſtenditur opima, præclara datur miſeris occaſio ulciſcendi & ditandi ſe. Audeatis modo inane nobilitatis nomen, vaniſſimaque magiſtratuum inſignia contemnere, veſtra ſunt, o audaces & fortes viri, quæcumque illi per ſummam ignaviam poſſident. Continuo prædarum ſpe, & impudenti inducta mendacio magna ſordidiſſimæ plebis multitudo ad Prætorium convolat, & per cauſam quærendorum armorum irrumpere conatur. Quum ab armatis excubitoribus repelleretur, tormentum, quod forte advehebatur, in foro novo ante fores Prætorii ingenti concurſu, fremituque, & minis conſtituit. Tum Jacobus Laumellinus populari quadam ratione plebi gratus in mediam irruens turbam; occaſune Urbis vultis finiri Rempublicam? voſne hujus patriæ alumni, & vere Genuenſes Ducis excindetis, Senatuſque ſedem, quorum virtute, & conſilio veſtra adhuc libertas, veſtra omnium ſtat ſalus? non hercule illi nobis infeſtiſſimi Auſtriaci audeant. Quum nihilo remiſſius inſtarent, jamque ignem tormento adiicerent, oppoſito Laumellinus corpore, agite, inquit, explete iram, mea ſatiamini cæde: minori flagitio interficietis civem, quam totius Civitatis præſidium evertitis; & ego opportuna morte ſublatus tantum ſcelus non videbo. Maximo viri animo obſtupeſcit multitudo. Paulatim incipit emergere pœnitentia, redire obſequium, & fractus denique plebis furor eadem, qua exarſerat, celeritate reſtinctus eſt. Seditionis du-

ces paulo post comprehensi, necatique furiosissimæ temeritatis pœnas dederunt; & Concilium Populi, reviviscente sensim Senatus auctoritate, paulatim consenescere cœpit, & cum nihil fuit causæ quare haberetur, atque hostes, relicta obsidione, discesserunt, tunc demum esse omnino desiit.

Dum hæc in Liguria geruntur, Brounius, captis Lerina, Planasiaque insulis, Foroque occupato Vocontio, & præmissis, qui ad Argentium usque flumen progressi terrori essent hostibus, Antipolim ipse, perspecto urbis situ, & Britannis adjuvantibus, terra, marique oppugnare instituit. Sed defecerat Genua. Augebantur Gallis copiæ: lx. a Belgio cohortes advenerant, cumque iis Hispani iterum conjungi dicebantur. Nam Galliæ Rex, Ferdinando Regi ut satisfaceret, Philippum Argensonium Campostiani auctorem colloquii a Concilio suo removerat, Malibojumque ab Italico exercitu revocaverat; quorum in locum domi Marchionem Puisiensem, summa virum probitate, & prudentia præstantem, apud exercitum autem in Gallia Narbonensi Ducem Bellinsulanum, eundemque Gallicæ militiæ Magistrum suffecerat. Rex vero Ferdinandus, si Austriacis in Italia Borbonii succubuissent, Carolo Fratri, Neapolique timebat; iique, quorum Ferdinandus consilio utebatur (ut timida est, longeque nimium prospiciens ambitio) vereri cœperant, si domum, amissa Neapoli, Hispani Regni hæres, regnandique peritus Carolus rediret, ne fraterno amore,

re-

regiique nominis auctoritate apud Fratrem Ferdinandum ille plurimum, ipsi minimum valerent: atque ita commutato consilio, Italicum bellum suadebant, eratque adeo eorum suasione Ferdinandi immutata voluntas, ut præcipitis eum receptus, consiliique pœniteret relinquendæ Italiæ. Itaque Borbonii, auctis, conjunctisque copiis, exercitus eduxerant suos. Quorum adventu perterritus Brounius, simul reputans, Genuensis spe commeatus amissa, neque Antipolim oppugnari, neque diutius tolerari exercitum in locis minime frumentariis posse, consilium commutat, oppugnatione desistit, exercitum contrahit, in Italiam redit. Regredientem illum usque ad Varum flumen Borbonii insequuntur; quin longius procederent, hyems prohibuit, & militum labor, quos tot præliis, atque itineribus defatigatos oportebat aliquando in hiberna deducere. Idem Sardiniæ Rex, idem Brounius facit, collocatoque in hibernis exercitu, Sardiniæ Rex Augustam Taurinorum revertitur, Brounius Mediolanum proficiscitur.

Botta deponere jussus imperium, Piccolomineo exercitum, atque is paulo post Sculemburgio tradiderat. Brouniani exercitus pars in Ligures deducebatur. Legionarii, ferentariique ex eo circiter cc. progressi villam Radianam, quæ non longe est a capite fluminis Urbis, occupaverant, aggeremque ante illam præduxerant. Qua re nunciata, Eques Hieronymus Balbus mittit eo confestim legionarios Genuenses lxxx., & voluntariorum militum

tum manum, qui, quum ad hostes venissent, superata munitione, scalis admotis, in ipsam per fenestras villam irruperunt. Illi Genuensium oppressi audacia, nonnullis amissis, interclusa fuga, projectis armis dediderunt sese.

Interim Rex Neapolis de Genuensi tumultu certior factus, & auctoritate permotus Marchionis Folianensis nobilissimi hominis, qui erat apud eum non tam dignitate, quam fide, solertiaque &, amore in Regem singulari primus, actuariis suis, &, quo maxime indigebant, frumento, commeatuque reliquo juvari Genuenses jubet. Genuensibus item, quo essent ad defendendam patriam paratiores, iis, qui in regno suo possessiones habebant, legeque ea tenebantur, quæ est de absentibus, vectigal in annum remittit. Rex autem Galliæ Hispaniæ Regem per literas adhortabatur diligentissimas, ut Genuensibus quamprimum subveniret: pertinere id ad communem Borboniorum causam. Neque ipse pecunia, auxiliisque deerat, Bellinsulanoque mandaverat, ut de exercitu suo idoneam nactus tempestatem vi. hominum millia Genuam celerrime submitteret.

Jamque octo minores ex eo numero duces advenerant, atque in his architecti militares duo, qui duodecies HS. attulerunt, & quam prompto, excellentique esset Rex in Rempublicam animo Genuensibus exposuerunt, magnasque Gallorum copias subsidio statim venturas confirmarunt. Tanta erat Gallici subsidii expectatio, ut ad eos, quum exscendissent,

ſent, vulgus confluerет maxima occurrentium, proſequentiumque alacritate, perinde ac ſi libertas, & ſalus Civitatis adveniſſet. Sed ab eorum adventu quinque, & quadraginta ipſi erant dies, hyemſque præcipitabat, & jam, majoribus coactis copiis, hoſtes erumpebant, neque e Gallia naves, auxiliaque veniebant, angebanturque ſingularum horarum expectatione Genuenſes, &, quæ natura ſollicitudinis eſt, quod ſperabant, quod ſumme factum cupiebant, idipſum ne fieret, magnopere metuebant. Miſerat Senatus Auguſtinum Laumellinum Gallica functum legatione, qui Philippum Hiſpani Regis Fr., Borbonioſque in Gallia Narbonenſi imperatores conveniret, eiſque Civitatis ſpem, metum, periculum oſtenderet: defatigatos Genuenſes quotidianis prope præliis per quatuor fere menſes cum ferociſſimo hoſte ſolos confligere, neque jam, licet animus ſuperſit, vires ſuppetere. Accelerarent, raperentque occaſionem, quæ in armis plus interdum, quam ratio poſſet.

Tandem Maſſilia, Teloneque commeatus, naveſque ſolverant. Sed is fuit perſequentium Britannorum impetus, ut aliæ, unde erant profectæ, referrentur, aliæ idonea ad egrediendum loca in Liguſtico litore, ad orientem ſolem quod vergit, Corſicæque portus peterent, nonnullæ etiam ab hoſtibus caperentur. Quæ vero navis Marchionem Mauriacenſem auxiliarium copiarum ducem, militeſque una aliquot ſuſtulerat, in altum provecta, & proſpero uſa vento Genuam xiv.
Kal.

Kal. April. acceſſit, tardiuſque confecto curſu, & quæ deerraverant, & quæ Hiſpanorum militum partem advehebant, Britannicæque claſſis metu in Lunenſem ſeſe portum introduxerant, eodem poſtea delatæ ſunt.

Sculemburgius, hyeme confecta, quum ipſo anni tempore ad bellum gerendum vocaretur, magna difficultate afficiebatur, qua ratione id adminiſtrare poſſet. Nam ſi hoſtem aſſiduis præliis conficere vellet, non ſatis erat copiarum; ſi ad oppugnandam Genuam contenderet, tormenta deerant. Quod fuerat in exercitu roboris, Galliæ occupandæ Narbonenſis conſilium, itus, redituſque copiarum abſumpſerat, &, quum illata, uti ſupra demonſtravimus, de Placentina præda controverſia minui non potuiſſet, jacebant ea in Urbe multa, & præclara tormenta, quæ Borboniorum fuerant, quæque magno ad bellum Genuenſe uſui eſſe poterant. Cui quidem bello ipſe Rex Sardiniæ non ſatis inſervire diligenter videbatur vel illius prædæ cupiditate abſtractus, vel eo permotus, quod neque Auſtriacorum, ſi Genuam cepiſſent, nimis valde augeri in Italia potentiam, neque ſuum, ſi auxilia ſubminiſtraſſet, imminui exercitum volebat. Itaque poſtulatis, reſponſis, colloquiiſque rem ducebat, eaque de cauſa Auguſtam Taurinorum miſſus ab Sculemburgio Blonchedius fuerat Trib. mil., qui omiſſa Placentinæ prædæ controverſia, cum Rege Sardiniæ de tormentis, auxiliiſque, aliqua interpoſita ratione, deliberaret. Ut autem Regis

gis Sardiniæ animus expugnari poſſet, tamen erant propter itinerum anguſtias duriſſimæ commeatuum, tormentorumque ſubvectiones. His tamen difficultatibus non deterriti Auſtriaci, atque odio ducti Genuenſium, a quibus ſe in Italico primum, deinde in Gallico bello impeditos videbant, tot contumeliis acceptis, gloria rei militaris diminuta, recentes, vetereſque injurias armis perſequi properabant, & nondum ſatis parati ad ipſam Urbem Genuam oppugnandam accedere conſtituerant.

Ad mare Liguſticum, ipſumque Apennini initium ſita eſt vetuſtiſſima Urbs Genua, ſaxis, ſcopuliſque ſublata, quos maris ſequuti opportunitatem induſtrii primum homines incoluerunt, affluenteque mox civium, & divitiarum copia, ſumptuoſis, magnificiſque ædificiis exornarunt. Inſtructis mari propugnaculis, mœnibuſque, veteri, novoque, ut diximus, terra muro cingitur. Portum habet ante ſe in ædificatione, aſpectuque Urbis incluſum, projectis in mare molibus, quæ portus oſtium efficiunt, emporiique celebritate nobilem, & quantævis claſſi ſatis amplum, ab Africoque, cui primum vento maxime erat obnoxius, objecta nunc immenſi operis mole, ſatis protectum. Quæ pars Urbis in occidentem ſolem ſpectat ad Pharum, mirificæ ſubſtructionis turrim in promontorio poſitam, pertinet; quæ vero in orientem vergit, tumulo terminatur, qui Carinianus dicitur. Ab utraque parte novus per inæquales, præruptoſ-

que

que colles ducitur murus circiter millia passuum ix. in circuitu patens, atque in angulum ad eum locum coangustatur, cui nomen Spero est: opus certe arte, naturaque, qua maxime ad occidentem spectat, munitissimum. Duæ duabus ex partibus frequentissimæ valles, duo item sunt flumina, quorum alterum, uti primo libro demonstravimus, Porciferæ valli nomen indidit, ad Arenariumque suburbanum in mare influit, alterum Bisamnatem interfluit vallem, Feritorque appellatur. E regione Cariniani suburbanum est Albarense paulo editiore loco, atque omnium amœnissimo. Huic suburbano, eique Urbis munitioni, quæ Zerbinus nominatur, interjecto Feritoris fluminis alveo, fanum imminet Mariæ Montanæ, cœnobiumque Minoritarum; neque ita longe continuatio quædam montium assurgit, quæ paulatim ad mare decurrens quarto ab Urbe Genua lapide orientem versus in vallem desinit, quam Sturlam vocant. Duo sunt a Septemtrione pari fere altitudine, formaque montes, Geminique ideo Fratres appellantur, qui ab angulo novi muri, Speroneque passus ferme dcccc. absunt, muniti, & circumcisi admodum, maximæque ad repugnandum, oppugnandumque opportunitatis; iisque mediocri diremptus intervallo mons est oppositus, qui nomen ab adamante accepit, ad ejusque radices situs est Turracia vicus, medio fere inter utramque vallem spatio. Loca omnia circa Genuam aspera, rupes præaltæ, itinera ardua, duri homines, nulla pabuli,

nul-

nulla frumenti copia, adeo ut propter inopiam regionis neque morari diutius exercitus, neque progredi propter iniquitatem facile possint. Ipsa Urbs magnitudine operum, firmitate muri, multitudine civium, atque omni bellico apparatu instructa longam, & difficilem habet oppugnationem.

Reversus Blonchedius impetrata ab Rege Sardiniæ auxilia, cumque eo, agente Britannorum Legato, in has ferme leges transactum esse nunciat: relicta Genua, Austriaci, Rexque Sardiniæ partirentur inter se Reipublicæ imperium, & qua ad orientem occidentemque spectat, æqualiter quisque, atque opportune haberent. Lunensis autem portus Francisco Lotharingio Cæsari, eidemque magno Etruriæ Duci attribueretur, quum debellatum esset, quæ res ab Regina Hungariæ Conjugis sui gratia postulabatur, maximæque ipsi, qui Etruriam tenebat, ad opes, atque ad divitias in Italia opportunitatis fuisset: atque ita Austriaci ne præmiorum belli Genuensis partem Regi denegarent, Rex ut, rejecta in aliud tempus Placentinæ prædæ controversia, xii. cohortes, deductaque arce Savonensi tormenta subsidio Austricis mitteret; idque subsidium celeriter venturum idem Blonchedius confirmat. Quibus rebus cognitis, Sculemburgius, & re frumentaria præparata, pluraque in agmina distributis copiis, quæ esse ad duodeviginti hominum millia dicebantur, Novis noctu proficiscitur.

Occupatis, uti supra cognitum est, Ligusticis a Botta faucibus, Austriaci, exquisito per exploratores itinere, ex omnibus montium

tium jugis. ſubito ſeſe eiiciunt univerſi, & Porciferam ſimul vallem, ſimul Biſamnatem conari obtinere videntur: eodemque tempore Præfectus Britannicæ claſſis Genuenſis portus aditum obſepſerat, nullaque a cuſtodiis navium Liguſtici litoris loca vacare patiebatur. Præſcriptum item erat Vogternio, uti coactis ex Ciſalpina Gallia ii. hominum millibus, in Sergianenſem provinciam erumperet, eo conſilio, ut, omnibus obſeſſis viis, intercluſo terra, marique commeatu, aut fame ſubacti deditionem Genuenſes facerent, aut ferro ignique confecti pervicacis furoris pœnam ſubirent.

At Genuenſes natura loci, auxiliiſque Borboniorum, & veniæ deſperatione confiſi paratiſſimo erant ad reſiſtendum animo. Sed quum neque ardua, neque munita loca vim hoſtium undique erumpentium ſuſtinere poſſent, quumque rei militaris imperiti Ligures exercitatiſſimis hoſtibus opponerentur, pedem referre Genuenſes coguntur, amiſſoque Montogio, ad Mariæ Montanæ fanum ſeſe recipiunt: & Porciferani, quanquam acrius Piccolomineo repugnaverant, caſam quandam prope Langenſium pagum nonnullis levis armaturæ peditibus fortiſſime defendentibus; tamen ipſi quoque hoſtium virtute ſubmoti ad Bolzanetum ſeſe recipere coacti ſunt, quo in vico præſidium erat Gallorum. Sculemburgius, qui in itinere ex equo ceciderat, latuſque vehementer offenderat, captis quaquaverſus locis pluribus opportunis, occupato a fronte, communitoque monte Adamante, & collo-

ca-

cato post se Sanctandræensi castrorum Præfecto, ne intercluderetur, ipse apud Turraciam, idoneo, ut diximus, ad utramque vallem loco prætorium constituit.

At Mauriacensis Gallorum Præfectus, ubi hostes tam prope ab Urbe constitisse accepit, vel inopia consilii perturbatus, vel non satis cognita locorum natura, simul suis, qui paucissimi erant, atque Urbi præmetuens deduci Bolzaneto præsidium, Geminosque Fratres relinqui, omnesque sub mœnibus copias constitui jubet. Quo facto, qui ad Mariæ Montanæ excubabant, ii etiam sese ad Urbem receperunt. Porciferani autem, etsi a Gallis deserti, tamen in tuendi Bolzaneti consilio constantissime permanserunt, quod verebantur, si eum Austriaci locum tenuissent, ne liberius, vastandi, prædandique causa sese in vallem effunderent.

Relicto monte Geminorum Fratrum, cedentibus Gallis, quum tota fremeret Civitas, commotus omnium querelis, & Guimontii potissimum, qui erat apud Rempublicam Gallorum Regis Legatus, monitis incitatus Mauriacensis petit eadem nocte ab Senatu, ut urbanæ militiæ partem Roccæpinio Trib. mil. attribuat, cui mandaverat ipse, ut relictum sine ulla cunctatione montem reciperet. Quum Galli inconsiderantiam receptus celeritate irruptionis corrigere cuperent, Genuenses, quorum maxime res agebatur, arreptis armis, concurrerent, facile, aliquot dejectis Austriacis, qui ex vicino Adamante successerant, Geminorum Fratrum mons receptus est, eo-

que recepto rursus, qui a Mariæ Montanæ fano profugerant, eodem celeriter redierunt. Montem Senatus firmo præsidio tenendum, additisque operibus muniendum, eique munitioni, qui invicem cum Gallis præessent, quoque res vocaret, Senatus nomine accurrerent, Joannem Carolum Pallavicinum, Felicem Balbum, Nicolaum Jovium, Francum Grimaldum designandos censuit, & Jacobum item Grimaldum, atque Ambrosium Centurionem, quorum alter Venetiis, alter e Gallia, audito patriæ discrimine, Genuam confestim advolarat: iisque deinde, quoniam pro multitudine rerum gerendarum pauci videbantur, Carolus, & Pasqualis Spinulæ, & Franciscus Fransonius ex S. C. adjuncti sunt: quumque ad Scoffaram, qui locus ad Bisamnatem vallem tuendam, refrænandosque ab ea parte hostium impetus peropportunus erat, magna Ligurum multitudo convenisset, iis qui præesset, missus est Petrus Canevarius, de quo ante dictum est.

At Vogternius in Sergianensem provinciam progressus, conventum oppidi, atque arcis Præfectum, quum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere posset, equites, peditesque suos infesto agmine procedere jussit. Eo Senatus jussu venerat Michael Pincetius. Hic, magna tumultuariorum militum manu contracta, Sergianenses confirmat, præsidia in locis, quæ erant hostibus finitima, constituit, ipse cum reliquis copiis ad hostes proficiscitur, acriterque in eos impe-

petu facto, repulit, atque aliquot millia passuum prosequutus consistendi illis facultatem non dedit. Quo permotus incommodo Vogternius, quum omnem adversus se consentire provinciam intelligeret, atque intrare intra præsidia periculosum putaret, infecta re, discessit, & Massensem, Lucensemque agrum maximis emensus itineribus, Apenninumque transgressus sese ad Sculemburgium prope Genuam recepit.

Sculemburgius, quum denunciationes, admoto exercitu, majorem habere vim, &, dum in metu est, parvo populum momento quam ad cumque conditionem impelli posse existimaret, denunciari Genuensibus per Blonchedium jussit, uti arma ponerent, imperata facerent: Reginam, tametsi gravissima digni pœna Genuenses sint, qui rebellionem post deditionem fecerint, veteresque injurias novo scelere cumularint, tamen eos pro sua misericordia conservatos, quam deletos malle; siquidem, priusquam, quæ in itinere sunt, tormenta ad exercitum advehantur, ad sanitatem redeant: nullam, advectis tormentis, futuram deditionis conditionem, atque intellecturos Genuenses, quam miseris grave, & temerarium sit, irritare potentiores, in demissaque fortuna spiritus gerere magnos magis quam utiles: denique constituant ipsi, utrum, pace firmata, omnique dempto metu, regiæ clementiæ malint, an, vastatis agris, interfectis civibus, eversa patria, severitatis periculum facere. Hæc ad Senatum relata denun-

ciatione, ita Jacobus Grimaldus ex auctoritate Blonchedio respondit: Jus esse naturæ, ut sua quisque quacumque ratione defendat; neque ullo obstringi scelere, si quis alienam ab se injuriam propulsaverit: illos videri potius ab æquitate, justitiaque discedere, qui tantum sibi licere putant, quantum possunt, & quum in aliena tam impudenter invadant, innocentes accusent, qui sua tueantur: Reginam, quæ adeo clementiæ nomine glorietur, non potuisse non commoveri, si inaudiverit, quam iniqua, quam multa ab Ducibus suis pertulerint Genuenses, qui quidem ipso in belli ardore suæ maluerunt utilitatis, quam eximiæ erga illam observantiæ oblivisci: irritatam toties patientiam postremo in furorem erupisse, & qui ab omni cum Regina bello semper abhorruerint, eo esse demum adactos, ut arma sumerent, quæ justissima sint oportet, quum necessaria fuerint: armis sumptis, sic esse Genuenses paratos, ut nec obsideri, si necessitas coegerit, nec mori, si casus inciderit, pro libertate recusent: cætera superis, fortunæque committant. Sculemburgius, ubi intellexit, neque Genuensium frangi constantiam jactatis denunciationibus, neque concordiam, quam optima domi disciplina, externique metus hostis faciebat, convelli posse, nullamque propterea aut spem, aut causam deditionis esse, ad reliquam cogitationem belli sese recepit. Itaque & munire vias instituit, quo facilius tormenta subveherentur, & alia ex aliis loca occupare per-

se-

ſeveravit, ut Genuenſes quam anguſtiſſime contineret.

Advenerat interim Genuam Dux Boufler-tius, Gallici exercitus Legatus, atque unus e principibus Gallicæ nobilitatis, Equitemque Chovelenium caſtrorum Præfectum, nonnulloſque alios duces adduxerat, &, quod non ſine cauſa tantus Vir a Galliæ Rege ſubmiſſus videbatur, civitatis ſpem, alacritatemque renovaverat. Ille in magno populi concurſu, plauſuque Senatum ingreſſus ita Ducem, Senatoreſque eſt alloquutus: Eadem Genuenſes animi magnitudine Reipublicæ libertatem, & Galliæ ſalutem attuliſſe, quoſque hoſtes a cervicibus ſuis repulerint, eoſdem a Galliæ finibus retraxiſſe; itaque ſibi prius beneficio fuiſſe, & virtutis fama, quam vultu, congreſſuque cognitos; ſeſeque, quum ad eos veniret, exiſtimaviſſe ad Marcellos, Scipiones, Fabios venire, quorum animi robur nullis fractum calamitatibus, & vix poſteris credibile manu ipſi, uſuque revocaverint: hujus fama virtutis commotum ſtatuiſſe Galliæ Regem non tam bello, quam fide præſtantem benemeritæ Reipublicæ omnibus modis ſubvenire, ſeſeque ab eo miſſum, qui præſens regiæ teſtis eſſet, atque obſes voluntatis: proinde hortari, cujus hoſtis inſolentiam ſoli ejecerint, ſoli hactenus retuderint, ut ejus in oppugnatione audaciam maximi Regis auxilio freti contemnere ne vereantur: Regis illos Legatum habituros ad belli conſilia ſocium, ad pericula ducem, neque ſe Gallum eſſe me-

 lius

lius omnibus probare posse, quam si amore, fideque erga Rempublicam Genuensis fuerit. Dux Galliæ Regis benignitatem summis laudibus extulit, qui Rempublicam in gravissimis periculis & adjuverit jam egregia liberalitate, & nunc Legatum ad eam amplissimum Virum mittat: tanti beneficii nunquam se, nunquam Senatum, totamque Civitatem immemorem futuram: potuisse Genuensibus hostes oppida, agros, pecuniam adimere, fidem, atque animum neque ademisse, neque adimere potuisse: itaque futuros eosdem, qui semper fuerint, ut in bello fortes, ita in fœdere constantes, atque hoc etiam magis, quo minus nunc sunt de exitu rerum, adjuvante potentissimo Rege, solliciti. His actis in Senatu, magna omnium alacritate discessum est.

Paulo longius progressi Sextum, Vulturemque ad mare oppida occupaverant Austriaci, & Pinum in montibus, cc. edito loco impositis militibus, additisque munitionibus tenebant. Vulturenses Austriacorum perterriti adventu, auctore, & sequestre timidissimo quodam loci sacerdote, sese Franchinio Trib. mil. dediderunt. Deditione facta, proximis improviso ex montibus cum sua tumultuariorum militum centuria descendens intervenit Ænobarbus, conditiones nihil moratur, impetum facit, occidit nonnullos, fugat omnes, longissimeque fugientes insequitur. Hujus opera Ænobarbi eo Genuenses bello, optima, fortissimaque sunt usi, & ipse, rebus strenue gestis,

ſtis, quum humili ortus loco ignotiſſimus antea fuiſſet, pervenit ad hominum famam.

Altera ex parte Stephanus Laumellinus amantiſſimus Patriæ Vir, qui, Venetiis initio belli relictis, ad opem ſtatim Reipublicæ ferendam convolarat, quum Mariæ Montanæ fano præeſſet Pyrochitrophorique clɔ. Auſtriaci loco potiri conarentur, qui Lupa-Amara dicitur, eo profectus eſt; eodemque tempore Paulus Gentilis cum militibus legionariis, Liguribuſque aliquot Stajeno progreſſus ad Pinum pervenit. Ne his quidem locis impetum Genuenſium Auſtriaci tulerunt, compluribuſque amiſſis, relictis impedimentis, atque ipſis, quas inſtituerant, munitionibus, ad ſuos ſeſe præcipiti fuga receperunt.

Eodem fere tempore a Creto, ubi Sanctandræenſis conſtiterat, duplici hoſtes agmine proficiſcuntur, Canevariumque, qui Scoffaræ, ut diximus, præerat, dextra ſiniſtraque adoriri parant. Qui Lavaniolam, qui item Montem Cornarium obtinebant, quæ prima erant oppoſita hoſtibus venientibus loca, pedem Ligures referre cœperunt, eatenuſque retulere, quoad locum nacti opportunum ſubſiſtere, & militum, qui adveniebant, ſubſidio confiſi repugnare potuerunt. Nam ea re nunciata Canevarius iiſdem, quibus Auſtriaci venerant, jugis mille ſtatim Biſamnates, iiſque qui ſubſidio eſſent, legionarios nonnullos bipartito mittit: & partem, in qua ipſe erat, aggredi a latere hoſtem, partem a tergo invadere jubet. Commiſſo prælio, Genuenſes Adoleſcen-

tuli ducis alacritate incitati acrius impugnant; illi Genuensium audacia, &, ne intercluderentur, metu commoti celeriter loco cedunt. Itaque interficiuntur, fugantur. At Canevarius, dum, fusis hostibus, retinere suos a præda, atque ad arcem occupandam Turriliam, quam hostium fuga desertam esse cognoverat, adducere obequitans, adhortansque contendit, longius progressus, jaculique in adversum os ictu vulneratus ex equo delabitur: conantibus auxiliari suis; frustra, inquit, attollere conamini, quem jam vita deficit: unum oro, celentur mea de morte milites, ne ipsius nuncio debilitatis eorum animis, parta jam victoria interpelletur. Ego satis vixi, siquidem invictus, & pro patria morior. Redintegratur Canevarii morte hostium cædes, crevitque adeo Ligurum furor, ut ira flagrantes non captivis, non vulneratis parcerent. Refertur in Urbem Canevarii cadaver, ad cujus aspectum tristissimus augetur omnium dolor, quem jam mortis nuncius fecerat. Concurrebant, videre cupiebant; illum mortuum consuevisse ajebant, dum viveret, hostibus terrorem, suis animum addere: illum ad parandos milites liberalem, ad pericula, consiliaque belli fortem, & prudentem fuisse, atque hæc egisse omnia, quum ad annos xxii. natus esset. Nam Canevarius non solum animo, sed etiam, quod non erat ab ea ætate postulandum, consilio erat non vulgari. Fuerat in Gallia Cisalpina apud exercitum Reipublicæ Protrib. mil. legionis Ligusticæ; prælio ad Tanarum inter-

fue-

fuerat, paucisque mensibus, quum esset Genua profectus rei militaris rudis, factus redierat dux: adeo verum est, ab excellentibus ingeniis indocilem usus disciplinam non desiderari. Supremo die suo quam amplissime elatus est, funebrique pompæ tota ferme Civitas, milites, ducesque, ipse imprimis Dux Boufflertius interfuit. Factum est etiam S. C., ut Petro Canevario invictissimo Adolescenti ob mortem pro Republica obitam statua marmorea in curia poneretur, quæ tantæ virtutis monumentum, patriæque posteris defendendæ exemplum esset.

His omnibus præliis intellectum est, neque Austriacis satis esse animi, quod locorum naturam ignorarent, neque Liguribus constantiæ, si a nobilium exemplo, & legionariorum subsidio desererentur. Accedebat huc ut militari assuefacti disciplina Austriaci melius progrederentur, &, quæ cœpissent loca, peritius defenderent. Ligures autem facile a signis discederent, magisque in singulis interficiendis militibus, quam in summa rerum Austriacis nocerent. Erat tamen in hoc bellandi genere illud Genuensibus opportunum, quod & levibus præliis atterebatur hostis, quem deteriorem in dies locus alienus, & tempus faciebat, & Liguribus quotidiana præliandi consuetudine animus accedebat: sociis præterea spatium erat mittendi auxilia, quæ per medias Britannorum classes parvis advecta navigiis in Genuæ portum facile irrepebant.

Au-

Austriaci, Coronatæ occupato fano, quod edito loco positum est; propius jam, instructis munitionibus, Arenario suburbano succedebant. Genuenses, quo longius illos arcerent, a Porciferæ amnis ostio ad eam exteriorem Urbis munitionem, quam Forcipem appellant, comprehenso colle, qui ab amœno prospectu nomen accepit, aggerem perducere; atque instruere properabant, neque adactis ex hostium munitione; Britannicaque navi; quæ rei impediendæ causa ad litus accesserat; telis deterrebantur, quominus opus urgerent. Quin etiam ipsi suorum tormentorum vi Austriacos, Britannosque vexabant, Franchiniumque interfecerant nefariam ulti crudelitatem; qua ille in miseros Porciferanos omnia exempla cruciatus ediderat: eademque celeritate ab altera Urbis parte Albarense suburbanum; excelsioraque circum loca munire curabant, & sic sunt patriæ tutandæ studio incitati homines insueti militaris patientiæ, ut rem multi operis, ac laboris, adhibitis militaribus architectis, nobilissimisque ad opus viris excubantibus, brevi perficerent.

Adventus Ducis Bouflertii summa spe, & voluntate Civitatem compleverat; nec minus ipse, quam in Senatu confirmaverat, animo laborabat, ut Reipublicæ Genuensis amantissimus videretur. Nam, seu quid communicandum, seu quid administrandum esset, ipse principes Civitatis benigne appellabat; ipse plebem effusa largitione incitabat, interdiu, noctuque obequitans, interim pedes, nihil a-

pud

pud hostes tutum, nihil apud suos languidum patiebatur. Namque etiam per eos dies Coronatæ fano depellere Austriacos constituerat, urbanamque esse in armis militiam, seseque ad nocturnam parare eruptionem jussserat. Signo dato, omnes convenerant. Ipse monendo, cohortandoque aderat Boufflertius. Movebantur etiam exemplo Josephi Duratii, qui provecta ætate, ut sæpe alias, ita tunc armatus prodierat, nummosque populo spargens rem adjuvabat. Sed infregit consilium fœdissima coorta tempestas, adeout, proluentibus undique aquis violentissimis, neque arma homines tenere, neque pedem progredi possent.

Senatus, quum multa, quæ pertinerent ad sollicitandum statum Reipublicæ, excitari in turba belli posse existimaret, saluberrimumque censeret in maximis rebus summam imperii apud unum esse, quæstionibus extra ordinem exercendis quasi dictatorem dixit Augustinum Gavottum, qui pœna paucos, terrore omnes afficiens intestino scelere Rempublicam liberavit. Magnam interim argenti vim in bellum Genuensibus Rex Galliæ dare, neque minorem Hispaniæ Rex liberalissime polliceri perseverabat, & auxilia uterque submittebat.

Aucta classe, omnibus longe, lateque litoribus occupatis, intentiores erant ad custodias Britanni. Genuenses ad recipienda auxilia, quæ, classis metu, portu Monæci continebantur, lx. phaselos miserant, iisque præsidio

ſidio naves longas duas. Nam commeatus propter ejuſmodi agilitatem navigiorum facilius elabebantur, minuſque, ſi nonnulla forte ex iis in curſu offenderent, deperibat militum, qui ſeparatim in plures erant phaſelos impoſiti. Ac primo in noctem conjecti phaſeli, obductaque ſummo mane nebula occultati Britannicam fefellerant claſſem: deinde ubi diluxit, diſcuſſaque caligo eſt, apparuere. Quos quum audacius progreſſos Britanni vidiſſent, ſperantes intercipi poſſe, prædatoriam ſubito navim, myoparonem, atque aphractum ad eos miſerunt. Genuenſes, eductis triremibus duabus, conantes portum capere phaſelos protegebant, prædatoriamque navim jactis morabantur telis. Eodem tempore naves longæ duæ Genuenſes myoparonem, aphractumque Britannorum, commiſſo prælio, diſtinebant. Quæ res magnum attulit phaſelis ad incolumitatem momentum. Nacti enim ſpatium, quum vehementius remos incitaſſent, in portum omnes refugerunt, quos ſtatim, repulſis, eluſiſque Britannis, naves longæ, ac triremes conſequutæ ſunt. Ea exſpectati auxilii ſpes, is ex prælio metus animos verſabat Civitatis, ut nemo fere Genuæ fuerit, quin viſendi cauſa altiſſima tecta, mœniaque petens ex omni proſpectu locum ſpectaculo cœperit, lætuſque, confecto prælio, & gratulabundus ad portum procurrerit. At Britanni omnium dominatores marium, tanta ſub oculis accepta ignominia, magnopere fremebant, eoque id magis, quod crebris ſollicitabantur Auſtriacorum que-
re-

relis, qui auxiliorum adventum eorum negligentiæ falſo tribuebant. Nam Genuenſes nautici & ipſi homines domeſtico maris uſu valebant, parvuliſque navigiis, quibus incredibili celeritate tranſmittentes, ad litora ſeſe ſtatim, vadaque applicabant, atque ita Britannicarum impetum navium fere ſemper fugiebant. Magna præterea eſt maritimarum rerum inconſtantia, & difficultas, utpote quas interdum malacia detinet, tempeſtas ſæpe affligit, incertiſſimæque ſemper res, ventus atque unda gubernant. Neque vero, dimiſſis quaquaverſus aphractis, parum proficiebant Britanni, ſubmiſſaque etiam navi, quæ contra Nervium in anchoris conſiſteret, eamque viæ partem, quæ propter anguſtiſſimam oram Genuam ducit, conjectis infeſtam telis haberet, importari terra in Urbem commeatus prohibebant, excenſionemque eo loco facere tentaverant. Sed periculum veriti, quod Ligures arma cœperant, ad navem ſtatim refugerant, quam paulopoſt, ſublatis anchoris, in altum remulco adducere coacti ſunt. Illam enim Ligures, duobus allatis noctu tormentis, repentino impetu telorum labefactaverant.

Venerant tandem xii. Subalpinorum cohortes, quarum Comiti Roccæſio permiſſum erat imperium, atque is, capto, direptoque Vulture, ad Sextum caſtra fecerat, eoque tormenta Savonenſi arce deducta, reliquaque, quæ ad oppugnationem pertinent, terreſtri deſperato itinere, Britannicis navibus ſupportabantur. Aucto Sculemburgius exercitu, collem

lem quendam, in quo fanum eſt Miſericordiæ poſitum, Ligurum dejecto præſidio, facile potitur; qui collis abeſt ab Genua millia paſſuum ii. Genuenſes, eo amiſſo loco, tametſi non maximi erat momenti, tamen vehementer propter nimiam cujuſcumque rei ſollicitudinem perturbantur. Bouflertius, ne per otium hoſtium increſceret audacia, & vulgi ingraveſceret timor, ſignum dari, recipique collem, fanumque imperat, idque conteſtim conatus effecturum ſe ſperabat, propterea quod amnis Porcifera, qui medius inter eos, qui fanum obtinebant, reliquaque hoſtium præſidia fluebat, coortis imbribus, ea nocte admodum creverat, ut, quominus alii aliis ſubſidio irent hoſtes, impedire poſſe videretur. Dat negotium Chovelenio caſtrorum Præfecto, uti princeps prælium ineat. Ille urbanæ militiæ centuriis, & Gallis, atque Hiſpanis aliquot aſſumptis, ad hoſtes proficiſcitur, in eoſque, quum hora diei eſſet octava, impetum facit, acerrimeque repugnantes, relictis inferioribus locis, ad fanum ſeſe recipere cogit. Eodem tempore Comes Lannionenſis, qui Geminorum Fratrum monti præſidio erat, eruptione facta, hoſtes a latere premebat, jamque, quum ab hora octava ad veſperum pugnatum eſſet, Hiſpani, Gallique Pyrochitrophori, captis Auſtriacis compluribus, atque occiſis, fano appropinquabant, in eoque jam erant, ut irrumperent: quum Bouflertius, qui ad portam Granarolam progreſſus eventum pugnæ expectabat, receptui cani juſſit. Nam,

&

& satis ad hostium minuendam audaciam, Genuensiumque confirmandos animos factum existimabat, & Lannionensis eruptione, Geminorum Fratrum montem nudari nolebat, ne vacuum a præsidio eum hostis occuparet. Præterea, quum res studio esset contentionis prope in noctem deducta, in tanta veteranorum paucitate nocturnum esse prælium vitandum censebat. Ita in occupato Austriaci colle remanserunt, Borbonii, & Genuenses in Urbem reversi sunt; quum hi, quod primo concursu terga vertere hostes coegissent, vicisse sibi viderentur, illi vicissent. Tumulum enim, fanumque, quæ causa pugnandi fuerat, tenuerunt. Pauci ex Borboniis, & Genuensibus cecidere, in his Marchio Fajensis Trib. mil. de exercitu Gallico, qui hostibus insistens mortiferum vulnus accepit, ex eoque postridie interiit. Ipse fortissime pugnans vulneratur Chovelenius. Francus autem Grimaldus in medios ardore pugnandi abreptus hostes, ab iis captus est, unum præstantissimus Adolescens, dum caperetur, questus, quod, quum in alienam veniret potestatem, Patriæ suæ inservire non posset.

Operum magnitudo, & continens tot mensium labor populi studium infirmare videbatur, erantque, qui propter non magnum in re militari usum non magnum sæpe periculum miserarentur, firmioresque existimarent hostes, quam revera essent. Multa improbi fingebant, prudentes suspicabantur, timidi credebant, ut his omnibus rebus magnus paula-

tim

tim irrepere timor, & desperatio posse videretur. Itaque, ne in medio rerum cursu impetus resideret animorum; artificum capita, urbanæque plebis principes in curiam extra ordinem cogere, eosque alloqui de Senatus sententia Brignolius Dux constituit. Quum frequentes convenissent, magnaque præterea affluxisset multitudo, amictus toga purpurea Dux, & sedens in solio: Non negaverim, inquit, Genuenses, me ultro ad vos tanquam ad homines diuturnitate belli defatigatos, hortandi causa processisse; sed tanti ego facio frequentiam hanc vestram, qua in hunc locum rogati convenistis, eam in vultu omnium, atque oculis eminere video patriæ alacritatem defendendæ, ut gratulatione mihi potius, quam hortatione utendum esse intelligam. Quid enim eos horter, quos intueor paratissimos? est vero, quod patriæ, quæ cives genuit fortissimos, est quod vobis, qui patriam servastis pulcherrimam, est denique mihi ipsi quod gratuler, cujus imperii nomen multo illustrius perveniet ad posteros vestræ commendatione virtutis. Quanquam haud scio, an hæc ipsa gratulatio supervacanea sit, cujus est usus confecto bello reservandus, ne fortunæ beneficium præripuisse videamur. Quæ erunt igitur meæ partes? illud unum vos admonere, ut vestri similes sitis, idque efficiatis, ut extrema principiis consentiant. Nam quid minus conveniret, Genuenses, quam, collocatæ quum essent in cervicibus nostris victrices Austriacorum legiones, vos privato consilio (nec enim aliter fieri

fieri potuit) ejectis illis, sustinuisse solos labantem fortunam Reipublicæ, & nunc auctore Senatu, consentientibus omnibus, adjuvantibus Regibus potentissimis, animo deficere? an hostem ut videamini timere, quem fugastis? aut aliquid ab eo æqui sperare, qui stare sibi non posse videtur, nisi hac eversa, & deleta civitate? qui non pecuniam, ut antea, sed jam iratus sanguinem vestrum concupiscit? nulla magnopere lacessitus injuria ad pacatos, ad deditos accedens nihil sceleris, nihil crudelitatis prætermisit: quid hic faciet dolore ardens amissæ prædæ, & grandi læsus ignominia, quacumque ratione in Urbem hanc redire potuerit? sed, ut spero, & video, non poterit. Eos habemus socios Reges, quos eadem nobiscum arctissime causa conjungit, eos Regum Legatos, eam Senatus constantiam, eum omnium ordinum consensum, ut vehementer sit hostibus de victoria desperandum; qui neque pauci tantæ Urbis oppugnandæ molem sustinere queunt, & quo plures sunt, pluribus rebus in nudo, atque aspero solo egere necesse est. Non Britanni, una, aut altera intercepta navicula, commeatus, auxiliaque nostra impedire; non Subalpini, paucis submissis cohortibus, ad summam belli multum proficere possunt. Atque hos ipsos jam ad respicienda cuique domestica mala belli per vos excitata fortuna, & Borboniorum in Belgio, Italiaque victoriæ convertent. Quid autem sine his Austriaci poterunt omnium egentes rerum, & quotidianis deminuti præliis? Tolera-

te, Genuenses, paucorum dierum molestiam, & tantum hunc oppugnationis apparatum ad nihilum prope diem recidere videbitis. Nolite interim aut stulta aliqua spe aperire ad occasionem locum hosti, aut vano metu, animique imbecillitate patriam omnem prosternere, eorumque etiam auxilio, vobis trepidantibus, spoliare, qui vestræ salutis causa maris, atque hostium periculum neglexerunt. Quæ Hispani, quæ Galli milites pro vobis gesserint, atque gerant, ipsi videtis. Quo socii Reges, quo imprimis Galliæ Rex sit animo in Rempublicam, qua fide, adest, qui vobis ostendat nobilissimus Legatus ipsius Boufiertius, regiæ testis voluntatis, & vestræ idem æstimator virtutis. An patriam peregrini vestram studiosius defendent, quam cives? an pœnitet vos, quod, Republica recuperata, famam estis apud omnes gentes, atque immortalem gloriam consequuti?

Quod si, his omissis, causam belli spectare, eamque judicare meliorem velimus, quam etiam Cælestes adjuverint: quænam esse potest, Genuenses, causa justior bellandi, quam quæ adversus teterrimos patriæ oppugnatores civium armat manus? aut quisnam illud sine Divino evenisse consilio existimet, quo factum est, ut exercitatissimi, paratissimique hostes vincerentur a vobis, qui prope eratis inermes, & nullum certe rei militaris usum habebatis? Superis igitur, hominibusque juvantibus, incumbite, Genuenses, in optimam causam, eamque nunc meliore belli conditione

re-

retinete virtutem, quam a principio perditâ fere fortunâ præstitistis. Qualis erit vestra in bello virtus, talis erit hujus Urbis, & totius nominis Genuensis sors. En ego vester Dux pro patria, pro vobis, quos mihi carissimos, atque in liberorum loco habeo, non solum vigilare, adesse, providere, sed etiam pugnare, & mori paratus. Equidem me Ducis nomine Patres appellarunt, ego patriæ militem dici volo; &, si regius hic ornatus impedimento mihi est, quominus vobiscum una in aciem prodeam, date gregale sagulum, quo turbæ immixtus præliantium vitam meam hostium telis obiiciam. Nam neque grata est dignitas, quæ vitam servat incolumem ad intuendam patriæ eversionem, neque acerba mors, quæ naturæ debita patriæ donatur.

Qua Ducis extrema oratione permotus populus dicentem interpellat, & magnis clamoribus cohortatur, ut sibi consulat, & vitam suam ad Reipublicæ utilitatem reservet, universique discedentem ex concione lætissimo plausu prosequuntur, & se ad omnia belli pericula paratissimos esse confirmant. Itaque, quum pro operum magnitudine, & stationum multitudine, tametsi duodeviginti ferme hominum millia quotidie essent in armis, tamen parum videretur esse defensorum, Senatusque consultum factum esset, ut lecticarii, servique omnes puberes armarentur, non dominus fuit, qui familiam offerre, non servus, qui nomen dare recusaret; ipsasque videre erat primarias Fœminas, Senatoresque,

non, ut antea, ſtipatos grege familiarium, ſed uno vix famulo comitatos in publicum prodire. Una omnium occupaverat animos patriæ cura, & quæ proſperis temporibus pudori fuiſſent, faciebat calamitas Reipublicæ, ut laudi ducerentur.

Mittuntur Comes Lannionenſis, & Auguſtinus Pineilius, quorum alter Gallis, alter Liguribus, atque uterque, mortuo Canevario, Scottaræ præſit. Hi arcem Turriliam vano ab hoſtibus metu derelictam recipiunt. Arx contra Maſonia, præſidiumque per eos dies, adacto cuniculo, in poteſtatem Auſtriacorum venit; id quod in tanta militum paucitate Genuenſibus accidit perincommode.

At Sculemburgius Subalpinorum auxiliis confirmatus in Biſamnatem vallem erumpere, & quæ pars Urbis ad orientem ſpectat, patetque maxime, atque infirmior eſt, hanc adoriri conſtituit. Id ne a principio ſpectaverit, & adventum præſtolans Subalpinorum tandiu diſtulerit, an alterius partis oppugnandæ difficultate admonitus ſitum poſtea Urbis accuratius perſpexerit, non ſane conſtat. Illud videtur pro certo eſſe ponendum, oppugnari Genuam facilius potuiſſe, ſi exercitum Auſtriaci in Biſamnatem vallem ſtatim adducere maluiſſent, quam munitiſſima Porciferæ vallis loca carptim tentando prima belli tempora Borboniis, & Genuenſibus prodere.

Pridie Id. Jun. circumſpectis diligentiſſime Sculemburgius, & paratis, quæ ad eruptionem pertinent, juſſis Subalpinis omnibus, &

Au-

Austriacorum cohortibus aliquot ab altera Urbis parte Genuensium præsidia tentare, Geminorumque eodem tempore Fratrum montem simulato impetu invadere, ut ancipiti defensionis cura distracti Genuenses, Borboniique a præsentis periculi suspicione averterentur; Ipse, triplici instructa acie, tertia circiter vigilia castris egressus, Feritoremque amnem, nullo repugnante, transgressus, expedito exercitu ita noctu iter fecit, ut sub lucis adventum ad Serram, quam vocant, Bavarorum perveniret. Ligures, qui ibi erant præsidio, paucos, & nec opinantes nihil negotii fuit opprimere, atque in fugam dare. His fugatis, ad faucem Rattorum, qui perangustus est in illis montibus aditus, & defendi opportune poterat, eadem celeritate contendit. Militaris disciplinæ neglecta severitas magnæ sæpe in bello calamitati est, & tum fuit. Nam Helvetiorum manus de Hispaniensi exercitu, cui locus is ad defendendum obvenerat, quum sine ducicibus, qui inamœnæ solitudinis tædio longius pernoctabant, remissius ageret vigilias, & omnia magis, quam hostes, expectaret, repentino eorum adventu exterrita, perturbataque loco excessit. Quo Austriaci potiti, summumque nacti jugum rejectos ex loco superiore urgent Helvetios, atque hi, quum omnibus rebus premerentur, ægreque resisterent, initium fugæ faciebant. At Taubenius Hispanorum Præfectus, qui ad Urbem erat, ea re nunciata, cursu incitato, Cordubensis legionis manipulum secum adducens eo statim advolarat, at-

que hoſtes comprimere, ſuoſque precibus, cohortationibuſque firmare conabatur, ut ſe ex fuga, & timore colligerent. Qui quum nihiloſecius fugere perſeverarent, ille, ut videret, ſi poſſet exemplo retinere, quos verbis non poterat, diſtricto gladio præcurrit ante omnes, gravique affectus vulnere, quum ſe ſuſtinere non poſſet, inter militum manus e prælio ablatus eſt, duodecimumque poſt diem præſtantiſſimus dux omnium luctu, & deſiderio interiit. Fit protinus, vulnerato Taubenio, effuſa Helvetiorum, atque Hiſpanorum fuga. Jam Subalpini, reliquique Auſtriaci, ita uti inter eos convenerat, ſubito inſtructis copiis provolaverant, unoque tempore, & Arenarii munitiones, & Geminorum Fratrum montem tentaverant. Facile Genuenſes defendunt; celeriterque animadverſum eſt, maximas Auſtriacorum vires alio ſpectare, neque id ab iis, niſi diſtinendorum hoſtium cauſa, tentatum eſſe. Prima luce, pulſis Helvetiis, monteque occupato Rattorum, omnia fere ſuperiora loca, unde eſt propinquus in Biſamnatem vallem, Urbemque Genuam deſpectus, multitudine Auſtriacorum completa conſpiciuntur. Nam dextrum eorum cornu ad lucum uſque ſodalium Camaldulenſium, montemque Quetium pervaſerat, Mariæque Montanæ fano imminebat; ſiniſtrum autem in vallem Sturlam, omnibus circa jugis occupatis, atque ad mare pervenerat; tantumque ab ea parte terroris intulerat, ut Nazarianæ munitionis, quæ ad Albarenſis tumuli radices conſtituta eſt, tormen-

ta

ta Borbonii, desperata defensione, abiicerent in mare, ne in potestatem Austriacorum venirent. Tota interim Urbe fama percrebescit; non longe hostes abesse. Tacita primo, & tristissima admiratio; deinde conclamatur ad arma. Habetur Senatus. Complentur mœnia. Consulitur. Trepidatur. Genuenses usus ignari militaris ad Borbonios ora convertunt; quid ab eis geratur, expectant. Borbonii neque satis periti locorum, & veteranorum paucitati diffidentes animo magis, quam consilio valent. Bouflertius ad portam progressus Romanam de Urbis defensione vehementissime laborat. Austriaci interea longius procedebant, & Mariæ Montanæ fanum jam occupaturi videbantur. Tum Marchio Ledensis, qui fano præerat, quum se nulla satis munitione tutum adversus hostes arbitraretur, præsertim quos recenti successu efferri videret, Bouflertium crebriores per nuncios facit certiorem, quid faciendum existimet, & se, quum loco diffidat, receptum parare demonstrat. Ac primo Bouflertius consilium ejus probat, postea monitus a Sicrio castrorum Præfecto de exercitu Genuensi, qui eo forte advenerat, ne amplam, relicto fano, oppugnandæ Urbis occasionem hostibus præberet, locum pugnacissime defendi jubet, &, quum se jam Ledensis recipere cœpisset, summittit ei Roccæpinium affinem suum, strenuum ducem, & paratum, qui aliis raptim additis munitionibus, allatisque tormentis, assiduo jactu telorum consistendi hostibus facultatem non dabat. Non tamen dubium

 fuit,

fuit, quin, si, dum Ledensis trepidat, Bouflertius consultat, confestim Austriaci irrupissent, locus esset amissus, qui ad defensionem Urbis maximæ erat opportunitatis.

Ita parvæ res magnum in utramque partem momentum habuerunt. Nam & negligentia Helvetiorum aditum prope ad Urbem hostibus dedit, & fortuitus Sicrii adventus salutem Genuensibus attulit: eoque die non tam virtus fuit Austriacorum laudanda, quæ viarum, locorumque difficultates supervadere aggressa celerrime superavit, quam Genuensium visa est admiranda fortuna, quæ quadam sua magis vi, quam defensorum industria celeritatem hostium, victoriamque retardavit. Sculemburgius enim sive rem nimis facilem, sive nimis difficilem arbitratus, atque in facilitate insidias, in difficultate laborem ex tanta militum defatigatione veritus vacuum Ledensis receptu Mariæ Montanæ fanum occupare neglexit (id quod erat ei omnibus modis conandum) deterritusque etiam, quominus propius Urbi succederet, munitionibus iis, quas in Albarensi suburbano superioribus diebus Genuenses instituerant, in valle Sturla substitit, nactusque desertam quamdam secundum mare Turrim, eam duobus impositis tormentis communiit, eoque ab Sexto, quæ ad oppugnationem Urbis pertinebant, comportari imperavit: unoque tempore, & advectis majoribus tormentis oppugnare Genuam ab ea parte, & arctius obsidere constituit, naviculis, quæ magno erant Genuensibus usui ad

com-

commeatus ſubvehendos, duplici periculo perterrefactis; quum, ſi litus legerent, vexarentur ab Turri, ſi altum tenerent, deprehenderentur a Britannis; percrebueratque rumor extremam eſſe in Urbe famem, grandique macie torridum populum ſordidiſſimis rebus tolerari; ut Civitatem ad voluntariam etiam deditionem inopia cogi poſſe Britannis perſuadere Sculemburgius vellet. Sed Britannicæ claſſis Præfectus navarchum in ſcapha Genuam cum caduceo miſerat, qui per cauſam reddendæ publice literæ ſtatum Civitatis diligentius ſpecularetur; atque is in Urbem intromiſſus, opiparaque a Bouflertio menſa acceptus, dum ad Prætorium deducitur, reduciturque ad ſcapham, cibariorum copiam in viis expoſitam, quam etiam de induſtria Genuenſes adauxerant, populique alacritatem conſpicatus, quæcumque viderat, Præfecto renunciavit. Senatus etſi intelligeret, cujus rei cauſa miſſus navarchus eſſet, qui nihil gravioris negotii attulerat, tamen non inutile judicavit ad deterrendos hoſtes, videre ipſoſmet, quam parata eſſent omnia ad Urbis defenſionem.

Reſpiraverant interim Genuenſes, & Auſtriacos, qui præter opinionem non vicerant, pro victis habebant. Diem noctemque in operibus, in muris verſabantur. Hiſpani, Gallique præſto erant milites, duceſque. Aderat omnibus hortator Bouflertius, nullumque ſibi ad quietem tempus relinquebat. Sacerdotes ipſi, quibus poſtea ex S. C. gratiæ actæ ſunt, of-

offerebant ſe, armatique vigilias, atque excubias agebant. Ducebantur foſſæ, extruebantur aggeres: Mariæ imprimis Montanæ fanum, atque Albarenſe ſuburbanum propter loci opportunitatem, continuatis operibus, muniebantur. Loricis adjectis, munimentiſque foſſarum perfectis, mœnia, quæ circa Biſamnatem vergunt vallem, ab hoſtium incurſu defendebantur. Tentabant præterea, quo poſſent pacto & Auſtriacos in ſuis divexare munitionibus, & Britannos ſubmovere, ne tormenta ad Sturlam libere exponerent. Pontonem enim, quod genus eſt navis grave, & latum, eoque in portu ad materiem, ſaxaque convehenda uti ſolent, duobus tormentis, duobuſque item mortariis inſtructum, laneiſque obtectum culcitris ad defendendos milites ab ictu telorum, multis adductum funibus, ſcaphiſque, cum duabus præſidio triremibus, contra Sturlam collocaverant, olliſque repente incendiariis, continentique telorum jactu Auſtriacorum munitiones, & Britannicas naves infeſtas habere cœperant. Sed, coorta tempeſtate, & Genuenſes in portum ſe recipere, & Britanni in altum vela dare coacti ſunt. Crebra etiam terrà, dum Auſtriaci irrumpere, Genuenſes, Borboniique repugnare conantur, prælia fiebant. Comes Lannionenſis, & Auguſtinus Pinellius, ne, progreſſis ad mare Auſtriacis, ipſi intercluderentur, Scoffaram reliquerant, præſidioque arci Turriliæ paucis militibus, Liguribuſque relictis, ad Reccum ſeſe, Margaropolimque receperant.

At

At Paris Pinellius Augustini Fr. Eques Jerosolymitanus monte Fascensi depellere Austriacos aggreditur. Tenebatur ab iis mons duobus satis firmis præsidiis, &, quod non longe eorum aberant castra, facile erat iisdem, quodcumque submittere militum. Erant cum Pinellio Ligures numero cl. Rei aliquis difficultatem, periculique magnitudinem ostenderat; sed Pinellius, quia, relicta Melita, ad primum laborantis patriæ nuncium Genuam venerat, magnum aliquod pro Republica efficere properabat, incitabaturque gloriæ cupiditate, & naturæ quadam ferocia, inconsultaque rei bene gerendæ fiducia. Neque ejus cupiditati Ligurum studia desunt, & audaciam a principio fortuna prosequitur. Nam primum hostium præsidium, circiter quadraginta interfectis, expugnat. Hac re animadversa, ii. millia expeditorum militum subsidio suis Austriaci mittunt suspicati, paucis præmissis, multo majorem affore Ligurum manum. Ne hæc quidem res ab spe, impetuque Pinellium moratur, temereque progressus prælium cum tanta hostium multitudine committere, locumque adoriri præmunitum non dubitat. Neque vario certamine pugnatum est, quum Austriacorum numero deterriti Ligures præcipitem subito incertis itineribus, per silvas, & montes fugam arripuissent. Ictum jaculo Pinellium, & prolabentem ægre humeris impositum Ligur e prælio quidam auferre conatur. Vulneratus Ligur vulneratum relinquere Pinellium cogitur, cujus statim Au-

stria-

ſtriaci conclamantes victoriam caput præcidunt. Depoſcenti tamen Fratri corpus ad ſepulturam conceditur: quumque funeris cauſa relatum Genuam eſſet ad exequias cohoneſtandas frequentiſſima convenit civitas, graviterque doluit, tantam fortitudinis indolem abreptam ætatis, & gloriæ æſtu quodam tam cito defeciſſe.

Dum hæc ad Genuam geruntur, Bellinſulanus, educto ex hibernis exercitu, fratrem ſuum Equitem Jeroſolymitanum, virum & conſilii magni, & virtutis, receptis Lerina, Planaſiaque inſulis, cum cohortibus xv., equitibuſque nonnullis Ocelum verſus in eas partes, quæ Barcinonetam vallem attingunt, proficiſci jubet; ipſe, exploratis hoſtium rationibus, aliud capit initium belli. Minenſis, & Bellinſulanus, conjunctis, tranſductiſque flumen Varum copiis, eadem celeritate, qua fuerant relicta, Nicæam, Montem-Albanum, Villamque Francam oppida recipiunt, atque ad Albintemelium perveniunt, arcemque oppugnare inſtituunt, eodemque tempore Pignatellium præmittunt, qui cum primo agmine Remopolim progreſſus, quam poſſit latiſſime oſtentationis cauſa pervagetur. Leutronius, qui juſſu Regis Sardiniæ eis locis præerat, ſimul ac adeſſe Borbonios cum ingenti armatorum multitudine nunciatum eſt, quorum adventum, vireſque fama, ut fit, multis auxerat partibus, primo ad montes ſe convertit, qui Onelienſem tractum cingunt, approperatiſque munitionibus irrumpentes demo-

morari Borbonios cœpit. Sed postea, deditione ipsius arcis Albintemelii cognita, quæ per eos dies facta fuerat, quum ne montibus quidem, & munitionibus satis confideret, atque eum omnia deesse viderentur, missis confestim ad Sculemburgium, Roccæsiumque nunciis, quanto ipse in discrimine versetur, ostendit; nec se hostium impetum sine eorum auxilio sustinere posse perscribit. Illi eodem periculo, iisdem permoti rumoribus, quas instituerant, disjectis munitionibus, impositisque in Britannicas naves tormentis, receptum parabant. Quæ dum administrant, redduntur iis interim a Rege Sardiniæ literæ, quibus oppugnationem Genuæ, omissis omnibus, quam maturrime perfici jubebat, eamque, audita Sculemburgii in Bisamnatem vallem eruptione, ad exitum spectare arbitrabatur. Itaque rursus exponunt Britanni tormenta, rursus apparantur aggeres, iterumque oppugnatio fervet, & summa utrinque vi certatur. Postea vero quam Bellinsulani Fratris copias ex altera parte ad alpes augeri, ex altera Bellinsulanum ipsum, & Minensem, capta arce Albintemelii, secundum mare ad liberandam Genuam accelerare, nec tantis rebus gestis, ullo adhuc Genuæ mœnia telo attingi potuisse cognovit Sardiniæ Rex, simul a Præfecto Britannicæ classis certior factus est, nihil esse in obsidione spei adversus Genuenses, qui omnibus rebus abundabant, rei moram timens, & desperans exitum, commutato repente consilio, suas e Liguria copias revocat, debitaque

que

que ex fœdere Austriacorum auxilia a Sculemburgio reposcit. Namque admodum verebatur, ne, copiis dissipatis, atque interclusis suis, ab hostibus circumsisteretur, neu, dum alienis inhiabat, sua ipse amitteret.

Abstrahebatur ægre ab oppugnanda Genua Sculemburgius, certamque sibi eripi e manibus victoriam querebatur, & sunt etiam plerique, qui existiment, futurum fuisse, ut Genua expugnaretur, si perseverare in oppugnatione Sculemburgio licuisset. Sed Roccæsius, acceptis ab Rege suo mandatis, discedere cum Subalpinis properabat, jamque anchoras moliri Britanni videbantur, quorum auctoritate necessario Austriaci movebantur. Itaque, concilio advocato, quum discedere constituissent, Roccæsius suarum partem Leutronio copiarum auxilio misit, partem ipse in Subalpinos duxit: Britanni, contracta classe, tormentis, impedimentisque exercitus, & nonnullis Austriacorum, quæ ad Regem Sardiniæ breviore itinere mari adducerentur, cohortibus in naves impositis, e conspectu Genuensium Savonem, Vadumque Sabatium concesserunt. Sculemburgius, reliquis cum expedita manu præmissis impedimentis, relicta Sturla, atque aliquot ad Turraciam, in Porciferaque deinde valle moratus dies, & Ligusticas, non insequutis Genuensibus, quietissime transgressus fauces, in Galliam Cisalpinam rediit. Quo quum venisset, exercitum atque imperium Brounio tradidit, ipse in Germaniam profectus est.

Ge-

Genuenſes, recuperata patria, reliqua fere omnia amiſerant maximis affecti detrimentis, atque internecini belli ſumptibus exhauſti, cujus belli tetra extabant veſtigia, proſtratæ villarum fores, deuſta tecta, & nihil ſancti, amœnive circa Urbem integrum a clade, & vaſtitate relictum. Neque vero in diſceſſu hoſtium gaudere ex animo poterant, quod & fortunas everſas ſuas intuebantur, & perculerat eos graviſſime Bouflertii mors, qui eodem illo die, quo diſceſſerant hoſtes, puſtularum morbo conſumptus interiit. Cujus cognita morte, tantus Civitatem mœror oppreſſit, ut, ſi capta ab hoſtibus Urbs fuiſſet, non minor futurus videretur: adeo ex unius hominis interitu deſerta omnia, horrida, & ingenti quaſi muta dolore erant. Senatus Regii Legati auctoritatem, Populus nobiliſſimi Viri liberalitatem, amorem uterque erga Rempublicam, fidemque magnam deſiderabat, mœrebatque vehementiſſime. Ibi tum Chovelenius tanto Civitatis luctu permotus in curiam ultro venit, Senatumque mœrentem multa Regis ſui nomine amantiſſime pollicitus recreavit, hortatuſque eſt, ne caderent animis, neu, Galliæ Rege ſuperſtite, quicquam cujuſquam caſu de Reipublicæ præſidio detractum arbitrarentur: maximum ſe quoque dolorem cœpiſſe ex interitu talis vel ducis, vel amici; tamen, privato compreſſo luctu, non potuiſſe non accedere ad eos conſolandi gratia, quorum & amicitiam a Rege ſuo plurimi fieri, & virtutem æſtimari intelligeret; e cujus

jus virtutis, regiæque benevolentiæ magnitudine, & vi peterent ipsi eam consolationem, quam nemo alius adhibere majorem posset, quæque forti, & constanti Senatu digna esset, susceptumque ex unius mortalis obitu mœrorem liberatæ patriæ gloria, Regisque maximi, atque optimi amicitia mitigarent. Confirmato Senatu, Concilium habetur Majus, in quo quum ex S. C. verba Dux fecisset, ut mortuo Bouflertio honos haberetur, de ea re ita Patres censuerunt: Quum Dux Bouflertius difficillimis temporibus missus a Rege Galliæ ad Rempublicam Legatus fuerit, in eaque legatione virtute, imperio, liberalitate maximo usui Reipublicæ fuerit, quum talis Vir in eadem legatione mortem obierit, Patribus placere, Ducis Bouflertii liberos, posterosque honoris ergo Cives esse nobiles Genuenses; itemque iis (quod honoris genus ante id tempus nemini tributum erat) Boufertiæ gentis insigni Reipublicæ insigne apponere licere. Ipsi Duci Bouflertio Senatus monumentum decreverat marmoreum cum inscriptione præclara, quæ virtutem illius, & gratum amplissimi ordinis animum declararet. Liberatæ Genuæ nuncium, qui sociis, amicisque Regibus apportarent, Marcellus Duratius in castra Regis Galliæ apud Belgas, Hieronymus Balbus in Hispaniam ex S. C. mittuntur, Laurentioque Imperiali, qui Neapoli erat, mandatum est, ut eam rem Carolo Regi renunciaret, per eosdemque Legatos gratiæ Regibus actæ sunt,

quod

quod in maximo discrimine Rempublicam adjuvissent.

Interim in locum Taubenii substitutus a Minensi Augustinus Ahumada castrorum Præfectus, & missus a Bellinsulano, qui, mortuo Bouflertio, toti exercitui præesset Marchio Bilsiensis Gallici equitatus Præfectus, Genuam pervenerant. At Bellinsulanus, & Minensis, cognito Austriacorum ab Urbe Genua discessu, de reliquo bello consultabant; magnaque inter eos extitit controversia. Nam Minensis pergendum porro, &, dum hostes trepidarent, arcem esse expugnandam Savonensem arbitrabatur, quod, ea expugnata, & confirmatis Genuensibus, facile omnia patere confideret, neque alia ratione in Cisalpinam Galliam bellum transferendum crederet, atque antea a Philippo Ferdinandi Regis Fr. translatum fuerat. Contra ea Bellinsulanus, & illius expeditionis infelicem detestabatur exitum, & per Cottias Alpes multo faciliore in Taurinos itinere perveniri posse censebat; habere se ab exploratoribus compertum ajebat, eam partem negligentius ab hoste servari, quod nimium natura loci confideret: itaque audendum potius, quod neglectum ab hoste facilem habeat victoriam, quam quod prævisum difficultatem augeat vincendi: refractis autem Alpium claustris, eo Regem Sardiniæ necessario descensurum, ut pacem ultro petat, eoque pacato, quod reliquum Austriacis in Italia præsidium? quam spem? Hæc propalam dicebat: illa tacita suberat cu-

ra, ut Equiti Bellinſulano Fratri, cujus ea res imperio permittebatur, occaſio daretur fortis alicujus, & memorabilis facinoris, dignuſque propterea Gallicæ militiæ Magiſterio haberetur apud Regem. Fratrem Bellinſulanus amabat unice, ejuſque in maximis rebus conſilio, atque auctoritate ſemper utebatur, & Magiſterii a Fratre honorem ſumme ſciebat expeti. His de cauſis quum ſuæ Bellinſulanus ſententiæ inſiſteret, neque a ſua Hiſpanus Minenſis removeri poſſet, ad ſuum quiſque Regem ejus negotii arbitrium rejecit. Quid Reges reſponderint, non ſane conſtat: in ſuo uterque certe imperator conſilio perſeveravit, & quadam fatali ducum diſſenſione eo quoque anno factum eſt, ut res jacerent Borboniorum, & Galli etiam cladem acciperent inſignem. Nam Bellinſulanus, arce permunita Albintemelii, in Nicæenſem agrum reduxerat exercitum, ut eas copias diſtineret, quas in Salutiis Sardiniæ Rex habebat, magnaque interim Equiti Fratri auxilia ſubmiſerat. Quibus ille fretus, alpibus ſuperatis Cottiis, ad munitiones, quas in Aſſietenſi colle Subalpini fecerant, converſo repente agmine, profectus eſt. Erant, inductis auxiliis Auſtriacorum, quæ pridie venerant, frequentiores hoſtes in munitionibus, omniaque ad repugnandum paraverant. Difficillimus erat, & munitiſſimus natura, manuque locus. Explorata hæc eadem Equiti Bellinſulano erant, ſed tantam habebat ſuarum rerum fiduciam, eaque efferebatur cupiditate vincendi, ut nihil virtuti ſuæ arduum,

duum, nihil difficile existimaret. Itaque in locum progredi iniquum non dubitat, commissoque prælio, in hostium munitiones irrumpere conatur, Gallique milites, quorum in primo impetu ferocitatis opinio est singularis, audacissime succedunt. Sed nullus virtuti locus relinquebatur in tanta loci iniquitate, & quum undique ex superiore loco telis, jaculisque obruerentur, acervatim cadebant milites, ducesque; fœdissimaque fiebat cædes. Ibi Eques Bellinsulanus, quum neque pugnantes hortando sustinere, neque fugientes castigando revocare posset, signifero cuidam signo detracto, in primam aciem processit, superatoque aggere, in ipsa hostium munitione summa signum defixit, videbaturque incredibili audacia prælium restituturus, nisi fortissime pugnans interfectus esset gloriosa magis morte occumbens, quam, quæ prudentem deceret ducem. Sic magna Gallorum parte interfecta, reliquis fugatis, atrocissimam nox pugnam diremit. Tanto Dux Bellinsulanus publico, privatoque luctu perculsus tum demum Minensis imperatoris Hispani accedebat sententiæ, ut Savonem versus exercitus adducerentur. At Minensis, quod primum, repugnante Bellinsulano, vehementer suaserat: post, concedente, perficere noluit amissam querens occasionem; ut esse contentionis, quam victoriæ cupidior videretur. Itaque non jam ut aliquid acquirerent, prælioque hostes lacesserent, sed ut repugnarent, &, locis mu-

nitis opportunis, Nicæensem imprimis agrum tenere possent, Borbonii cogitabant.

At Regi Sardiniæ multa de bello cogitanti, cognitis his rebus, subiit animum impetus in Galliam iterum Narbonensem invadendi. Itaque suis, Austriacorumque copiis contractis, & consilio cum Brounio communicato, qui Mediolano profectus Augustam per eos dies Taurinorum venerat, Austriacos Brigantium versus eruptionem facere jubet, ipse per Sturam vallem eodem erumpere conatur non spe quidem, quæ vana toties fuerat, Galliæ obtinendæ Narbonensis, sed consilio avertendi Bellinsulani ab agro Nicæensi, quem agrum Borboniorum præsidio nudatum Leutronius occuparet. Sed consilium quoque ejusmodi frustra Austriacis, Regique Sardiniæ fuit, qui, levibus aliquot factis præliis, rejecti, vexatique in Subalpinos, Galliamque Cisalpinam redierunt: & Bellinsulanus Austriacorum comminatione adeo permotus non est, ut cohortibus xx. deductis e Gallia Narbonensi, quam satis loci natura, appropinquansque prægelidus in Alpibus defendebat autumnus, suum in Italia exercitum augeret, Leutronioque depulso, qui arcem Albintemelii circumvallaverat, commeatum in arcem importavit. Quo facto, deductis paulo maturius, quam tempus anni postulabat, in Galliam Narbonensem in hiberna exercitibus, & cohortibus xxx. præsidio Nicææ, Villæque Francæ relictis, Bellinsulanus Lutetiam, Minensis Matritum revertitur, & Philippus Ferdinandi Regis Fr.

Ci-

Civaronem, Dux Mutinensium Venetias profectus est: multusque de pace sermo esse cœpit, quam Britanni, Gallique potissimum, colloquio primum Bredæ, deinde Aquisgrani habito, conciliare studebant.

At Genuæ Marchio Bissiensis, quum Urbem ex diuturna obsidione multarum rerum necesse esset inopià laborare, partis ex hostico prædis, eam recreare, & militum etiam, Ligurumque animos belli præmiis confirmare constituit. Itaque satis exploratis rebus, cum magna Ligurum, & Legionariorum manu Chovelenium, Belloesiumque bipartito in expeditionem misit. Chovelenius in Montemferratum, transgressus Apenninum, Belloesius ex Apuanis montibus descendens in Parmensem agrum irrumperet, uterque prædas ageret, &, si quid loci, & temporis opportunitate proficere posset, ne omitteret, imperatum est. Nadastium interim, qui circa Gavium, Octaviumque esse consueverat, & progredientem demorari Chovelenium poterat, Montecunius de exercitu Gallico Trib. mil. distineret. Montecunius modo procurrens, modo recedens Nadastium semper, itaque habuit occupatum, ut averteret hominem ab inferenda rebus mora, quæ gerebantur. At primo Belloesium Bissiensis, post Montelium, qui Belloesio successerat, effuse prædantium negligentia ab incœpto retraxit. Tantâ autem locorum ignorantià peccatum est, ut maxima militum pars divisa, interclusaque in potestatem agrestium veniret, qui vim, armis arreptis, prohibe-

bere cœperant. Chovelenium, quum primo impetu Saxellum, qui locus abest a Vulture oppido xx. millia passuum, captis præsidiariis nonnullis, reliquis in fugam conjectis, occupasset, & satis opima abacta præda, longius progrederetur, ejusmodi repente adortæ sunt tempestates, ut apud timidum vulgus prodigii loco haberentur. Nam plures de cælo tacti homines, evulsæ radicitus arbores, decussa tecta dicebantur, & continuatione imbrium adeo flumina creverant, ut omnino transiri non possent. Itaque intermisso itinere, infectaque re, Chovelenius quoque Genuam sese recipere coactus est.

Quæ quum essent acta, Genuam venit Dux Ricelienfis Gallici exercitus in Belgio Legatus, magnamque sui expectationem concitavit tanta Vir nobilitate, atque apud Regem gratia. Honorificentissime exceptus Senatum statim adiit, itaque eum est alloquutus, ut intelligerent Genuenses, incolumitatem eorum Galliæ Regi magnæ curæ esse, seseque ipse diceret, eandem erga eos fidem, diligentiamque laboraturum, ut præstaret, quam Bouflertius præstitisset, cui succedebat, & quem triste sui apud illos desiderium reliquisse cognoverat. Dux quum responderet, Galliæ Regi maximas, uti par erat, deinde etiam Legato gratias egit, quod permagnum sibi, Senatuique, & perhonorificum videbatur, potentissimo Regi tantæ curæ esse salutem Reipublicæ, ut Legatum ad eam mitteret clarissimum hominem, & quem sibi charissimum habe-

be-

beret. Quibus rebus confectis, ad belli cogitationem sese Ricelienſis recepit, eaque maxime loca, unde in Biſamnatem vallem Auſtriaci irruperant, recenti caſu admonitus diligentiſſime muniri juſſit.

Campus, quem Frigidum vocant, vicus eſt, qui a Monteferrato venientibus in finibus occurrit Reipublicæ Genuenſis. Campenſes, quum ſe prædæ Auſtriacorum comites eſſe mallent, quam ſocios Genuenſium in rebus adverſis, magno erant hoſtibus uſui ad exploranda itinera, prædamque tollendam. Hoc prius hoſtibus præſidium, quam quicquam tentaret, detrahere Ricelienſis conſtituit. Sed hunc ii locum egregie muniverant, duabuſque cohortibus tenebant, adeo ut, & natura montium, quibus undique continebatur, & opere, defenſorumque copia firmiſſimus haberetur. At Ricelienſis exploratoribus, perfugiſque credens, qui aliter renunciabant, in ſpem venerat potiundi loci. Itaque ſub adventum ſtatim ſuum mittit eo Hiſpanorum, Gallorumque millia vii. Ipſe ad Marcaroli (ita enim vocant) mapalia progreſſus Nadaſtium tenebat, quin ſubſidio ſuis iret. Sed quum primum ejus agmen conciſum, rejectumque ab Auſtriacis eſſet, & Nadaſtius, majoribus ex Ciſalpina Gallia coactis copiis, non minimum terrorem inferret, ſimul perſpecta melius ex propinquo loca ardua maxime viderentur, nullumque fere tormentis ad oppugnationem neceſſariis aditum darent, tum autem tempus anni ſubeſſet nimis in montibus horridum, atque aſperum,

non tanti esse duxit Ricelienlis vicum illum obtinere, ut in ipso imperii sui initio magnum aliquod detrimentum propter iniquitatem loci, temporisque exercitus acciperet. Itaque Campi Frigidi oppugnatione dimissa, Genuam revertitur.

Per idem ferme tempus gravissimo Genuensibus bello intentis nunciatum est, rates quasdam Ligusticas captas a Britannis esse ad Viaregium, qui locus Lucensium est, egregiusque ad tenendas anchoras habetur. Rates, quum Britannorum aphractos insequentes fugerent, partim in Viaregii sese stationem contulerunt, atque ad Turrim, quæ ibi est, refugerunt, partim cursu suo longius decessere, quam ut protegi a Turri possent. Navicularii autem Ligures ii, qui longius a Turri cursum tenuerant, in terram cum armis egressi, tametsi pauci essent, tamen Britannos arcebant jaculis, ratesque tutabantur, quas fluctuantes in salo reliquerant. Britanni, quum ipsi quoque in terram exissent ardore provecti pugnandi, repulsis naviculariis, duobusque desideratis classiariis, remulco rates abduxerunt. Illi interim, quos primo ad Turrim refugisse diximus, subsidio suis, quod natura fert, ire parabant. At prohibuit, qui ad custodiam Turris Lucensium nomine præerat. Nefas enim esse duxit sub oculis suis erumpere Ligures ad alienam perniciem, neque e Republica sua esse judicavit causam offensionis Britannis dari, qui potentiores erant, benigneque cum ea agere dicebantur. At Naviculari, ejusmodi pruden-

tiæ

tiæ rationes, qui non satis intelligerent, & defensionis se jure spoliatos quererentur, palam, adeoque graviterque Lucenses accusarunt, ut hominum querelas non negligendas videri Senatus Genuensis censeret. Lucenses quum Genuensium immutatam ex eo voluntatem accepissent, doluissentque, ne hac de causa quicquam de veteri illa detraheretur conjunctione, atque amicitia, quam summo semper studio coluerant, Joannem Sardinium miserunt civem suum, qui ea diceret, quæ ad controversiam componendam, placandosque Genuensium animos pertinere arbitraretur. Quibus Genuenses auditis, & Riceliensis commoti officio, qui Lucenses etiam, atque etiam Senatui commendaverat, vetustissimam non abrumpendam esse amicitiam existimarunt; quum præsertim Lucenses, nequid postea tale contingeret, Viaregium intentiore custodia, addita militum manu, servaturos se esse pollicerentur.

Nondum erat hyems confecta, & studio ardentes ulciscendi, nihil prioris obsidionis deterriti exitu ad oppugnandam reverti Genuam Austriaci constituerant. Quin etiam proximæ obsidionis eventu multis de rebus admonebantur, quæ facilem redderent insequentem, & tantæ erat terrestris, maritimæque opportunitatis Urbs Genua, ut, ea relicta, corruere omnis Italici belli ratio videretur. Primum erat eorum consilium Delphini, Lunæque portubus potiri. Quibus in potestatem redactis, adjuvantibusque Britannis, & ipsi omni-

mnibus abundarent rebus, & nullus toto mari Genuensibus egressus, nullaque propterea spes commeatus relinqueretur. Ipsa autem defensorum multitudo, quæ Borboniorum confluentibus auxiliis admodum creverat, si commeatus deficeret, famesque urgeret, exitio potius, quam præsidio futura Civitati videbatur. Itaque Brounio peritissimo imperatore, magnis circum Mutinam, Parmamque contractis copiis, magnis item constitutis horreis, in eam Ligustici litoris partem, quæ ad orientem spectat, per Apuanos montes quamprimum descendere cogitabant; confestimque descendissent, nisi eos gravis adhuc hyems, durissimæque propter jumentorum penuriam necessariarum rerum subvectiones detinuissent.

At Borbonii, & Genuenses, qui Petrum Franciscum Grimaldum summo cum imperio in eas partes miserant, aliosque ei nobiles adjunxerant, de Austriacorum consiliis certiores facti, permunitis Suburbanis; arcem Delphiniam; arcem item Marianam, quæ in promontorio quodam portus Lunensis posita unum a terra, eumque perangustum aditum habet, Spediam præterea, Erycem, ipsiusque Lunensis portus fauces, insulasque, multis effectis operibus, collocatisque tormentis instruxerant; Sergianensem provinciam confirmaverant; arcem, oppidum muniverant: Laventiam, Massam, Carrariam, quæ pacati erant, quietique Principis loca, jure belli occupaverant, ne facultatem darent hostibus propius accedendi: Apuanorum montium angustias obsederant,

vali-

valida ubique præsidia imposuerant: castra ad Segestiam Tigulliorum, Clavarumque fecerant, seque ad defensionem omnibus rebus paraverant. Interim Ricelienfis per Roccæpinium nonnullis terra, marique submissis centuriis, Subalpinos Varagini cccc. incuriosius agentes oppresserat; perque Marchionem Montium Gallici exercitus Decurionem magna cæde Nadastium Vulturem occupare conantem repulerat; ipse ad consilium magni momenti animum adjecerat, ut Savonem repentino incursu occuparet.

Urbs est ad mare Savo ab Genua longe occidentem versus millia passuum xxx., mœnibus, portuque succincta, duobus prominentibus lateribus introrsus retracto. Arcem habet inter occasum, & meridiem satis munitam, quæ tota ex saxo multis operibus extructa, præruptique scopuli dorso imposita fere undique alluitur mari, altàque ab urbe fossâ disjuncta, versatili rursus ponte adjungitur. Ultra Savonem ad occidentem millia circiter passuum iv. Vadum est Sabatium, stationque navibus, projecto monte, tutissima, in eaque anchoras jecerat Britannica classis. In portu Savonensi triremes erant ii. Sardiniæ Regis, erant in Urbe horrea constituta, erant arma, tela, commeatus omnis generis. Quæ omnia demere hostibus Ricelienfis cupiebat, videbatque, Savone recepta, neque Britannis locum esse in Vado consistendi, & omnem eam Borboniis, ac Genuensibus patere oram, quæ ad flumen Varum protenditur. Urbem, atque arcem

cem Comes Roccæsius tenebat præsidio non satis firmo Subalpinorum, paucissimique ex his excubare in arce consueverant. Savonenses Genuensi assueti imperio præsentes oderant dominos, & nonnullis erat acerbe nimis a Subalpinis militari licentia imperitatum. Præterea occulti a Savone nuncii Genuam venerant, qui cum multa alia, tum, qua Urbs ad mare vergit, locum esse in mœnibus aptum insidiis renunciaverant, propterea quod rimas murus egerat, laxarique adeo poterat, ut daret introeuntibus aditum, ibique forte hedera inter saxa coaluerat, quæ multis opaca frondibus locum, dolumque occuleret.

Quibus Ricceliensis cognitis, cohortes aliquot militum eo noctu mari mittere constituerat, quorum alii ab altera Urbis parte mœnia ex ascensu tentare simularent, Subalpinosque distinerent, alii per diductam muri partem silentio intromissi opportuna Urbis loca improviso occuparent. Neque dubitabat, quin repentino oppressis incursu Subalpinis, adjuvantibus, recipientibusque Savonensibus, inter tumultum captæ Urbis, nocturnæque concursationis fremitum arx ipsa vel dolo, vel errore aliquo in tanta defensorum paucitate capi facile posset. Itaque locum, tempus, signum constituit, nunciosque præmiis, pollicitationibusque incitatos Savonem remittit: ipse ut ab eo, quod parabat, in alterius rei curam converteret hostium animos, Segestam Tigulliorum proficiscitur, eoque velut conventuros paratos esse milites jubet. Multus erat in consilio

ſilio cum Ahumada, agebat, loquebatur omnia, quæ ad arcendos ab ea parte hoſtes pertinere videbantur. Cum repente magiſtris imperat navium, ut primo veſpere ſcaphas, atque onerarias Genuæ ad portum appulſas habeant, quot ſatis eſſe ad tria millia ferme armatorum tranſportanda exiſtiment; Ducique Aginnenſium, quem ſummæ rei præfecerat, quid fieri velit, oſtendit, imprimiſque monet, ut celeritatem adhibeat, noctuabunduſque Savonem perveniat. Chovelenium interim Vulturem præmiſerat, qui per cauſam inſpiciundi exercitus copias contraheret: ipſe eodem paulo poſt advolarat, & cum cohortibus vii., quas Chovelenius contraxerat, Savonem terra progrediebatur. Ahumada cum reliquo exercitu ſubſequebatur, relictis, qui montium juga tuerentur, hoſtemque levibus præliis laceſſendo detinerent. Summa erat maris tranquillitas, cælique, appropinquante nocte, ſerenitas. Sed quum eſſet ab iis, qui naves cogebant, paulo tardius res adminiſtrata, factum eſt magna totius negotii perturbatione, ut, qui prima vigilia milites ſolvere debebant, ſecunda naves conſcenderent. Interim, tempore commutato, fluctibus dubiis volvi cœptum eſt mare, imberque accidit navigantibus gravis. Serius his de cauſis confecto Dux Aginnenſium curſu, orta jam luce, Savonem conſpexit. Itaque, patefactis inſidiis, paululum regreſſus vi aperta propalam uti non dubitavit, atque inter Cellem, Albitiolamque exſcenſione facta (quæ loca non longe ab Savone

vone

vone absunt) Urbi colles imminentes occupat, horreisque, quæ ad Urbem erant, incensis, ipsam circumvallare Savonem instituit. At Riceliensis quum id, quod prudentissime cogitaverat, male cecidisse videret, & vim tentare periculosum duceret, Genuam sese recipere statuit, idemque uti faceret, Duci Aginnesium imperavit. Subalpini, quum in neminem quempiam insidiarum culpam conferre, cognita causa, possent, & tamen insidias factas suspicarentur, omnibus irati Savonensibus, eos, imperatis pecuniis, principibusque in custodiam conjectis, durissime habuerunt; ut, quoniam amari non poterant, quod multo est in imperio firmius, timerentur.

Erant interim in agro Nicæensi a Borboniis levia quædam, eaque secunda facta prælia, ad exercitumque Bellinsulanus, & Minensis redierant; Leutronius autem suis se locis tenebat. At Brounius, ut jam medium veris erat, in Tari valle contracto exercitu, omnibusque comparatis rebus, cognita locorum natura, minis, pollicitationibusque varie, frustraque tentatis Ligurum animis, triplici denique instructa acie, Genuensium finibus appropinquabat. Erant armatorum xl. circiter millia; numero præstabant; & tot exercitati præliis virtute valebant. Primo præerat agmini Maguirejus, per ipsosque Apuanos montes iter faciebat. Dextra montem Boccum occupare Andræasius, sinistra montem item Furtianum tenere Harchesius jussus erat. Alterum ducebat agmen Marchio Clericius, cui

man-

mandatum erat, uti eodem tempore Apua movens ad portum descenderet Lunensem: & quia ad omnia tuenda non satis esse Borbonii, & Genuenses poterant, quum tanta undique irrumperet hostium multitudo, & totius servandi causa partem negligere videbantur, erat Nadastio imperatum, ut per occasionem Ligusticas superaret fauces, in Porciferamque vallem decurreret. Maguirejus, primo aspectu perterritis Borboniis, Liguribusque, qui, relictis Apuanorum montium jugis, ad Oxarium montem subita se fuga receperunt, Baretium pervenit; indeque progressus, vastatis longe lateque, atque incensis omnibus, magnum ubique terrorem intulit. Marchio interim Clericius, oppido capto Bruneto, regionem, quæ trans flumen Boactum ad portum pertinet Lunensem, occupaverat omnem.

Eodem impetu per iniqua progressus loca, fugatis Hispanis, montem Boccum, & Margaritæ fanum tenuerat Andræasius, quem procedentem intollerantius, neque dubitantem, quin, si mare nancisceretur, omni Borbonios receptu intercluderet, Marchio primum Mojensis Hispani exercitus decurio tardavit, tum tanta in hostes vi irrupit, ut cccc. interfectis, victores terga vertere Austriacos cogeret, statimque Margaritæ fanum reciperet, & Boccum etiam, profligato Andræasio, recepisset, nisi mandatum ei repente ab Ahumada fuisset, uti ab insequendis, lacessendisque hostibus omnino abstineret. Certi enim de pace nuncii venerant. At Nadastius Ligusti-

sti-

ſticas improviſo fauces tranſgreſſus Petram Lavetiaram, Langenſiumque pagum occupaverat. Sed Genuenſium centuriæ aliquot quum ſubito apparuiſſent, impetu facto, celeriter Auſtriacos perturbaverunt, atque ita perterritos egerunt, ut non prius fuga deſiſterent quam in conſpectu Octavii vici trans Liguſticas fauces veniſſent. Ita vario pugnabatur marte, erantque omnium intenti animi in ejus belli caſum, in quo non ſolum Urbs Genua præmium erat futura victoris, ſed etiam de Italiæ, atque Europæ forſitan totius ſtatu decertatum fuiſſet. Tantæ dimicationem rei pacis repente ſuſtulit nuncius.

Habito, ut diximus, Aquiſgrani colloquio, inter Britannos, & Gallos conditiones convenere, quæ non ſunt, præterquam quæ ad Italiam pertinent, memoriæ nobis quidem prodendæ.

Batavi primum trepidi rerum ſuarum, reliqui deinde omnes auctoritati paruerunt eorum, qui neceſſitati parere videbantur. Nam Galli victores foris, inopia domi dicebantur premi maxime rei frumentariæ, maritimaque neglecta re, florentes in America provincias retinere non poſſe. Britanni, alieno impedito, commercium imminuerant ſuum, ſumptibuſque terra marique ingentibus factis, grande conflaverant æs alienum. Illud etiam ſatis conſtat cunctis Gallis, qui ut belli periculis non deterrentur, ita diuturnitate franguntur, proclives fuiſſe ad otium animos, atque ex tanto tandem bello patriæ delicias reſpicere

cœ-

cœpisse; & Regem ipsum in medio rerum cursu, rara inter regnantes moderatione, victoriæ temperasse suæ, ut communi saluti consuleret, eoque fuit ejus mirabilior moderatio, quo tot expugnatis in Belgio arcibus, perterritis Batavis, invicto exercitu, quæcumque alibi accepisset bello damna, sarcire facile posse videbatur, & peritissimi erant duces, qui victoria uti suaderent. At Rex quietam Europam, quam suam maluit, effecitque, ut in Aquisgranensi colloquio repentina firmaretur pax, neque iis revera utilis, qui fecerant, neque iis, qui acceperant, magis, quam probarant. Illi nihil in pace retinebant eorum, quæ maximis factis jacturis, aditisque periculis bello ceperant, his necessitas imposita pacis accipiendæ omnem repente abruperat melioris spem fortunæ. Accisæ quidem omnium fortunæ, non tamen placata odia, neque, quum vires redierint, sublatæ novarum caussæ dissensionum. Nisi forte hæc est rerum humanarum instabilis conditio, ut paci bellum, bello pax varietate perpetua succedat, & quam hominum consiliis rerum mutabilitatem assignamus, universæ potius naturæ, æternarumque nexui caussarum tribuenda est. Fuere ad Aquisgranense colloquium eorum Legati Principum adhibiti, qui bellum gesserant; Legatique fuerunt Britanniæ Regis Comes Sanduicensis, & Eques Robinsonius; Regis Galliæ Comes Sanseverinas Aragonius Placentinus, & Eques Portensis; Reginæ Ungariæ Comes Caunitius; Regis Hispaniæ Massonius Limensis;

ſis; Regis Sardiniæ Comes Cavannenſis; Batavorum Comes Bentinchius, aliique cum eo iv. Batavorum item Legati; Reipublicæ Genuenſis Franciſcus Auria, quem ex S. C. in Britanniam miſſum Lutetiæ remanſiſſe diximus; & Ducis Mutinenſium Comes Monſonius Legatus fuit. Fuere item alii ab aliis miſſi Principibus privati homines, qui, quid ageretur, explorarent, & tanquam ad aquas valetudinis cauſa veniſſent, Aquiſgrani obverſarentur. Rex Neapolis neminem publice miſit, ne repudiare quædam in eo concilio, aut approbare videretur, quæ noluiſſet. Poſtulabat Reginæ Ungariæ Legatus, ut ne Ducis Mutinenſium, Reique publicæ Genuenſis Legati ad id colloquium adhiberentur, propterea quod eorum eſſent Legati Principum, qui alieno bellaſſent nomine: itemque poſtulabat, ut ne Vormacienſis fœderis ſublata cauſa, vis maneret, in eoque tantum maneret, quod Reginæ oberat. Nam Placentia, quæ Philippo Hiſpani Regis Fr. contribuebatur, & Finario, quod Genuenſibus reſtituebatur, nominatim exceptis, de reliquis omnibus, quæ Reginæ Ungariæ fuiſſent, atque erant ex Vormacienſi fœdere Sardiniæ Regi attributa, eidem in Aquiſgranenſi colloquio diligenter cavebatur. Id quod contra omnem pactorum, conventorumque fieri rationem Caunitius dicebat. Etiam Pontifex Maximus per Canonicum quendam Leodienſem vetuſtum illud ſuum in Parmam, Placentiamque Urbes jus interponebat. Erat præ-

terea

terea inter Auriam, Monſoniumque de ſuorum Principum dignitate orta contentio, qui primus, qui ſecundus in exſcribendo fœdere nominari deberet. Sed non placuit pacem omnium, ut dicebatur, bono partam contentionibus nonnullorum perturbari; &, compoſitis Britannorum, Gallorumque rebus, reclamare cæteri, non repugnare poterant.

His in Aquiſgranenſi colloquio actis, aliud Nicææ colloquium indictum eſt, in quo de Italica firmanda pace agebatur: apudque Brounium, & Riceliensem, his rebus cognitis, itemque apud Bellinſulanum, Minenſem, & Leutronium conſtitutæ ſunt induciæ, quarum quoad exiſſet dies, perfectave eſſent ad pacem omnia, ſuis ſe quiſque locis contineret, neve alter alteri nocere poſſet. His ſtare induciis Britanni noluerunt, propterea quod pactas prius fuiſſe dicerent, quam Hiſpanos, & Genuenſes cum reliquis de Aquiſgranenſi pace conſenſiſſe ipſi cognoſcerent. Quod ubi a Britannis cognitum eſt, mare etiam a belli impetu ceſſavit, Britannicæque claſſis Præfectus Navarchum Genuam miſit, qui ejus rei nuncium Senatui perferret, &, quæ eſt Britannicæ gentis magnitudo animi, Genuenſium, tametſi hoſtes fuiſſent, tamen virtutem, & conſtantiam admirari Præfectum diceret.

Interea Genuæ, pace parta, gratiæ Superis agebantur, indicta ſupplicatione, utque ea ſupplicatio quotannis IV. Id. Decembr., quo die liberata ab Auſtriacis Urbs

fuerat, ad Mariæ in Oregina constitueretur, Senatus censuit: Conciliumque Majus extra ordinem coactum decrevit, uti Dux Ricelienfis, liberi, posterique ejus, atque agnati Cives essent nobiles Genuenses, iisque gentis suæ insigni insigne apponere Reipublicæ liceret, utque Duci Riceliensi ex S. C. statua in Curia poneretur ex marmore: itemque Ahumadam Hispaniensis exercitus Legatum, liberos, posterosque ejus Cives esse nobiles Genuenses, itemque Cives esse nobiles Genuenses septem, qui populares erant honesto loco nati, Joannem Baptistam Celesiam, Josephum Calvum, Josephum Asplanatum, Joannem Baptistam Carrogium, Georgium Turrellium, Josephum Lacomarsinum, & Augustinum Majolum, quod ii optime fuerant de Republica tempore difficillimo meriti, Patribus placere. Hi posteaquam conscripti Patres fuerunt, collatione gratuita (nam more receptum est, si quis inter Patres legatur, uti is aliquid Duci muneris offerat) simulacrum ex argento præclaro opere, & grandi pondere, quod Mariam virginali habitu, atque vestitu referebat, Brignolio Duci obtulerunt. Ille statim in publicum contulit, in maximoque Urbis Templo asservari, atque in supplicatione, quæ IV. Id. Decembr. haberetur, deferri quotannis jussit. At Rex Galliæ Riceliensem, quod egregiam Genuensi bello operam navasset, Magistrum creavit Gallicæ militiæ. Quo ille lætus honore, servatæque Urbis Genuæ gloria clarus in Galliam rediit.

In-

Indicto Nicææ colloquio convenerunt eo statim Brounius, Bellinsulanus, & Minensis, Regis autem Sardiniæ nomine Comes Breliensis, atque a Republica Genuensi missi Constantinus Pinellius, & Hieronymus Curlus, a Duceque Mutinensium Comes Sabbatinius, qui de Italica firmanda pace agerent iis conditionibus, quæ erant jam in Aquisgranensi colloquio constitutæ, quarum hæc erat summa: Omnia Sardiniæ Rex haberet, & quæ ante bellum habuisset, & quæ ex Vormaciensi fœdere recepisset, excepta nominatim Placentia, ejusque Urbis agro. Parma, Placentia, Guardistallum, earumque urbium agri Philippo Ferdinandi Hispani Regis Fr. attribuerentur, liberis, posterisque ejus virilis sexus; ea tamen lege, si Carolus Neapolis, & Siciliæ Rex Philippi, Ferdinandique Fr. in Hispaniam transeat, ut regnet in ea, & si Philippo Ferdinandi Hispani Regis Fr. liberi, posterique nulli fuerint virilis sexus, tum uti Placentia, ejusque urbis ager ad Regem Sardiniæ, Parma, Guardistallum, earumque urbium agri ad Reginam Ungariæ eodem jure redeant, quo jure cujusque eorum antea fuerint.

Dux Mutinensium, & Respublica Genuensis restituerentur in integrum: Quæ privatim a Genuensibus bona in regno Reginæ Ungariæ, quæ item a Duce Mutinensium possessa essent, Reginaque Ungariæ jure belli publicasset, ea dominis omnia recte redderentur: Dux Mutinensium, si pro iis pecuniam

accipere velit, æstimatione intra quadragesimum diem facta, accipiet. Hæc fere, quæ ad Italiam pertinerent, Aquisgrani constituta sunt, & Nicææ cautum est in colloquio, uti ad certam diem perficerentur, utque ad certam item diem ex iis locis, quæ quisque occupasset, præsidia deducerentur omnia; Captivi utrinque, facta permutatione, restituerentur, & nominatim nobiles Cives Genuenses, itemque obsides remitterentur. Sed quum de bonis a Regina Ungariæ publicatis controversia esset illata, caput illud Austriaci infirmare conabantur, aut malignius interpretando, aut in aliud tempus rei cognitionem differendo. Contra, ut statim decerneretur, & ab eo; quod erat in Aquisgranensi colloquio de hujusmodi bonis sanctum, ne recederetur, Genuenses, & Ducis Mutinensium Legatus postulabant. Qua de controversia Galliæ Rex certior factus, ne reliquo Belgio Borboniorum præsidia deducerentur, imperavit; & qui communis salutis causa pacem fecerat, sociorum, & fidei gratia bellum renovare non dubitabat, in idque Britanni, & Batavi consentire videbantur. Quibus Regina Ungariæ rebus permota ab hujusmodi etiam postulatione destitit, sedataque controversia, pax tandem omnium consensu firmata est.

Hunc habuit exitum Italicum bellum, de quo scribenti liceat, si vere, in extremo opere Italicorum Principum, qui bellum gesserunt, laudare virtutem. Nam Rex Neapolis,

lis, longe a finibus suis rejectis ad Velitras hostibus, egregii imperatoris, optimique Regis officio functus est. Sardiniæ Rex in dubiis, gravibusque rebus solertiæ, & fortitudinis laudem tulit. Dux Mutinensium insigni erga Borbonios fide, animique in adversis magnitudine inclaruit. Genuenses denique, recuperata, defensaque Patria, satis magnifice ostenderunt, vetus illud in Italia animorum robur sopiri interdum temporibus, extingui nunquam posse.

INDEX

GEOGRAPHICUS, ET MILITARIS,

LATINE, ET HETRUSCE.

ABdua	Adda fiume.
Academia Jesuitarum in Balba via	il Collegio de' Gesuiti in via Balbi.
Acies prima, secunda, extrema, vel novissima	la Vanguardia, il Centro, la Retroguardia.
Africa	l' Affrica.
Agmen primum	la Vanguardia.
medium	il centro dell' Esercito.
extremum, sive novissimum	la Retroguardia.
Agonia	la Gogna fiume.
Ala equitum	Reggimento di cavalleria.
Eugeniana	il Reggimento del Principe Eugenio.
Alæ pecunia publica	la cassa del reggimento.
Albingaunum	Albenga Città nello Stato di Genova.
Albintemelium	Ventimiglia Città.
Albitiola	Arbizola luogo nello Stato di Genova.
Allobroges	Savojardi.
Allobrogum Dux	il Duca di Savoja.
Alpes Cottiæ	le Alpi Cozie, che dividono il Piemonte dal Delfinato.
Altum	Alto terra negli Stati del Re di Sardegna.
Amiternum	S. Vittorino Città nell' Abruzzo.
Anagnia	Anagni Città nella Campagna di Roma.
Anien	Teverone fiume.
Antecursores	i Forieri.

An

Antias portus	porto d'Anzo nella Campagna di Roma.
Antipolis	Antibo Città.
Apbractum	Schiso.
Apua	Pontremoli Città.
Apuanus	di Pontremoli.
Apulia	la Puglia, Provincia del Regno di Napoli.
Aquæ Sextiæ	Aix Città in Provenza.
Aquæ Statellæ	Acqui Città.
Aquisgranensis	d'Aquisgrana.
Aquisgranum	Aquisgrana, Città in Germania.
in *Aranguesiano villa*	Aranguez villa del Re di Spagna.
Architectus militaris	Ingegnero.
Aretinus	d'Arezzo, Città in Toscana.
Arena, Arenarium suburbanum	S. Pier d'Arena sobborgo della Città di Genova.
Argentium	Argens fiume.
Aricinum nemus	il bosco di Genzano, o di Diana.
Ariminum	Rimini, Città.
Armamentarium	l'Armeria.
Armis intentis	con bajonetta in canna.
Arpinum	Arpino, Città in Terra di Lavoro.
Arx Mariana	la Fortezza di S. Maria sul Golfo della Spezza.
Casalensis	la Rocca di Casale.
Mediolanensis	il Castello di Milano.
Asculani	gli abitatori d'Ascoli, Città nella Marca d'Ancona.
Asculani	gli abitatori d'Ascoli di Satriano, Città nella Capitanata, Provincia del Regno di Napoli.
Assietensis collis	un colle nella Contea d'Asti.
Assisiensis Ager	il Territorio d'Assisi nello Stato Ecclesiastico.
Asta Pompeja	Asti Città.
Aternus	Pescara Città nell'Abruzzo.

Aul-

Aulla	l' Aulla Fortezza in Lunigiana.
Austriaci	la Casa d' Austria, e l'Esercito di essa Casa.
Balearis minor	Minorica Isola.
Balista, & Laetus nunc Peregrini montes	l'Alpe di S. Pellegrino.
Barcinona	Barcellona, Città di Spagna.
Barcinonensis	di Barcellona.
Barcinoneta vallis	la valle di Barcellonetta nel Piemonte.
Bardinetum	Bardineto terra.
Baretium	Varase terra dello Stato di Genova in Lunigiana.
Batavi	gli Olandesi, le Provincie unite.
Batienorum Augusta	Bassignana terra nella Lomellina.
Belgae	Fiamminghi.
Belgica legio Praetorianorum	il reggimento delle Guardie Vallone.
Belgium	le Fiandre, i Paesi bassi.
Biremis	Galeotta.
Boactus	Vara fiume in Lunigiana.
Bobium	Bobbio Città nel Ducato di Milano.
Boemia	la Boemia.
Boii	i Bavari, la Baviera.
Bolzanetum	Bolsanetto luogo presso Genova.
Bononia	Bologna, Città.
Bononiensis	di Bologna.
Bonus portus	Buomporto terra.
Borbonii	la Casa di Borbone, e l'Esercito di essa Casa.
Bormia	Bormia fiume.
Bormiensis vallis	Val di Bormia.
Boruscus	Prussiano.
Borussia	la Prussia, Regno.
Boscum	Boschi, terra nell' Alessandrino.

Bre-

Breda	Breda Città in Fiandra.
Brigantium	Briançon Città nel Delfinato.
Britanni	gl' Inglesi.
Britannia	l' Inghilterra.
minor	la Scozia.
Britannicum promontorium	Capo Brettone nella nuova Francia in America.
Britannicus	d' Inghilterra.
Brixellum	Bersello, terra nel Ducato di Reggio.
Brunetum	Brugnato, terra dello Stato di Genova in Lunigiana.
Brutii	i Calabresi, la Calabria.
ad *Burgum fortem*	a Borgoforte nel Mantovano.
Butunti	gli abitatori di Bitonto Città, Bitontini.
C*aduceum*	Caducèo, Bandiera bianca.
Cæsena	Cesena, Città.
Cajeta	Gaeta, Città.
Calones	coloro che assistono al Bagaglio, Bagaglioni, Saccardi.
Camertes	gli abitatori di Camerino, Città.
Campania	Terra di Lavoro, Provincia del Regno di Napoli.
Campus frigidus	Campofreddo, terra nello Stato di Genova.
Campus Sanctus	Camposanto luogo nel territorio di Bologna.
Capheronia	Garfagnana.
Caprauna	Caprauna terra.
Capriata	Capriata terra.
Capua	Capua, Città.
Carinianus	Carignano luogo nella Città di Genova.
Carosium	Carosio terra.
Carraria	Carrara Città nel Ducato di Massa in Lunigiana.
Casale	Casale di Monferrato Città.

in

in Caſſinatem	verſo monte Caſſino nel Regno di Napoli.
Caſtellum	Baſtione, Forte, Fortino.
Sangri	Caſtel di Sangro, Città.
Caſtra	gli alloggiamenti, il campo.
Caſtrum novum	Caſtelnuovo, terra in Garfagnana.
Caſtrum novum	Caſtelnuovo, terra nello Stato di Genova.
Caſtrum novum	Caſtelnuovo nel Territorio di Tortona.
Caſtrum vetus	Caſtelvecchio, terra nello Stato di Genova.
Catholica	Cattolica terra.
Ceba	Ceva Città con Rocca nel Piemonte.
Celanenſis ager	la Contea di Celano nel Regno di Napoli.
Celles	Celle, luogo nello Stato di Genova.
Cenopha	Canobbio, terra nella Contea d' Anghiera.
Centum cellæ	Civitavecchia Città con porto di Mare.
Centuria	Compagnia sì di fanti, che di cavalli.
Centuriatus	grado di Capitano.
Centurio	Capitano.
Cibaria	le Vettovaglie.
Ciſanum	Ciſano, luogo nello Stato di Genova.
Civaron	Chamberì Città.
Clavarum	Chiavari nello Stato di Genova.
Claverinum	il diſtretto di Chiavari nello Stato di Genova.
Codoneum	Codogno terra.
Cohors	Battaglione.
Collis qui ab amœno proſpectu nomen accepit	il colle di Belvedere preſſo Genova.
Claſſiarius	Marinajo.
Commeatus	Provviſione.

Con-

Congiarium	Donativo, Rinfrefco:
Copiæ	la Truppa, le Soldatesche.
Cornilianum	Corrigliano terra.
Cosarum ora	la Spiaggia d'Alfidonia in Tofcana.
Cretum	Creto, luogo nello Stato di Genova.
Cruftulus	Crostolo fiume.
Cumanum littus	la fpiaggia di Cuma nel Regno di Napoli in Terra di Lavoro.
Cuneum	Cuneo Fortezza nel Piemonte.
Cuneus	Puntone, forta d' ordinanza di foldati.
Cuniculus	Mina.
Curia	il Palazzo Pubblico.
Cynthianum	Genzano terra nella Campagna di Roma.
Cuftodes Corporis	le Guardie del Corpo.
D*Ecurio*	Sergente, e talvolta Comandante di Brigata.
Dertona	Tortona Città.
Dertonenfis ager	il Territorio di Tortona.
Dracones	Dragoni, Cavalleria.
Duces minores	i Baffi Uffiziali.
Ductores primi	i Generali.
E*Quitatus*	la Cavalleria.
Equites Hierofolymitani	i Cavalieri di Malta.
Ungarici	Ufferi.
levis armaturæ	Cavalleggieri.
Regii	le Guardie del Re.
Eretum	Monte ritondo terra.
Ericius	la Saracinefca.
Eryce	Lerice, terra ful Golfo della Spezza.
Eugenius	il Principe Eugenio di Savoja.
Excubiæ	Sentinelle.

Fa-

Falerii Faliscorum	Civita Castellana.
Fanum Coronatæ	la Coronata, luogo presso Genova.
D. Columbani	S. Colombano Rocca nel Piemonte.
Margaritæ	S. Margherita, terra dello Stato di Genova in Lunigiana.
Mariæ quam Hortensem appellant	la Madonna degli Orti, luogo presso Vellerri.
Mariæ montanæ	la Madonna del Monte, luogo presso Genova.
Misericordiæ	la Misericordia, luogo presso Genova.
Raymundi	S. Raimondo presso Piacenza.
Fauces Rattorum	la bocca de' Ratti, luogo nello Stato di Genova.
Feginum	Fegino, luogo nelle vicinanze di Genova.
Feritor	il Bisagno fiume.
Finarienses	gli Abitatori del Finale.
Finarium	Finale Città dello Stato di Genova.
Flaminia	la Romagna.
Flaminia via	la via Flaminia, la quale da Roma porta a Rimini.
Flandri	Fiamminghi, Valloni.
Florentini	i Fiorentini.
Florentiola	Fiorenzuola villaggio nel territorio di Bussetto.
Fons Paganica	Paganica, Fontana presso a Velletri.
Forum Cornelii	Imola Città.
Flaminii	Foligno Città.
Fulvii	Valenza Città della Lomellina.
Juntuntorum	Pizighettone Fortezza nel Ducato di Milano.
Vocontium	Canes Città in Provenza.
Forcepe	il Forte della Tenaglia presso Genova.

Fre-

Fregellani	gli abitatori di Pontecorvo villaggio.
Frigariolum	Figarolo terra.
Fruſino	Fraſelone terra nella Campagna di Roma.
GAbellus	Secchia fiume.
Gaditanum fretum	lo Stretto di Gibilterra.
Gallia	la Francia, Regno.
Ciſalpina, ſive citerior	la Lombardia.
Narbonenſis	la Provenza.
Nova	la nuova Francia in America.
Gallicus	di Francia.
Gallus	Franceſe.
Garofalorum turris	la torre di Garofaldo.
Gavium	Gavi terra.
Gemini Fratres	li due Fratelli, montagna.
Genavenſis Civitas	la Città di Ginevra.
Genua	Genova Città e Rep.
Genuenſis	di Genova.
Georgii, ſive Georgiana menſa	il Banco di S. Giorgio di Genova.
Georgianæ menſæ tuendæ Octoviri	i Protettori del Banco di S. Giorgio.
Germani	Tedeſchi.
Germania	l'Alemagna.
Germanicus	de' Tedeſchi.
Gregale Sagulum	Uniforme da Soldato.
Gregarii milites	gente collettizia.
Guardiſtallum	Guaſtalla.
Gula ſicca	Golaſecca luogo.
HElvetii Prætoriani	le Guardie Svizzere.
Hernici	Abitatori d'una parte della Campagna di Roma verſo il Regno di Napoli, dove ſono le Città d'Anagni, Alatri, Veroli &c.
Hetruria	la Toſcana.
Hiberna	Quartieri d'inverno.

Hiber-

Hibernicorum manus	la Truppa degl' Irlandesi.
Hispani	gli Spagnuoli.
Hispania	la Spagna.
Hispanicus	di Spagna.
Hispaniensis	degli Spagnuoli.
ex *Hostico præda*	Prede fatte nei Paese nemico.
HS. quingenties	un milione e dugencinquantamila Scudi Romani.
HS. trecenties	settecencinquantamila Sc.
HS. sexcenties	un milione e cinquecentomila Sc.
HS. Duodecies	trentamila Sc.
HS. Tricies	settantacinquemila Sc.
HS. millies octingenties	quattro milioni e mezzo di Sc.
Hungaria	l' Ungheria.
Hungarus. V. Equites.	
J*Aculum*	palla da cannone, o da moschetto.
Ignium missilium omne genus	bombe, granate, palle infuocate &c.
Illyrici Pedites	Panduri.
Ilva	l' Elba Isola.
Impedimenta Exercitus	il Bagaglio.
Imperator exercitus	Generalissimo, Comandante generale.
Imperatorium	di Generalissimo.
Inter tela, jaculaque	fra le cannonate, e le moschettate.
Ingauni	gli Abitatori d' Albenga Città dello Stato di Genova.
Instructor exercitus	Quartiermastro generale, Commissario generale dell' esercito.
Insubres	i Popoli del Ducato di Milano.
Interamnates	gli Abitatori di Terni Città.
Interamnensis	di Teramo.
Interamnia	Teramo Città dell' Abruzzo.
Iria amnis	la Scrivia fiume.

Iria

Iria oppidum	Voghera terra nel Pavese.
Italia	l' Italia.
Italicus	d' Italia.
Italus	Italiano.
Julianus pagus	S. Giuliano terra.
LAbicanus ager	il Ducato di Valmontone.
Labicum	Valmontone terra.
Labron	Livorno Città con Porto di Mare in Toscana.
Lacus Trivia	Lago di Nemi, o di Genzano.
Lacus Verbanus	Lago Maggiore.
Lambrus	Lambro fiume.
Langarum regio	il Paese delle Langhe.
Langenses, sive Langensium pagus	Langasco terra nello Stato di Genova.
Lanuvinum oppidum	Civita Lavinia nella Campagna di Roma.
Lavaniola	Lavagnola luogo nello Stato di Genova.
Laventia	Lavenza terra nel Ducato di Massa in Lunigiana.
Lavinium	Luvino terra nella Contea d' Anghiera.
Laumellinus ager	la Lomellina.
Laus Pompeja	Lodi Città.
Lazarianum	la Casa del Cardinale Alberoni presso Piacenza.
Legatus exercitus, sive de exercitu	Generale.
Legio	Reggimento d' infanteria.
Legionarius	Soldato di reggimento d' infanteria.
Lemuris	Lemo fiume.
Leodiensis	di Liegi, Città in Germania.
Lerina Insula	l' Isola d' Sant' Onorato contro la Provenza.
Leucopetra	Capo dell' Arme, Promontorio della Calabria al Faro.

Liguria	lo Stato della Rep. di Genova.
Ligures	gli abitatori dello Stato della Rep. di Genova.
Liguſticæ fauces	la Bocchetta montagna.
Liguſticum mare	Mare di Genova.
Liris	Garigliano fiume.
Lixæ	quelli che hanno cura del Bagaglio, Bagaglioni, Saccardi.
Loanum	Loano terra.
Londinum	Londra Città.
Lorica	Baſtione, Baluardo.
Loricis adjectis	prodotte le Trincèe.
Lotharingia	la Lorena.
Luca	Lucca Città, e Repubblica.
Lucenſium fines	i confini dello Stato di Lucca.
Luceria	Luzzara Caſtello nel Ducato di Mantova.
Lucus Sodalium Camaldulenſium	Camaldoli luogo preſſo Genova.
Lunenſis ager	la Lunigiana.
Lunenſis portus	il golfo della Spezza.
Lupa amara	Lupamara luogo nello Stato di Genova.
Lutetia	Parigi Città.
M*Acerata*	Macerata Città.
Machinæ caſtrenſes	l' artiglieria da Campagna.
Machinæ obſidionales	l' artiglieria groſſa.
Macra	Magra fiume.
Magonis portus	Porto Maone nell' Iſola di Minorica.
Magiſter Gallicæ militiæ	Mareſciallo di Francia.
Mamertinus	di Meſſina, Meſſineſe.
Mapalia Marcaroli	le capanne di Marcarolo.
Margaropolis	S. Margherita luogo preſſo Genova.
Marianum. V. Suburbanum.	

Mar-

Marrucini	Popoli del Regno di Napoli, che abitano una parte d'Abruzzo, dove ſono le Città di Chieti, Peſcara &c.
Marte ancipiti	con incerto evento.
Marte vario	con varia ſorte.
Martis anceps fortuna	il dubbioſo eſito della Guerra.
Maſonia arx	il caſtello di Maſone.
Maſſenſis ager	il Ducato di Maſſa in Lunigiana.
Maſſilia	Marſilia Città.
Maxentia	Luogo preſſo a Milano.
Mediolanenſis	di Milano.
Mediolanum	Milano Città.
Mela Pons	il Ponte Mela.
Melignanum	Marignano terra.
Milites Tumultuarii	Bande, Milizie Paeſane.
Melita	Malta Iſola.
Meſſana	Meſſina Città.
Mirandula	Mirandola fortezza.
Monaeci portus	il porto di Monaco.
Mons Adamas	il Diamante montagna.
Artemiſius	Monte Artemiſio nella campagna di Roma.
Boccus	Montagna di Bocco.
Calvus	Moncalvo terra.
Caſtellum	Monte Caſtello.
clarus	Monte chiaro luogo vicino a Piacenza.
cornarius	la coſtiera de' Bozzi luogo nello Stato di Genova.
faſcenſis	il Monte delle faſcie preſſo Genova.
ferratus	Monferrato.
Flacconius	Monte di Fiancone.
Furtianus	la montagna di Furta.
grotius	Mergozzo terra nella Contea d' Anghiera.
Letus. V. Baliſta.	
Oxarius	la montagna d' Ozario.

Montalus	Montalo, luogo presso Modena.
Montani pedites ferentarii	Micheletti.
Montes D. Peregrini. V. Balista.	
Montes Eugubini	i Monti di Gubbio.
Montignosii oppidum	Montignoso terra nello Stato di Lucca.
Montis Albani arx	la fortezza di Mont' Albano.
Alphonsi arx	la fortezza di Mont' Alfonso.
Montogium	Montoggio luogo nello Stato di Genova.
Mortarium aeneum ad ollas jaciendas incendiarias	Mortajo da bombe.
Munimentum	Fortificazione.
Munitio Benigni	il Forte di S. Benigno.
Munitio Nazariana	la batteria a' SS. Nazzaro, e Celso presso Genova.
Mutina	Modena Città.
Mutinensis	di Modena.
Myoparo	Fregata.
N *Arnienses*	gli abitatori di Narni Città.
Navale	l' Arsenale.
Navarcus	Capitano di Nave.
Naves onerariae, actuariae	Bastimenti da carico, da trasporto.
Neapolis	Napoli Città, e Regno.
Neapolitanus	di Napoli, Napolitano.
Nemorense oppidum	Nemi terra nella Campagna di Roma.
Nervium	Nervi luogo vicino a Genova.
Nicaea	Nizza Città.
Nicaensis	di Nizza.
Novae	Novi Città.
Novaria	Novara Città.
Novariensis ager	il Territorio di Novara.
Nuceria	Nocera Città.
Nura	Nura fiume.

Occi-

Occimianum	Ocimiano nel Monferrato.
Occitania	la Linguadoca.
Ocelum	Exilles Rocca nel Piemonte.
Octavium	Ottaggio terra.
Olbia	Hyeres Città.
Olegium	Oleggio terra.
Olla incendiaria	Bomba.
Ollius	Oglio fiume.
Onelia	Oneglia Città.
Oneliensis tractus	il territorio d'Oneglia.
Ora circa Oxibios	la costa di Villafranca.
Oranum	Orano Fortezza.
Ordinem ducebat in legione Belgarum Pratorianorum	era Capitano nel reggimento delle Guardie Vallone.
Ordines primi	gli Uffiziali maggiori.
Ostia Tyberina	Ostia Città nella Campagna di Roma.
Oxibiorum portus	il porto di Villafranca.
Padus	Pò fiume.
Pannonicum bellum	la guerra d'Ungheria.
Pares	Premia terra nella Contea d'Anghiera.
Parmensis	di Parma.
Parpanesum	Parpaneso terra.
Peditatus	l'Infanteria.
Pedites ferentarii. V. Montani.	
Perusia	Perugia Città.
Petra lavetiara	Pietra lavezzara luogo nello Stato di Genova.
Pharus	la Lanterna.
Phaseli	Barchette.
Picentes	gli abitatori della Marca d'Ancona, Marchigiani.
Picenum	la Marca d'Ancona.
Pinus	Pino luogo presso Genova.
Pisanus	di Pisa.
Pisaurum	Pesaro Città.
Placentia	Piacenza Città.

Planasia insula	l'Isola di S. Margherita contro la Provenza.
Plumbinum	Piombino Città.
Pluviera	Piovera nell' Alessandrino.
Pons decimus	Pontedecimo.
Pons Milvius	Ponte molle.
Porcifera vallis	la Polzevera.
Portus Delphini	Portofino nello Stato di Genova.
Præfecti copiarum	gli Uffiziali maggiori dell' esercito.
Præfecti impedimenta	l' equipaggio del Colonnello.
Præfectus arcis	il Comandante della Fortezza
castrorum	Marefciallo di campo.
classis	Ammiraglio.
domus	Maggiordomo.
fabrûm	Generale d' artiglieria.
legionis, sive equitum alæ	Colonnello di fanteria, o di cavalleria.
Præneste	Palestrina Città.
Præsidiarii	i Soldati del Presidio, la Guarnigione.
Præsidium	la Guarnigione, il Presidio.
Prætoriani	le Guardie.
Prætorium	il Quartier generale, ovvero il Palazzo pubblico.
Predosa	Predo terra.
Privernas tractus	il territorio di Piperno luogo nella Camp. di Roma.
Propugnaculum	Fortino, Batteria.
Protribunus Milit.	Luogotenente Colonnello.
Prusiacum bellum	la guerra di Prussia.
Purpurati	Ministri di Corte.
Pyrochitrophori	Soldati che gettano granate, Granatieri.
QUæstor exercitus	Commissario generale, Proveditor generale dell' esercito.
Quetium	Quezzi luogo presso Genova.
Quinqueremes	Galee.

Ra

R*Apallus*	Rapallo, Terra nello Stato di Genova.
Reccum	Recco luogo vicino a Genova.
Receptus	la Ritirata.
Regium	Rezzo terra.
Remopolis	San Remo Città nello Stato di Genova.
Remulcum	Rimurchio.
Rheatinum iter	La via di Rieti Città dell' Umbria.
Rhegiolum	Rodigo terra nel Ducato di Mantova.
Rhegium Lepidi	Reggio di Modena Città.
Ripalta	Rivalta di Bormida terra nel Monferrato.
Ripalta	Rivalta terra nel Piacentino.
Rivaro	Rivone nell' Aleſſandrino.
Romanus ager	La Campagna di Roma.
Roncilio	Ronciglione Città.
Rubiera	Rubiera terra.
Ruſcino	Roſſiglione terra.
S*Accarellum*	Zuccarello terra.
Salaeus	Sala, Terra preſſo a Baſſignana.
in *Salutiis*	nel Marcheſato di Saluzzo.
Samnium	la Contea di Moliſe nell' Abruzzo.
Sangermanum	S. Germano, Città.
Sanguinaria	Sanguinara terra.
Sardinia	la Sardegna.
Sardinienſis	di Sardegna.
Sarmaticus	di Polonia.
Savo	Savona Città.
Saxellum	Saſſello terra nello Stato di Genova.
Scapha	Battello.
Scoffara	Scoffara luogo nello Stato di Genova.

Bb 4 *Sco-*

Scoti	gli Scozzesi.
Scultenna	Panaro fiume.
Scyticus ensis	la sciabla.
Segesta Tigulliorum	Sestri di Levante terra nello Stato di Genova.
Senensis	di Siena.
Sergianiolum	Sarzanello Fortezza.
Sergianum	Sarzana Città.
Serra Bavarorum	la Serra de' Bavari luogo nello Stato di Genova.
Serravallis	Serravalle Città nel territorio di Tortona.
Sersellus	Sersello terra nell' Alessandrino.
Servator	San Salvadore terra.
Sessites	Sessia fiume.
Sextum	Sestri di Ponente terra nello Stato di Genova.
Sextum	Sesto terra nel Ducato di Milano.
Sicilia	la Sicilia.
Siciliensis	di Sicilia.
Signa militaria	le bandiere.
Signifer	Alfiere.
Silesia	la Slesia.
Soranus ager	il Ducato di Sora.
Spedia	la Spezza, o Spezie terra.
Spero	lo Sperone fortificazione presso Genova.
Spilimbergium	Spilimberto, Terra nel Modenese.
Spina	la Spina, Montagna presso Velletri.
Spoletum	Spoleti, Città.
Stajenum	Staglieno luogo presso Genova.
Stationes	Quartieri.
Stoecades insulæ	le Isole d' Hieres.
Stratellia	Stradella nel Territorio di Voghera.
Stuartianæ partes	i Partigiani della Casa Stuarda.

Stu-

Stura Vallis	la Valle del Fiume Stura.
Sturla	Sturla torrente.
Subalpini	Piemontesi.
Suburbanum Albarense	San Martino d'Albaro luogo vicino a Genova.
C. Marii VII. Cons.	Villa di Mario luogo vicino a Roma.
Patricium	Villa Patrizj, presso Roma.
Supplementum	le reclute.
Syracusæ	Siracusa Città.
Syrmoneta	Sermoneta terra.
T*Aleacotiense iter*	la via di Tagliacozzo terra in Abruzzo.
Tarraconensis	di Tarragona, Città di Spagna.
Tarus	Taro, fiume.
Taurini	Piemontesi.
Taurinorum Augusta	Torino Città.
Teate	Chieti Città.
Telo	Tolone Città.
Telum	palla da Cannone, o da moschetto, e ancora la stessa cannonata, o moschettata.
Tentoria	Padiglioni, Baracche.
Ticinum	Pavia Città.
Ticinus	Tesino fiume.
Tidonius	il Tidone fiume.
Tormenta	le artiglierie.
Tormenta ad oppugnationem	le artiglierie da battere la Piazza.
Tormenta, atque impedimenta	le artiglierie, e i bagaglj.
Tormentis diffractis	avendo inchiodato i Cannoni.
Transalpini	gli Oltramontani.
Trebia	Trebbia fiume.
Tribunus Milit.	Colonnello.
Tribuni Milit. primique ordines	gli Uffiziali maggiori dell' esercito.
Tridinum	Trino terra nel Monferrato.
Tropæa	Torbia fiume.
Truentus	Tronto fiume.

Tur.

Turma	Compagnia di Cavalli, ſquadrone di Cavalleria.
Turracia	la Torraccia luogo preſſo Genova.
Turrilia	la Torriglia luogo nello Stato di Genova.
Turris Mulaćliana	Torre Mulazzana.
Tuſculanum	il territorio di Fraſcati nella Campagna di Roma.
Tyberis	il Tevere fiume.
Tyro	Soldato novellino.
V *Adum Sabatium*	Vado Fortezza nello Stato di Genova.
Vallis Biſamnatis	Val di Biſagno.
Albana	il Diſtretto d' Albano preſſo Roma.
Valmontium	Valmonte.
Varaginum	Varaggine terra nello Stato di Genova.
Varus	il Varo fiume.
Veliternus	di Velletri.
Velites ex Tranſilvania, Croatia, Illiricoque omni	Croati, Panduri, Varadini &c.
Velitræ	Velletri Città nella Campagna di Roma.
Veneti	Viniziani.
Venafrum	Venafro Città.
Verulæ	Veroli Città nella Campagna di Roma.
Veſtini	Popoli che abitano una parte d' Abruzzo, dove ſono le Città d' Aquila, di Penna &c.
Vexillarius Hungaricorum Equitum	un Cornetta d' Uſſeri.
Viaregium	Viareggio terra nello Stato di Lucca.
Viennenſis	di Vienna in Auſtria.
Vighitiolum	Viguzzolo nel Tortoneſe.
Vigiles	le Sentinelle.

Vigi-

Vigilia prima	le prime tre ore della sera.
de quarta vigilia	fra le dieci, e le dodici ore d' Italia.
Viglebanensis	il Vigevanasco.
Villa Radiana	la villa de' Raggi presso Genova.
Franca	Villa Franca.
Viterbium	Viterbo Città.
Umbri	gli Abitatori dell'Umbria.
Umbria	Umbria, o Ducato di Spoleti, Provincia dello Stato Ecclesiastico.
Vormacia	Worms Citta della Germania.
Urbevetanus ager	il Territorio d' Orvieto.
Urbs flumen	l' Orba fiume.
Vultur	Voltri Terra.
Vulturnus	Voltorno fiume.
Z*Erbinus*	il Zerbino Fortificazione presso Genova.

IN-

INDEX LOCUPLETISSIMUS
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Numerus paginam indicat.

A

Al-

Gal-

lior

lior ſemper conditio pugnandi. 41. Magis in dies appropinquant Caſtris hoſtium. 42. Eos in maximas difficultates coniiciunt. *Ibid.* Turbatis clade Piſtaluccii ordinibus totis Caſtris trepidant. 44. Calones, Lixæ, & turba puerorum ac mulierum Romam procurrunt, & ſpeciem fugæ exhibent. 45. Potuiſſe eo die deleri ipſi haud negant ſi hoſtes perterritis inſtitiſſent. *Ibid.* Sed inopinato eorum receptu nacti ſpatium ſe ſe colligendi Spinam montem recuperant, & diligenter muniunt. *Ibid.* Poſtero die cætera loca amiſſa recuperare tentantes magno cum detrimento repelluntur. 46. Dextro Regiorum cornu inopinata irruptione fuſo fugatoque in oppidum perrumpunt, magnamque illius partem diripiunt, cædibus atque incendiis vaſtant. 58. Poſtquam Artemiſium montem occupaverant a Regiis prælio reſtituto circumventi repelluntur, & in fugam coniiciuntur multis amiſſis. 61. Octingenti ferme equites pediteſque ad Macram duce Gorano extremum Hiſpanorum agmen in tranſitu pontis laceſſunt. 106. Ne pontem interſcindant prohibere hoſtes fruſtra adnituntur. 107. Bello Boruſco impliciti auxilia ſatis valida ad bellum Italicum ſubmittere prohibentur. 159. Ob Pluvieram expugnatam, Ponteſque ab hoſtibus Pado impoſitos, atque Vievillæi expeditionem ſoliciti ſex cohortes Mantuæ ſubſidio mittunt, & ſe Caſtris continent. 180. Undique ſe ſe recipientibus Borboniis inſtant. 237. Stationes nonnullas nec opinantium Hiſpanorum in dextra Padi ripa opprimunt. 239.

Lu-

299. Qui littus ad orientem folem præfidiis obtinebant difcedunt, & ad Sergianiolum occupandum contendunt. 300. Sed a Petralba ei arci Præfecto prohibiti, quum nulla effet effugii fpes, datis obfidibus, & abeundi poteftate facta ab omni faceffunt Liguria. *Ibid.* Occupato Coronatæ fano, Arenario fuburbano fuccedunt. 330. Arcem Mafoniam ac Præfidium capiunt. 340. Nondum hyeme confecta urbem Genuam obfidere iterum parant. 361. Delphini, Lunæque portubus potiri ante omnia ftatuunt, ut nulla Genuenfibus, auxiliifque Borboniorum fpes commeatus relinquatur. 362. Jam per Apuanos montes in Orientalem Liguftici litoris partem defcendere properantes hyeme adhuc gravi, & jumentorum penurià prohibentur. *Ibid.*

B

BAlbus (Hieronymus) miffis legionariis LXXX. cum voluntariorum manu Radianam villam ab Auftriacis captam, & aggere munitam recipit. 314. Præfidiarii circiter CC. projectis armis fe dedunt. *Ibid.*

Baleftrinas Marchio in Ligures Ingaunos jubetur irrumpere a Sardiniæ Rege. 260. Cum legionariis Cohortibus III. & majore tumultuariorum militum manu profectus Cifanum vi capit, ac diripit. *Ibid.* Qui Caftrumvetus obfiderent mittit. *Ibid.* Saccarellum oppugnat, & in deditionem tandem recipit. *Ibid. & feq.* Contra fidem loco prædæ habet. 262. A Genuenfibus in arcem compellitur, & obfidetur.

VII.

VII. Adolescentulus ejus libros nunquam dimittebat è manibus. *Ibid.* Pisas se contulit. VIII. In philosophia confugit ad Academicos. IX. Novitatis amatores ineptos irridebat. X. Præceptores habuit in civili jure Olmetam, in græcis latinisque Politum, in Mathematicis Grandium. *Ibid.* Domum revocatur. XI. Romam petit. *Ibid.* Orationes duas edidit. *Ibid.* De Inconstantia Carmen scribit. XII. Patavium pergit. *Ibid.* In Dominici Lazzarinii morte edidit Elegias duas. XIII. Commentarium scripsit de moribus studiisque Lazari Bonamici. *Ibid.* In Historia cognoscenda præcipuè versabatur. XIV. Mediocris hominés ingenii respuebat. *Ibid.* Plurimorum in se odium concitavit. XV. Nonnullos amicitià sibi devinxit. *Ibid.* In primis Cajetanum Fortium. *Ibid.* Gloriæ cupidine ad bellicas laudes abstractus. *Ibid.* Caroli Borbonii Regis Castra sequutus. *Ibid.* Voluntarius equo meret. *Ibid.* Inter Custodes Corporis Regii relatus. XVI. Edidit Commentarium de Rebus ad Velitras Gestis. *Ibid.* Orationes habuit. *Ibid. & seq.* Præfectus Fabrùm, & Quæstor appellatus. XVII. De Bello Italico tres Libros in lucem emittit. XIX. Magnâ molestiâ affectus. XX. Valetudine utitur incommodâ. XXI. In Patriam revertitur. *Ibid.* Frustra Paulio Medico docto ac diligenti usus. *Ibid.* Aquà intercute oppressus. *Ibid.* Religiosè animum expiandum, ac confirmandum curavit. *Ibid.* Elatus est. *Ibid.* Inscriptio ejus Sepulcro curata. XXII. Altera ab ipso parata. XXIV. Quo a-

ad

 aver-

præ-

ut

ut præseferebat, Genuensium, revera ut morà illatà, milites evocati undique convenirent, de compositione agere instituit. 295. Conditiones omnes Brignolii Ducis admonitu Plebs respuit, nisi statim occupatæ tradantur portæ, & nulla ulterius de argento exigendo, exportandisque tormentis mentio fiat. 296. Vulneratus terga dat. 299. Per Porciferam Vallem incolarum cunctatione evadit incolumis. 300. Largitionibus etiam usus, & præterea dolo, quum palam pronuntiari jussisset pace se cum Genuensibus facta discedere. *Ibid.* Sic raptim fauces transgreditur, & Novas mutilatum exercitum reducit. *Ibid.* Perfidiæ Genuenses arguit, Populariurn animos tentat, veniam pollicetur. 303. Nobilitati maxime se iratum ostendit. *Ibid.* Bellum summà vi redintegrat. *Ibid.* Fauces Ligusticas iterum transgredi jubet levis armaturæ pedites. *Ibid.* Hi omnia circum loca cædibus, & incendiis complent: Ruscinone, & Campofrigido potiuntur. *Ibid.* Longius progredi a Hieronymo Balbo prohibentur: a Masonià Arce repelluntur, defendente Anfrano Saulio. *Ibid.*

Bouflertius Dux, Gallici exercitus Legatus, unusque è Gallicæ nobilitatis Principibus Genuam a Rege suo missus, ingenti omnium ordinum alacritate atque plausu Senatum ingreditur. 325. Ejus perliberalis ad Patres oratio, qua Genuenses veteribus Romanis æquat, ipsisque cum operam suàm, tum validiora ab Rege auxilia pollicetur. *Ibid. & seq.* Ingenua, & plena animorum ad eam orationem Genuen-

nuensis Ducis responsio. 326. Spem, quam de se civitati Bouflertius dederat, re confirmat. 330. In communicandis consiliis benignus, in rebus administràndis nulli parcens labori, plebem effusis etiam largitionibus excitat. *Ibid.* Coronatæ fano Austriacos depellere una cum Josepho Duratio constituit. 331. Consilium fœda cohorta tempestas interpellat. *Ibid.* Ne prosperis rebus hosti animi crescerent, suis minuerentur recipere ex Austriacis collem, fanumque Misericordiæ statuit. 334. Ejus jussu Chovelenius Castrorum Præfectus, hostes aggreditur, & acerrimè repugnantes ad fanum se recipere cogit. *Ibid.* Accurrit subsidio Liguribus ex Geminorum Fratrum monte Comes Lanniònensis. *Ibid.* Jam multis hostium captis interfectisque, in ipsum fanum Ligures irrupturi videbantur cum repente Bouflertius receptui cani jubet. *Ibid.* Etenim prælio in noctem extracto nolebat copias, partem maximam tironum, tumultuariorumque, nocturnis periculis committere. 335. In ea pugna Fajensis Marchio interficitur, Chovelenius vulneratur, Francus Grimaldus nobilis adolescens capitur. *Ibid.* Eodem die quo Genua ab obsidione liberatur Bouflertius pustularum morbo absumitur. 351. De cujus morte Civitas perinde dolet quasi ab hostibus capta esset. *Ibid.* Quare Chovelenius ultro Curiam ingressus amantissimis verbis Patres alloquitur, & Regis sui nomine benigna cuncta pollicetur. *Ibid.* Bouflertii liberis, posterisque Civitas ex S. C. datur, & ut Patricii Genuenses

cen-

Car-

bo-

boniorum impetum se tardaturum confidit. 160. Pontes in Tanaro & Pado duos efficit, unde commeatus, & pabulatores hostium e-missis copiis intercipiat. 161. Alexandriæ timet, & prospicit. 171. Se arci Dertonæ opem allaturum simulat, sed appropinquantibus Gallis receptui canit. 174. In fuga postremus, in periculo princeps. 192. Ubi suos a fuga retinere non valet ad Forum Fulvii contendit, atque inde Casale. *Ibid.* Ad quod oppidum copias colligit, & castra ponit. 193. Ibique spatium ex cunctatione hostium nactus per otium suos ex fuga ac terrore recipit. 197. Castra a Casali Tridinum transfert. 206. Copiæ peditum, equitumque ab eo in speculis ad Casale relictæ, appropinquante Philippo, per oppositam portam propere in suorum Castra ad Tridinum provolant. *Ibid.* Ipse atque Austriaci in diversas trahuntur curas, hi Mediolano, Mantuæque timentes, ille Augustæ Taurinorum. 207. Huic etiam summæ Alpes a Gallis infestæ. 208. Consilio res suas, ubi vires non suppetunt, tueri cogitat. 215. Gallos potissimum respicit quibuscum de pace agat. *Ibid.* Caroli ea de re ad Regem Gallorum literæ. *Ibid. & seq.* Veritus ne quæ cum Gallis ageret Austriacis patefierent, qui cum novis auxiliis appropinquabant, consilia pacis dimittit. 219. Leutronium cum valida manu ad Hastam Pompejam recipiendam proficisci jubet. *Ibid.* Hic celeriter mandata facit, & Gallis opinione pacis remissius agentibus, Hastam in deditionem recipit. 220. Hinc maxi-

Carolus Borbonius Neapolis ac Siciliæ Rex multis sollicitatur, maximè vero fœdere Vormaciensi. 3. Quæ ad bellum usui sunt enixè parat, quanquam nihil se immiscere Italicis turbationibus initio constituerat. 4. Ad nuncium receptus Hispanorum in fines suos quid sibi agendum sit quærit in Concilio. 7. Sententia eorum qui quiescendum censent. *Ibid.* Multa in contrariam sententiam afferuntur. *Ibid. & seqq.* Rex Hispanos Regno, & commeatu non prohibendos, sed ulterius sibi non esse progrediendum decernit. 11. In qua media sententia Ducis Montallegrii præsertim consilio usus dicitur. *Ibid.* Qui bellicis consiliis adversabatur. 12. Abjecta demum omni cunctandi cogitatione, Austriacis jam non dubiis hostibus mature occurrendum statuit. 22. Copiarum partem præmittit, quæ hostem ad fines, & ad Truentum flumen demoretur. *Ibid.* Equitatum, Frumentum; Milites, Naves, Pecuniam comparat. Portum novis operibus, & Præsidiis firmat. 23. Urbanarum rerum imperium, & procurationem maximè Michaeli Retio Præfecto Classis commendat. *Ibid.* Multis, qui ob suspectam fidem in vinculis habebantur, solutis magnam a populo gratiam init. *Ibid.* Exemplo Philippi Fratris, & literis Philippi Patris ad bellicam laudem incitatur. 24. Iturum se ad hostem pronunciat: Reginam vero Cajetæ cum liberis interim futuram. *Ibid.* Discedentem Neapoli lacrymis prosequitur infinita hominum multitudo, comitati vero sunt Principes Regni. 25. Capuam eo

die venit. 25. Transgreditur Vulturnum amnem, atque altero a Capua die Venafrum pervenit. 26. Inde & Apennini jugum viâ asperâ & confragosâ, atque ob accumulatas nives maxime difficili ad Castellum Sangri progreditur. *Ibid.* Præmissa per latiorem viam parte copiarum, ut Hispanis celeriter subsidio irent, ipse modico intervallo suis auxilio futurus Sangri subsistit spectans quid ab hostibus agatur. 27. Occupat præsidiis ea omnia loca, quibus hostis penetraturus videbatur. 28. Austriacorum consiliis obviam iturus avertit iter a Vestinis in Cassinatem, atque retro in Campaniam contendens, a Castello Sangri discedit. 29. Venafri aliquot dies commoratur, atque inde ad Sangermanum venit. *Ibid.* De Gagii sententia a Sangermano discedens primum Arpinum, inde Verulas mox Anagniam venit, atque ibi ponit castra, & cum Hispaniensi exercitu conjungitur. 30. Cujus exercitus copiæ recensentur. *Ibid.* Item exercitus Neapolitani. 31. Lustrato exercitu, & donato Milite ab Anagnia profectus ad Valmontonium in agro Labicano castra locat. 32. Quatriduum ibi moratur cibariorum causa. Qua mora pulcherrima bene gerendæ rei occasio corrupta. *Ibid.* Cum omni exercitu a Valmontonio proficiscitur ad occupanda suburbana. 34. Intelligit hostem non longe abesse. 35. Ne loco ac tempore iniquis acie dimicare cogatur avertit iter a Tusculano, & Velitras occupat. *Ibid.* Nihil permotus improviso hostium adventu producit copias,
eas-

easque cohortatur. 36. Prælio non commisso communit Castra. *Ibid.* Consilia init quemadmodum hostes loco depellat ac reprimat. 42. Animadvertit jugum monti, quod a Pistaluccio tenebatur, impendens, nudatum esse omni præsidio. *Ibid.* Dat negotium Gagio ejus occupandi jugi, præsidiique hostium depellendi. 43. Sermonetam communiri jubet & Privernatem tractum continuis custodiis observari. 46. Quo factum est ut abunde commeatus in castra comportentur. 47. Aquæ inopia subfossis puteis sublevatur. *Ibid.* Ejus Castra a lævo latere indiligenter posita, & incustodita. 50. Subità irruptione hostium miserè conversis rebus egreditur domo, indeque per Hortos ad Capuccinorum tumulum evadit comitantibus nonnullis ex primoribus, & custodibus corporis. 57. Ejus brevis adhortatio ad milites. *Ibid.* Ad dextrum cornu profectus forti animo nullum scientissimi Imperatoris officium prætermittit. *Ibid.* Hostibus ab Oppido, & ab Artemisio monte depulsis Duci Castropiniani imperat, ut Brounium se recipientem adoriatur, dum interim Gagius in infrequentia Castra impetum faciat. 65. Quod consilium, dum de opportuniori itinere consulitur, interjectà morà corruptum est. *Ibid.* Quod ubi cognovit Rex ne frustra milites defatigarentur jubet copias reduci in Castra. 66. Duces, Militesque collaudat. Nonnullos militaribus honoribus, præmiisque auget. In unum vero oppidanorum, ut in proditorem invitus animadvertit. 67. Jubet melius firmari,

dit,

D

E

E

F

Fer-

in

pato

pato jugo, quod a tergo Monti impendebat, tam acri atque improviso impetu præsidium aggreditur, ut celeriter dejectum sit, multis hostium cæsis, captisque. 43. Capto Præsidio, eminentioribus potitus jugis promovet stationes exercitus, & equites circumfundit. 44. Cognita hostium ab lævo latere irruptione Virtzianam manum subsidio mittit: ipse etiam dextro lateri timens eo properat. 59. Ibi res ad extremum deductas casum, submissis auxilio legionibus duabus, cohortibusque nonnullis, restituit. 60. Postquam hostes Roncilionem usque persecutus est subito ad Falerios Faliscorum, ac Spoletum iter convertit. 83. In Umbriam erumpere meditatur, & prior occupare Perusiam. *Ibid.* Quod oppidum cum ab hoste præoccupatum sensit inter Assisium, & Forum Flaminii castra facit, productis latius munitionibus, ut speciem majoris exercitus hostibus præberet. 84. Assequendi hostes, qui effugerant, spe dejectus Viterbii hiemare constituit. 87. Deducto quam maturrime ex hibernis exercitu modo in Flaminiam, modo in Hetruriam cogitare simulat. *Ibid.* Ad superum mare iter arripit, & ad hostem contendit. 88. Hostium castra oppugnare, & simul a tergo aggredi meditatur. 90. Quominus id agat interpellatur literis a Rege Hispaniarum acceptis. *Ibid.* Jubetur cum Philippo Regis ejusdem filio in Genuensium fines properante copias quam primum jungere. *Ibid.* De suscipiendo eo itinere advocato Concilio deliberat. 91. Pincaronium Præfectum Fabrum

brum cum impedimentis, tormentisque, & valido militum præsidio Bononiam præmittit. 94. Tardantem iter accelerare per literas jubet. *Ibid.* Ipse expedito agmine e conspectu hostium evolat. *Ibid.* Ad montes, qui Divi Peregrini dicuntur iter arripit. 95. A principio facile habet iter. *Ibid.* Mox adeo arduum ac difficile, ut non sine summa jumentorum & hominum vexatione media præsertim acies, montes superaverit. *Ibid.* Montis Alphonsi Arcem occupat, oppresso militum præsidio. 96. Annibali in transitu Alpium a nonnullis æquiparatur. Ab aliis carpitur. Authoris ea de re sententia. 97. Ad Lucensium fines accedit. *Ibid.* Sergianum proficiscitur, & ibi quatriduum moratur dum in flumine Macra pontem fieri curat. 101. Difficultatibus ipsius Fluminis, Pabuli, Commeatus, Viarum solicitus. 102. Etiam periculo ab Hostibus, & paucitate suorum. *Ibid.* Ponte in Macra perfecto dat signum profectionis. 105. Quæ tumescentis vi fluminis ponte interrupto in insequentem diem differtur. 106. Agminis ordo in transducendo exercitu. *Ibid.* Rescisso a suis ponte venit Spediam, atque inde Nuncios ad Philippum mittit. 108. Præmissis III. millibus militum Segestam Tiguliorum ad occupandos aditus per Orientalem ligustici maris oram iter facit. 109. Allocutus Auriam Josephum, ab eo tum primum de Genuensium cum Borboniis fœdere cognoscit. *Ibid.* Quo fit ut alacrior iter inceptum prosequatur, instante jam remissius hoste.

109.

109. Genuam pervenit, & ad Langenses castra facit. 135. Alienæ pecuniæ non appetens suæ parcus. 141. Ideo valde ab exploratoribus imparatus. *Ibid.* Quare quæ apud hostes gerantur, eorumque consilia parum ipsi nota: in Hispanico vero exercitu crebri errores, suspiciones, moræ. *Ibid.* Aliæ causæ, quæ diutius Gagium ad Langensium pagum demorantur. 142. Auctus Philippi & Genuensium auxiliis castra movet, & ad hostem proficiscitur. *Ibid.* Porciferæ vallis descriptio. *Ibid.* Fauces Ligusticas præsidio cohortis prior occupat, & munit diligenter. 143. Ejus cohortis parva ad fauces dimicatio lacessente Austriacorum manu, quæ in fugam coniicitur. *Ibid.* Tribus itineribus cum omni exercitu Gagius Fauces transgreditur. 144. Prælium ad Octavium Vicum, quo Austriaci terga dant amissis octingentis. 145. Octavium recipit, Gavium occupat, & communit. 146. Gavio discedere statuit, & ultra ad Philippum progredi. 147. Ejus & cæterorum Ducum ex numero & robore exercituum confidentia. *Ibid.* Gavium communit. 161. Secundum Lemurem amnem iter faciens Capriatam venit, ibique facit castra. 162. In eo reprehenditur quod Hostibus conjungendi copias spatium dederit quum facile prohibere potuisset. *Ibid.* Quod Regi Sardiniæ, & Sculemburgio saluti fuit. 163. Boscum proficiscitur, & Castra quam proxime potest Castris Philippi confert. 164. Priorem Alexandriam oppugnandam censet. *Ibid.* Secundum eam sententiam mul-

207. Copias Ticinum Parmamque ad Vievillæum, & Castellarensem submittit. *Ibid.* Cum XX. millibus militum Mediolano profectus ad Ticinum amnem venit. 212. Pontem dum e regione Olegii efficere se velle simulat ad locum, qui Gula-Sicca nuncupatur construit. 213. Inde transducto exercitu hostes a Ticino amne longius submovet. *Ibid.* Itaque explicatis commeatibus Mediolanum redit. *Ibid.* Apud Ticinum ad Chartusianos castra ponit. 238. Ut ad se veniat, suadet, atque imperat Castellarensi. *Ibid.* Qui aut sua virtute, aut gratia Hispanicæ Reginæ ferox, mandata spernens a Parmensi, & Guardistallensi agro non discedit. 239. Ticino profectus ut Castellarensi succurrat Placentiam venit. 240. Inde progressus subsistere ad Florentiolam Trebià redundante, pontibusque interruptis cogitur. *Ibid.* Refectis pontibus ad Sanguinariam vicum pervenit, ibique non longe a Taro castra locat. *Ibid.* Hostium exercitum in adversa fluminis ripa conspicatus, quum perficiendi pontis ob ingentem amnis altitudinem rapiditatemque facultas non esset, castris se tenet. 241. Inde literis nunciisque ut Parmam relinquat Castellarensem monere additis pro imperio præceptis non intermittit. *Ibid.* Cum ille tandem Parmà discessisset Placentiam revertitur, ibique castra munit. 242. Ejus exercitus copiis a Castellarensi, ac Mirapiscensi adductis augetur. 244. Quod equitatu & loco præstabat, & quod hostes morbis atque inopia vexabantur in hyemem extra-

ter

 a Se-

decernunt, ut milites conscribantur, muniantur arces, pecunia corrogetur. 123. Interim Reipublicæ ad Reges Legati cognoscant eorum in Genuenses animum, recipiantque parem se Austriacis, Borboniisque voluntatem ostensuros. *Ibid.* Ipsis omnia adversa Legati nunciant ab Austriacis, & a Sardiniæ Rege: egregio vero in eos animo Borbonios esse. 125. Senatus tamen cunctatur non tam gravitate negotii, quam omnium Rerum Publicarum, & præsertim suâ consuetudine. 126. Hæc quæ sit declaratur. *Ibid.* Rationes eorum quibus consilia pacis placebant. 127. *& seq.* In contrariam sententiam Oratio. 129. *& seqq.* Qua oratione commoti Patres societatem inire cum Borboniis decernunt. 133. Id per literas Hieronymo Grimaldo ad Hispaniarum Regem Legato mandant. 134. Conditiones quibus inter Borbonios & Genuenses Aranguesianum fœdus ictum est. *Ibid. & seq.* In adventu Hispanici exercitus ad vitandos tumultus occludunt portas. 135. Auxilia Gagio flagitanti submittere cunctantur donec Philippi, Gallorum, & ipsius Gagii exercitus conjungantur. 136. Mittunt tamen victi oratione Legatorum qui a Philippo ad Senatum venerant. 138. Eorum observantia erga Reges. 139. Regum responsa ad denunciationes Genuensium. *Ibid.* Genuensium ad Borboniorum societatem accessione quanta in rebus Italiæ commutatio facta sit. 148. Ab ipsis antiqua Italorum virtus in lucem revocata & aucta. 152. Ad X. millium numerum militum

tuor

tuor ex Senatoribus Viros nobilissimos Viennam mittunt, qui iratam Reipublicæ Reginam placare curent. 283. Spe deprecationis adempta Genuensium calamitates augentur. *Ibid.* Ad conficiendam pensionem secundam tributo extra ordinem imperato, summa cogitur perexigua. *Ibid.* Ex Georgiana mensa iterum pensio solvitur. *Ibid.* Tertia statim efflagitatur magno dolore, ac gemitu populi, totiusque Italiæ admiratione. 284. Ditioribus fortunas suas pro Patriæ salute offerentibus, ac ut eis, oppigneratis vectigalibus, caveretur referente ad Concilium Majus Duce, suffragia turbantur. 285. Graviter id factum increpat Philippus Spinula. *Ibid.* Dandum esse cognoscendæ rei spatium censet Augustinus Gavottus. *Ibid.* Æquior hæc sententia quum videretur Concilium dimittitur. 286. Erat interim justitium quoddam in Urbe, nulla auctoritas Magistratibus invitis Austriacis. 287. Opifices & Tabernarii opus facere, mercesque vendere vi coguntur. *Ibid.* Multi Nobiles, honestioresque ex Populo de Republica desperantes profugiunt. *Ibid.* Fuga decreto Senatus reprimitur. *Ibid.* In maxima plebis commotione atque tumultu Senatus per Nicolaum Jovium ad Bottam monita precesque. 292. Consilio parum sano contemnuntur. *Ibid.* Per Legatos suos orat Senatus adhortaturque Borbonios Reges ut celeriter opem ferant. 305. Muros reficit & communit. *Ibid.* Cives omnes, qui ferre arma possint describi frumentumque comportandum curat.
 305.

305. *& seq.* In summa pecuniæ inopia Patres gravi Brignolii Ducis oratione & exemplo excitati magnam facti signatique argenti vim in publicum conferunt. 307. Virorum exemplum sequuntur Matronæ. *Ibid.* Patrum in expectatione auxiliorum sollicitudines, & ad Borbonios preces. 315. Amisso Montogio ad Mariæ Montanæ fanum Ligures se se recipiunt. 320. Senatus Montem Geminorum Fratrum diligenter communiri, & firmo præsidio teneri jubet. 322. Novem Viros nobiles ei munitioni una cum Gallis præesse jubet. *Ibid.* Parvis præliis Ligures Austriacos fundunt fugantque, ducibus Stephano Laumellino, & Paulo Gentili. 327. Levibus hisce præliis Liguribus quotidiana præliandi consuetudine animus accedit. 329. Interim sociorum auxilia parvis navibus advecta per medias Britannorum classes in portum irrepunt. *Ibid.* Ab ostio Porciferæ amnis Genuenses ad exteriorem urbis munitionem, quam Forcipem appellant, summa celeritate & haud intermisso labore aggerem perducunt. 330. Ab altera urbis parte Albarense suburbanum, & loca circum excelsiora communiunt. *Ibid.* Pecuniâ auxiliisque a Borboniis Regibus confirmantur. 331. Ad inopinatam hostium irruptionem terrentur, trepidant, Senatum habent. 343. Conclamatur ad arma, mœnia armatis complentur. *Ibid.* Bouflertius de salute urbis vehementissime solicitus ad Portam Romanam progreditur. *Ibid.* Admirandâ quadam Genuensium fortuna fit ut tantam ad urbem

bem

rum Cornelii perveniunt, atque inde vestigiis hostium inhærentes Scultennam flumen vado transeunt. 90. Fugata ad Spilinbergium parva manu hostium, tribus millibus passuum a Mutina ponunt castra. *Ibid.* Metu, & diffidentià obsidionem Alexandrinæ arcis deserunt. 220. Relictis sarcinis, & impedimentis pedem referunt fugientibus similes. *Ibid.* Aperte a Gallis dissidentes, hisque repugnantibus Mediolanensis arcis oppugnationem urgent. 234. Tum infidelitatem sociorum veriti tormenta, ab oppugnatione arcis deducta, navibus Ticinum mittunt. 235. Eo Duces quoque proficisci cogitant. *Ibid.* Copias velle a Gallis sejungere videntur. *Ibid.*

Hispanorum auxilia quum per medias Britannorum classes evasissent Cajetam ac Neapolim peropportunè appellunt. 68. Quibus, aliisque celeriter suppletur quidquid in Castris Regis deperierat. *Ibid.*

Historiam scribere præsentis temporis arduum atque periculosum. 75. Mortuorum facta sine invidia laudantur, & vituperantur sine periculo. 76. Historiæ scribendæ vera ratio est, ut in ea neque fides, neque prudentia Scriptoris desideretur. 77. In Bonamicii Historia studium partium a nemine accusatum libertas in scribendo reprehensa. 225. Eam tamen auctor neque immoderate exercuit, neque serviliter fregit. 226. Ea Principum dignitatem non lædit, sed confirmat. 227. Ea sola Principes docere audet. *Ibid.*

Hi-

I

In-

Ob

Ob adverſam valetudinem Lictestenius ab exercitu diſcedit. 255.

Lobcoviczius mittit cum parte Copiarum Brounium Legatum, qui perſequatur Hiſpanos uſque ad Truentum amnem. Ipſe in agro Piceno ſubſiſtit. 12. Quoad ſciret quid Hungariæ Regina decerneret. 13. Jubetur uti confeſtim cum exercitu irrumpat in Neapolitanum Regnum. 15. Ejus juſſu Brounius Legatus Truentum tranſiicit, & occupat quædam loca in Veſtinis. 16. Ipſe ducere agmen in hoſtium fines inſtituit eo itinere quod Umbriam attingit per Anagniam ac Fruſinonem. 17. Hac erupiſſe quondam in Regnum ajunt Carolum VIII. Galliæ Regem. *Ibid.* An ſatius fuerit eàdem tranſducere quà Brounium præmiſerat perpenditur. 18. Revocato Brounio, & omnibus Copiis in unum coactis, vià Flaminià incedit. *Ibid.* Quibus Copiis. 19. Maceratâ movet, & quatridui itinere ad Forum Flaminii pervenit. *Ibid.* Tripartito diviſis Copiis progreſſus a Foro Flaminii ad Falerios Faliſcorum venit. 21. Concilium advocat. *Ibid.* In quo potius tumultuatum, quam deliberatum aliquid. 22. Timens commeatibus Romam verſus contendit. 33. Hoc magis properat quod eodem miſſa fuerat a Rege pars Copiarum. *Ibid.* Omnibus Copiis Tyberim tranſductis ad Eretum Caſtra ponit. *Ibid.* Dum ibi paucos dies moratur complures omnis ordinis homines Romà in Caſtra confluunt. *Ibid.* Horum aſſertionibus Auſtriaci in magnam ſpem erecti. 34. Ipſe Lobcoviczius alacrior Anie-

 nem

nem traiicit, & ad Caii Marii Suburbanum venit. 34. Romam ingreditur magno comitatu ad Pontificem salutandum, tota in adventum ejus effusa Civitate. 35. Favore multitudinis illo die nihil ei defuit ad Triumphum præter victoriam. *Ibid.* Eodem die redit ad exercitum, & a Mariano movet castra. 36. Procedit ad Aricinum nemus, & validam manum antè mittit, quæ loci naturam cognosceret. *Ibid.* Conspicatus Regis copias, & loci difficultates primus dimicandi consilium abiicit. 37. Montem quem insederat inter utraque castra munit. *Ibid.* Commeatibus a Mare ac Neapoli Regios intercludere conatur. *Ibid.* In oppido Nemorensi Prætorium constituit. *Ibid.* In summam spem erectus, apud suos per literas gloriatur. 42. Amisso Præsidio subita rerum commutatione perturbatur. 44. Castra paululum a lævo latere contrahit, & Prætorium ab oppido Nemorensi in Cynthianum removet. 46. A Præfecto Britannicæ Classis impetrat ut aliquot naves a classe abductas ad littus Neapolitanum admoveat. 47. Item partem copiarum jubet Comitem Soroum in Vestinos ac Marrucinos ducere. *Ibid.* Nimirum sperans aspectum navium, & copiarum aliquid turbarum movere posse. *Ibid.* Quæ spes irrita fuit. *Ibid.* Valde angitur quod sua culpa res Austriacorum pejore jam loco esse nonnulli dicerent. 49. Conandum sibi aliquid censet, quo detrimentum sarciat, & aditum sibi in Regnum patefaciat. 50. Regiorum Castrorum vitium, & hostium ab ea parte indiligen-

gen-

gentiam in Concilio primorum Ducum aperit. 52. Ea irruptionem tentandam proponit, & simul ab dextera tentandum Artemisii montis jugum, probantibus omnibus qui aderant. 53. Omnia ex idoneo loco speculatur. 64. Cedentibus jam suis, & in fugam versis subsidia non esse submittenda censet, ne omnes exercitus fortunas in casum daret. *Ibid.* Quanquam ingentibus detrimentis speciem victoriæ imponebat, de receptu cogitat. 68. Quibus de causis. 69. Cunctatur tamen duobus mensibus sive pudore, sive spe. *Ibid.* Legionem Pallavicinam, & Illyricorum manum Regi Sardiniæ subsidio mittit. 70. Ægros & impedimenta partim in Hetruriam mari transducenda dat Andreasio, partim ad Falerios Faliscorum præmittit. *Ibid.* Pridie Kal. Novembr. silentio noctis è conspectu Velitrarum discedit. *Ibid.* Celerem fugam quærit per montes Eugubinos, minus sibi displicens quod expeditionis infelicem exitum multo ante præsenserat. 71. In Castra loco edito ac munito posita prope Viterbium die a Velitris septimo se confert. 83. Cognito hostium occupandi Perusiam consilio, motis repente a Viterbio Castris eo properat per Urbevetanum Agrum, & Gagium antecedit. 84. Paucitati suorum diffisus, hostium numerum majorem arbitratus, profectionis fugæ similis consilium capit. *Ibid.* Ut superato Apennino in Flaminiam descendat, atque ibi exercitum in hiberna collocet. 85. Mittit transversis itineribus Soroum, qui Gagium demoretur. *Ibid.* Ad nuncium

 ad-

ac-

M

pro

N

tis

 ban-

Cen-

Scu-


Sculemburgius Comes Austriaco exercitui post Lobcoviczii discessum Præfectus equites nonnullos levisque armaturæ pedites per Apuanos montes mittit, qui Hispanorum iter infestum habeant. 105. Ipse per agrum Parmensem ac Placentinum cum reliquo exercitu profectus ad Novas Genuensium oppidum castra locat. *Ibid.* Bartholomæum Laumellinum, qui Novis præerat, ad se in castra profectum, & factum Genuensium excusantem, querentemque injurias vi retinet, atque Novas oppidum occupat. 140. Eo oppido relicto, & collectis raptim copiis citato agmine ad Ripaltam retrocedit, ibique loco munito castra facit. 147. Motis a Ripalta castris ad Regem Sardiniæ properat, & ad lævam castrorum partem prope Augustam Batienorum considet. 160. Cognitis quæ Placentiæ ac Parmæ gererentur aliquot mittit copias ad dexteram Padi ripam asservandam. 182. Ipse ab Augusta Batienorum ac Rege Sardiniæ non discedit. *Ibid.* Tandem Mediolano timens a Rege digreditur, ut illi Urbi opem ferat. 187. Nunciis Regis revocatur. 193. Pontem, quem in Pado fecerat, ab hoste occupatum nactus, de transitu desperat. *Ibid.* Fugam sociorum spectans secundum flumen ire pergit. *Ibid.* Castra è regione Casalis locat, ut facto ibi ponte iterum cum Rege conjungatur. *Ibid.* Ejus in Genuensi administrando bello difficultates, exercitu diminuto, deficientibus ad oppugnationem tormentis, duris omnium rerum subvectionibus. 316. *& seq.* Tum

quod

quod Rex Sardiniæ non admodum huic bello inservire videbatur. 316. Quibus de caussis. *Ibid.* Ad eum Regem mittit Sculemburgius Blonchedium Trib. mil., qui depositis controversiis tormenta atque auxilia ab ipso impetret. *Ibid.* Genuam quacumque ratione oppugnandam constituit. 317. Auxilia atque tormenta ad Genuam oppugnandam certis interpositis conditionibus per Blonchedium impetrat. 319. Conditiones quæ fuerint. *Ibid.* Copiis in plura agmina distributis Novis noctu proficiscitur. *Ibid.* Ex equo cadens latus vehementer offendit. 320. Captis pluribus munitis, & opportunis locis Sanctandræensem post se ne intercludatur collocat. 321. Ipse apud Turraciam Prætorium constituit. *Ibid.* Admoto exercitu denunciat per Blonchedium Senatui, uti arma ponant, & antequam advehantur tormenta imperata faciant. 323. Addit minas nullam advectis tormentis futuram deditionis conditionem. *Ibid.* Spe deditionis dejectus acrius bellum urget. 325. Aucto Subalpinorum auxiliis exercitu collem in quo fanum est Misericordiæ occupat dejecto Genuensium præsidio. 334. In Bisamnatem vallem erumpere, & infirmiorem urbis partem, quæ ad Orientem vergit, oppugnare statuit. 340. Id a principio faciendum quare factum non sit incertum. *Ibid.* Jubet Subalpinos, & Austriacorum cohortes aliquot in Geminorum Fratrum montem, & simul in Arenarii munitiones impetum facere, ut ancipiti defensionis cura Genuenses distrahat. 341.

Sil-

Tau-



ER-

ERRATA.		*CORRIGE.*
Pag.	*Verſ.*	
19.	30. ad	ab
132.	3. noſtras	noſtra
135.	18. valli	vallis
142.	2. efferrent	afferrent
143.	19. cum	eum
175.	12. exeuntes	exuentes
235.	10. colloqui	colloquii
240.	28. ad	ab
259.	2. ſumme	ſummæ
295.	25. conveniret	convenirent
303.	15. iraci	iraſci
305.	33. charitate	caritate
310.	3. Rempublicam?	Rempublicam,
349.	5. eum	quum
360.	33. Naviculari	Navicularii


Digitized by Google